IN MEMORIAM JOHANNIS MC CAUL

UNIVERSITATIS COLLEGII APUD TORONTONENSES PRAESIDIS PRIMI

AB AN:DOM:MDCCCXL AD AN:DOM: MDCCCLXXX;

ET OB DOLOREM COLLEGII CUM BIBLIOTHECA SUA

A:D:XV KAL:MART:AN:DOM:MDCCCXC

INCENDIO COMBUSTI;

HUNC CUM CAETERIS LIBRIS QUI JOHANNIS MC CAUL QUONDAM

ERANT UNIVERSITATIS COLLEGIO DONO DEDERUNT HEREDES EJUS:

SCILICET UT BIBLIOTHECAM,

QUAM MAGNA EX PARTE IPSE OLIM VIVUS INSTITUISSET,

EANDEM ETIAM MORTUUS ALIQUA TAMEN EX PARTE RESTITUERET.

MISCELLANEA GRÆCA

DRAMATICA,

IN SCRIPTIS MAXIME ERUDITORUM VIRORUM

VARIE DISPERSA,

IN UNUM FASCICULUM COLLECTA.

MISCELLANEA GRÆCA

DRAMATICA,

IN SCRIPTIS MAXIME ERUDITORUM VIRORUM

VARIE DISPERSA,

IN UNUM FASCICULUM COLLECTA.

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BY

A GRADUATE OF CAMBRIDGE, [pseud.]

AND EDITOR OF THE "THEATRE OF THE GREEKS."

Philip Wentworth Buckham

CAMBRIDGE:

PRINTED FOR W. P. GRANT.

SOLD BY R. PRIESTLEY; BLACK, YOUNG, AND YOUNG;

AND W. BAYNES AND SON, LONDON.

12774
19/2/91

LONDON:
Printed by A. J. Valpy, Red Lion Court, Fleet Street.

CONTENTS.

Ludov. Casp. Valckenari Diatribe in Euripidis Perditorum Dramatum Reliquias.

Page

Cap. I. De Fragmentis Perditorum Euripidis Dramatum . . . 1

II. De Numero perditorum Euripidis Dramatum . . . 11

IV. In Euripidis Anaxagorea Quædam . . . 29

V. Exhibet Euripidis Anaxagorea 37

VI. Euripidis exhibet de duobus Rerum creatarum Principiis Systema 48

IX. De Rheso Dramate 63

X. De Rheso incerti Dramate 73

XXIII. De eloquentiæ abusu in Attica Republica . 88

XXIV. De Phœnicis Euripidei Dramatis Argumento . 102

Augustus Boeckhius De Tragicis Græcis.

Cap. IV. Eumenides Æschyli iterum data. Quando primum in scena commissa sit. Diminutio chori quando lege sancita. Num mulieres Athenis tragœdias spectaverint. Utram Eumenidum habeamus editionem 121

V. De temporibus Æschyli, inprimis de Sicula profectione. Ejusdem Σικελισμός. De chronologia dramatum suorum. Alia nonnulla de Æschyli fabularum historia 127

VIII. Sophoclis fabulæ quot fuerint. Ejusdem familia 133

IX. Sophoclearum fabularum tituli superstites quot. Quænam majori Sophocli tribuenda sint, e fragmentorum indole dijudicari nequit. Num in Sophoclem Plato fuerit iniquior 145

XI. Quænam fabulæ Sophoclis majoris certe sint. De earum temporibus quædam. Epilogus . . . 149

XII. Judæi falsarii scenicis poetis versus supponunt. De interpolatione sextæ Platonicæ epistolæ . 157

Page

Cap. XIV. In Græcis tragœdiis, præsertim Euripidis, multa in spectatorum, multa in partium favorem dicuntur, multa ex temporis historia illustranda. In Hippolyti coronati iterata recensione temporum est habita ratio. Num de Palamede similiter statuendum sit 168

XVI. Feriæ, quibus fabulæ doceri solitæ. Sophoclis et Euripidis obitus diligentius definitus. Didascalia alia 174

Fridericus Bouterwek de Philosophia Euripidea, sive de Philosophandi generis, quo Euripides in tragœdiis suis exornandis usus est, fontibus ac ratione 183

G. E. Groddeck in Pollucis Onom. iv. c. 19. §. 123. *de Theatri Græci Partibus, imprimis de Parasceniis et Hyposceniis* 211

Godofredi Hermanni Dissertatio de Pronomine Αὐτός.

Cap. I. De propria significatione pronominis *αὐτὸς* . . 237

II. Αὐτὸς variis distinctionibus inservit . . . 238

III. Αὐτὸς significat Vel, Adeo, Statim. Indicat caritatem. Adverbium *αὐτοῦ* 240

IV. Αὐτὸς sponte, solus, familiariter . . . 242

V. Οὐδ' *αὐτὸς* post *μὴ*, *καὶ αὐτὸς* post *οὐ*. Explicationis causa additum. Explicatum per nomen . 244

VI. Αὐτὸς, hic 245

VII. Αὐτὸς omisso pronomine personali cujuscumque personæ 247

VIII. Αὐτὸς reciprocum, et pro eo pronomen personale. Ambo juncta. Μὶν pro ἓ 248

IX. Ἐγὼ *αὐτὸς, αὐτὸς ἐγὼ* 251

X. Nec pronomen personale, neque *αὐτὸς* abundare . 253

XI. Αὐτὸς pronomen relativum. Ὅς et ἵ. Αὐτὸν encliticum 258

XII. Αὐτὸς idem 261

XIII. Αὐτῆμαρ et similia. Ὑπ' *αὐτὸ*, *ὑπὸ τὸ αὐτό*. Ἐν *αὐτῷ* 264

XIV. Κατ' *αὐτό*. *κατὰ τὸ αὐτὸ* 265

XV. Αὐτὸ *μόνον*. Αὔτως. Αὔτως 266

Theoph. Car. Guil. Schneider de Dialecto Tragicorum Græcorum 271

LUD. CASP. VALCKENARI

DIATRIBE

IN

EURIPIDIS

PERDITORUM DRAMATUM RELIQUIAS.

CAPITA QUÆDAM INSIGNIORA.

LUDOV. CASP. VALCKENARI

DIATRIBE

IN

EURIPIDIS

PERDITORUM DRAMATUM RELIQUIAS.

CAPUT I.

De Fragmentis perditorum Euripidis Dramatum.

Euripidis perditarum Trag. reliquias præstare fragmentis aliorum Poëtarum. Barnesio negligenter tractatas. Pro Euripideis dedisse B. quæ essent Grotii. In Barnesianis optima Bentleio deberi. Latinorum Poëmatum fragmenta diligentius collecta, quam Græcorum. Reliquias tales colligere periculosum. Quid in Editore requiratur. Emendantur fragmenta quædam Danaës Eurip. *Φθίνειν*, 'perire,' *Προσφερὴς*, 'similis.' Annuæ commutationes, *ἔτειοι μεταλλαγαί*. *Ἔτειον ἑορτὴν* restitutum Xenophonti. Amorem *Ἔφηβον* dictum. *Τιμάορος· ξυνάοροι*. *Τίθεσθαι*, pro *ἡγεῖσθαι, νομίζειν*.

Euripidis in scena Philosophi sententiæ pleræque, ad humanitatis virtutisque pulcritudinem commendandam, aut emendandos mores, vitamque bene informandam, aut rempublicam administrandam sunt comparatæ; ex perditis autem tragœdiis exquisitissimas quasque nobis veteres custodiverunt, hujus inprimis Tragici versibus tanquam veris optimi morum magistri præceptis usi, vel tanquam sapientissimi viri testimoniis. Hoc cum cadere nequeat in dubitationem, multum erraret opinione sua, qui reliquias dramatum Euripideorum cum cujusvis Græci Poëtæ vel alterius Scriptoris fragmentis æquipararet, Sophocleis

verbi gratia, vel Callimachi, vel Nicandri. Ut enim his similibusque soli delectantur antiquitatis amatores, quæque his insumitur redintegrandis opera non magnam in universum præstare plerisque videtur utilitatem, Euripidea neminem arbitror vilipendere posse, qui quidem illa paulo propius cognoverit, atque usu didicerit, quantam in animis hominum bene moratorum vim habeant paucis expressa magnorum virorum dicta præ prolixis Philosophantium disputationibus; quique, præter alios veteres Christianos, Clementem legerit Alexandrinum, atque ex locis, huic uni conservatis, perceperit, quam prope in istac caligine superstitionis ad veritatis lucem Euripides accesserit.

Non vulgarem itaque laudem ab omnibus Barnesius fuisset promeritus, qui ex perditis illius Tragœdiis sua nobis in Editione plusquam duo mille et quadringentos versus annumeravit, si per tot libros veteres dispersas dramatum istorum reliquias, aut prout legerentur, aut emendate scriptas in unum libellum collegisset; et, si quid esset a se mutatum, et, qua in sede singulæ legerentur, magna cum cura nobis annotasset. Sed minimum duo millia horum versuum vir Illustris H. Grotius interpretatus Latine partim in Stobæo suo dederat, partim in Excerptis ex Tragœdiis et Comœdiis Græcis, viamque demonstraverat, qua diversorum dramatum inveniri possent fragmenta, facillimam. Hanc viam Barnesius ingressus alteri tamen fragmentorum ex duobus istis libris describendorum munus demandavit; in qua re dici vix potest quanta ubique incuria Barnesianus ille amanuensis fuerit grassatus. Apud Stobæum reperta sedis incertæ fragmenta cum ad illud pleraque drama retulisset, e quo præcedens petitum diceretur, multa dedit velut ex perditis tragœdiis, quæ legerentur aut in tragœdiis integris, aut ad alia loca pertinerent: postquam typis jam essent descripta, nonnunquam erratum Barnesius animadvertit, cujus in Cressas v. 21, Inon. v. 72, v. 80, notas inspicienti patebit quod dicebam; illud etiam, alterius hac in re opera usum Editorem, ob hanc negligentiam jure culpandum. Gravioribus negotiis occupato Doctori satius fuisset hæc non attigisse, quæ poscebant mentem ab omnibus aliis curis vacantem.

Sive autem huic debeantur additamenta, seu alteri, quæ accesserunt ad Grotiana, sunt illa oppido pauca; nam ne trecentos quidem versus conficiunt; quorum forte dimidia pars multo rectius fuisset prætermissa. Si veterum libros, ipsius etiam Stobæi Florilegium, diligentius tractassent, alia plurima reperiri potuerant, quæ sine controversia de perditis essent Euripidis dramatibus repetita. Sedes fragmentorum a Barnesio raro fuit indicata; vix unquam prisca lectio versuum, a Grotio sic interpolatorum, ut vulgatas tamen ille lectiones in notis suis plerasque fideliter exhiberet. Utrumque autem in hoc instituto pernecessarium fuisse fatebuntur, quotquot harum rerum sunt scientes. Inimitabilis ille Græcorum Poëtarum interpres multa Grotius librariorum peccata feliciter emendavit, sæpenumero tamen etiam in Euripideis 'Virorum maximus legitimum Atticæ scenæ sermonem violavit,' quod sane verissimum judicium ut omnibus approbarem verbis proposui Tiberii Hemsterhusii, sic scribentis ad Scholion in Lucian. p. 556. In his Euripidis locum invenit vel inprimis, quod de Poëtis veteribus in universum scribit Porphyrius in Quæst. Homer. c. viii, *τὰ ποιήματα σχεδὸν ἀνάπλεω πάντα τυγχάνει ἁμαρτημάτων γραφικῶν, καὶ τῶν ἄλλων παραδιορθωμάτων πάνυ ἀγροίκων.* Tantum non omnia *τὰ τοῦ πάνυ παραδιορθώματα* in versus admisit Euripideos Barnesius, recepitque tanquam senarios solutam interdum orationem, cui speciem quandam versuum indiderat Grotius, velut in Œdipum v. 3–6, et alibi, quorum similes et ipse poëta tornavit in Stheneb. v. 11, Phryxi v. 33, Inc. Trag. v. 442, 443, &c. Ista talia si cautos lectores doctosque minime fallunt, quibus fontes accedere licet; alios tamen sæpius in errores abduxerunt, velut Euripidea nobis excitantes, quæ Grotii sint aut alterius. Olim quanto opere doctis hominibus illud facinus displiceret, præter ceteros, fratres monstrant Canteri, Gulielmus Nov. Lect. vi, c. 23, Theodorus Var. Lect. ii, c. 17; ex quibus Variarum Lectionum libris æstimare licet juvenem eruditissimum in Euripidis aliorumque Tragicorum inter se comparandis reliquiis fuisse occupatum; qui, si hoc viveret ævo, unus omnium foret his tractandis aptissimus. Nec periit Theodori Canteri labor, Clariss. Jacobo

Philippo D'Orvillio laudatus in Vanno Crit. p. 251, et hodiedum ornat Præstantissimi Joannis D'Orvillii Bibliothecam. Sed, ut illuc redeam, nihil in hac certe postrema parte protulit Euripidis Editor, quod absque illo homines ignorassent literati, et ne unicam quidem suam alicujus momenti correctionem. In quorum quidem manus nondum venisset illa R. Bentleii ad Jo. Millium Epistola, cum prodiret Euripides Barnesii, in his fragmentis nonnulla forte laudaverint velut nova, Ἀλκμαίωνα τὸν διὰ Ψωφῖδος· diversa dramata inscripta Κρῆτες et Κρῆσσαι, et alia quædam minime vulgata, Barnesiis certe ante incognita, quam ista, qui solus forte viderat, primus monuisset Bentleius in perdocta Epistola; in qua cum hæc scripserit p. 20, "non placere sibi eorum rationem, qui, cum meræ corniculæ sint, emendicatis hinc inde plumis germanos pavones se pollicentur;" quanta Bentleii debuit esse indignatio, cum sic a Populari suo, Græcæ tamen Linguæ peritissimo, dilaceratas Tragici videret reliquias, quas ipse, juvenis, tam solicita cura composuisset; nam ex eadem didicimus Epistola, fragmenta omnium Poëtarum Græcorum cum emendationibus et notis grande opus edere olim Bentleium constituisse. Hoc quale fuisset opus pars ejus exigua demonstrat, quæ publicata prostat, exhibens operum Callimachi perditorum reliquias; qua nihil in hoc genere præstantius prodiit aut magis elaboratum. In Lysiacis reliquiis colligendis Bentleii laudem æmulatus est, rebus nuper humanis, quod dolemus, ereptus, Clarissimus Demosthenis Editor Joannes Taylor. In Latinorum tamen Poëtarum aliorumque Scriptorum componendis fragmentis tanta cum cura versati sunt Hier. Columna, Franc. Dousa, Jos. Scaliger, Jan. Rutgersius, Petr. Scriverius, aliique, ut horum ad exemplum sua concinnasse videri queat Bentleius; sed in Græcis plerique infra laudem istam substiterunt, a qua Barnesius quam longissime abfuit in Euripideis. In his plurimos errores nuper profligavit vir Clariss. Benj. Heathius Notis suis in Euripidem, cujus fragmentis Barnesianis ejecit multa, addidit etiam non pauca, de Tragicis in universum bene meritus. Sed Heathius etiam, vir doctissimus, variis exemplis monstravit, quam sit illud perdi-

torum dramatum reliquias colligentis 'Periculosæ plenum opus aleæ :' illorum specimen duæ tresve operis utilissimi paginæ præbere poterunt. Velut incertorum dramatum omissa Barnesio fragmenta posuit ex Ammonio verba Euripideæ Antiopes; ex Etymologico M. mendosa, quæ recte scripta præbet ejusdem libri p. 537, 34,

Κρήμνη σεαυτὴν ἐκ μέσης ἀντηρίδος.

præterea verba Medeæ Euripidis v. 1382. Ex Scholiis in Pindarum, quæ prostant in Inone v. 15. Ex Eustathio quatuor fragmina; quorum primum extat in Eurip. Phœn. v. 1471. (in Phœn. v. 70, et 965, leguntur prolata ex Scholiis in Hesiodum et Plutarchi T. ii, p. 407. D.) secundum supra recte mecum ad Palamedem retulerat. Tertium,

Ἄλλοισιν ἄλλος θεῶν τε κἀνθρώπων μέλει,

Hippolyti versus est 104. Quartum tanquam ex Euripidis Polyido minus vitiosum Scholion exhibet ineditum in Homer. Il. *K*, v. 56. In istis suis ad Homerum commentariis centena nobis excitans Euripidea, unicum, quod mirandum est, ex Aristophane Grammatico tantum præbet senarium Eustathius, omnibus prætermissum, ex incerta Tragœdia deperdita petitum; hunc nimirum ad Il. *E*, p. 429, 52, qui proverbii vim obtinuit:

Ἔνδον γυναικῶν καὶ παρ' οἰκέταις λόγος.

prout scribendum pro *οἰκέτας*. Quæ tanquam Euripidea Suidas exhibet in v. *Λογισμὸς*, Sophoclis esse monuit Clariss. Jo. Toupius Em. in Suid. ii, p. 133. Dum egregia nobis in eadem pagina describeret ex Strabone Heathius, olim, ut equidem arbitror, in Cresphonte lecta, cur suavissimum versum omisit intermedium, neque interpreti animadversum, viii, p. 563. B.?

Παμισὸν, εἰς θάλασσαν ἐξορμώμενον.

In hac vero parte addendorum si permultum deficere dixero, qua est humanitate vir Clariss. moleste non feret, quam sibi sumit more suæ gentis libertatem laudabilem aliis non denegaturus.

Quod si quis igitur, omnibus ad eam rem præsidiis instructus, his etiam brevioribus Tragicorum reliquiis edendis manum admoverit, multa reperiet, quæ priores sibi peragenda reliquerint; a quo non sane postularem, ut incertæ sedis fragmenta laboraret ad certam reducere, aut operose veterum nobis loca designaret, qui quidem ad singula Tragicorum dicta nobiliora respexerint tantum; quorum hoc in multis præstare potuisset Theologorum literatissimus Th. Gatakerus; utrumque non nisi a perpaucis, qui proximi Bentleium, aut Hemsterhusium accessuri sint, expectandum videtur: sed illud tamen requirerem, ut ex omnibus veterum libris, quibus sua Grotius, Barnesius, Heathius, derivarunt, aut etiam aliis collecta, in ordinem legitimum disposita, maxima cum fide, etiam depravatissima quævis, nobis repræsentarentur. Huic inprimis ceterisque *Φιλευριπιδείοις* hæc opella mea proderit, tametsi non deteriora dari potuissent in Sophocleis, Euripideis præsertim Fragmentis, hinc inde selectis, illuminandis emaculandisque dicata. Quando de Barnesio forte plura dixi quam necesse erat, is autem primo loco Danaës Euripideæ collocavit ex Stobæo reliquias, Danaës *ἀποσπασματίῳ*, quod Hieron. invenerat Commelinus, subjectas, de his primum pauca ponam, quibus a me dicta confirmentur.

Primos octo versus, Plutarcho servatos T. ii, p. 306. A. Grotius in Excerptis ad Danaën retulit: Grotium secutus Barnes. in nota, “ Hunc,” ait, “ locum alii ad Dictyn fabulam referendum putant: ” cur Bentleium non nominat? qui in Epist. ad Jo. Millium, Barnesio lecta, p. 15, solus monstraverat, locum ex Euripidis esse Dictye repetitum. Danaës ex Stobæo fragmenta, qualia dederat Grotius, exhibuit pleraque Barnes. illius conjecturas, non Euripidæ verba, nobis mox in primi fragmenti postremis versibus exhibens:

Οἱ ζῶσι σὺν κακοῖσιν, οἱ δ' ὄλβου μέτα·
Φθίνουσι δ' αὐτοὺς πρόσφοροι μετἄλλαγαί.

His deceptus Clar. Heathius scribendum putabat, *Φθίνουσι δ' αὖ τοὺς*— ut, *τοὺς* pro *τινὰς* posito, sensus esset, ‘ quosdam porro perdunt etiam mutationes istæ, quæ utilitatem afferre

videntur.' Ne reliqua dicam, præter insolentissimum illud τοὺς, quo nobis argumento persuadebunt, Φθίνειν verbum esse transitivum? Sua se Grotius e conjectura dedisse fatetur in Ecl. Stob. p. 141, pro vulgatis a Cantero p. 16,

Ζῶσίν τε σὺν κακοῖσιν,—

Φθίνουσ' αἰτίοις προσφόροις μετ' ἀλλαγαῖς.

Hæc, sic legitimo more redintegrata, nobis, ut puto, restituent Euripidea:

Φθίνουσ', ἐτείοις προσφερεῖς μεταλλαγαῖς.

'Intereunt, annuis similes commutationibus.' Ponam et vicinos versus, prout legendi videntur:

Οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα, τῶν μὲν εὐτυχεῖ
Λαμπρᾷ γαλήνῃ· τῶν δὲ συννεφεῖ πάλιν,
Ζῶσίν τε σὺν κακοῖσιν· οἱ δ' ὄλβου μέτα
Φθίνουσ', ἐτείοις προσφερεῖς μεταλλαγαῖς.

Φθίνειν non 'perdere,' sed significat 'perire,' sive 'deficere:' ut in hac ipsa ῥήσει· Θάλλειν τε καὶ μὴ, ζῆν τε καὶ φθίνειν ποιεῖ. Soph. Œd. in Col. v. 603, Φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς, φθίνει δὲ σώματος. apud Etymol. p. 602, 2. et in Euripideæ Inonis fragm. (v. 59.) quod partim ex Stobæo Gesn. p. 561, 20. Grot. p. 435. Plutarch. ii, p. 104. B. Gataker. in M. Antonin. vii, 40, sic debuerat vulgari:

Ἄνασσα, πολλοῖς ἔστιν ἀνθρώπων κακά·
Τοῖς δ' ἄρτι λήγει· τοῖς δὲ κίνδυνος μολεῖν.
Κύκλος γὰρ ὡὐτὸς καρπίμοις τε γῆς φυτοῖς,
Θνητῶν τε γέννᾳ· τῶν μὲν αὔξεται βίος,
Τῶν δὲ φθίνει τε, καὶ θερίζεται πάλιν.

'Interire' dicuntur, ἐτείοις προσφερεῖς μεταλλαγαῖς, 'anniversariis vicissitudinibus non dissimiles:'—'Similes' non tantum ἐμφερεῖς, παρεμφερεῖς, προσεμφερεῖς, sed et Euripidi dicuntur προσφερεῖς· Or. v. 408, νυκτὶ προσφερεῖς κόρας. Herc. v. 131. Cycl. v. 435. Helen. v. 566. 597, Ἑλένῃ προσφερὴς, quæ transsumsit Philostr. de Vit. Soph. ii, p. 570.—Ubi paulo ante mentio facta fuerat θέρους et χειμῶνος, facile patebat attendenti, ἐτείους μεταλλαγὰς esse τὰς τῶν ὡρῶν μεταβολὰς, 'anniversarias vicissitudines,' Ciceroni de N. D. ii, c. 38,

'annuas commutationes,' de Invent. i, c. 34. Herodot. ii, c. 77, in Ægypto οὐ μεταλλάσσουσι αἱ ὧραι· ἐν γὰρ τῇσι μεταβολῇσι—τῶν ὡρέων, &c. 'Annuus,' ἐτήσιος, et ἐπέτειος, hic paulo insolentius dicitur ἔτειος. ut in Rhesi v. 435, Pindaro Ἰσθ. iv, 114. ὥρας ἐτείους, præbet Diogenes L. ix, 10. Suidas: Ἔτειον, ἐνιαύσιον. Hesych. Ἔτειον, τὸ κατ' ἔτος, ἐτήσιον. In Epist. Socrat. xviii, Xenophon suos e schola Socratis sodales invitat in secessum Scillunteum, ad agendum illic 'festum diem anniversarium in honorem Deæ venatricis;' ubi vulgatur: ἄγοντες τὴν εὔϊον ἑορτὴν τῇ Ἀρτέμιδι· 'festum fortunatumque diem,' L. Allatio; unius literæ mutatione scribendum, ἔτειον ἑορτήν· eodem errore in iisdem Epist. p. 73, v. 8. Ἀρόταν transiit in Ἀρύαν. Sed hic persequar Euripidea ex Danaës dramate; in quorum versum 84, scripti Cod. Paris. lectio, Πρέπει, admitti posset, Grotio memorata; in versum 91, Plutarchea,

Ἔρως γὰρ ἀργὸν, κἀπὶ τοιούτοις ἔφυ.

(Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.)

uti legendum vidit B. Martinus Var. Lect. ii, c. 6, ante Jo. Piersonum Verisim. i, c. xi. p. 135. Ad vocem, τοιούτοις, quempiam ascripsisse reor τοῖς ἀργοῖς, atque inde natam lectionem, quæ prostat in Stobæi Florilegio. Ejusdem loci versus, aliis etiam tentatus, sic forsan legi posset:

Ἐν τοῖς δ' ἔχουσ' ἔφηβος ἐμπέφυχ' ὅδε.

Pro νὴ τὸν Ἔρωτα, Meleager in Epigr. inedito scripsit,

Ναὶ τὸν ἁβρὸν ἔφηβον ἐπόμνυμαι, Ἀντίοχος μὲν
Ἦν ἂν Ἔρως, ὁ δ' Ἔρως τοὔμπαλιν Ἀντίοχος.

Sed præstiterit fortasse versum, voce tantum transposita, cum Joanne nostro Luzacio legisse:

Ἐν τοῖς δ' ἔχουσι πέφυκεν ἡβητὴς ὅδε.

Huic senario qui proxime subjiciuntur apud Stobæum p. 399, 5, tanquam ejusdem Poëtæ, ad Danaën in Edit. Barnesii sunt relati: si illinc sumti sunt, a præcedentibus separari saltem debuerant.

Paulo post duo versus (106, 107,) collocantur ex Stobæo

Grotii p. 301, (Ed. Gesn. p. 432, 3.) ad quos alii duo recte adjiciuntur in Addendis: junctos hos quatuor præbet Stobæus p. 452, 38. Grotii p. 330.

Γυνὴ μὲν, ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ λέχους·
Τὸ δ' ἄρσεν ἕστηκ' ἐν δόμοις ἀεὶ γένος
Θεῶν πατρῴων καὶ τάφων τιμάορον.

Τιμάορον corrigendum, pro *τιμᾷ ὅρον*, vidit Th. Stanlei. ad Æschyl. in Choëph. v. 141, *σοῦ, πάτερ, τιμάορον*, 'tui, pater, ultorem:' idem H. Valesio venit in mentem ad Harpocrat. p. 33, scribenti tamen *τιμήορον*. hoc velut suavius Apollonius Rhod. aliique probarunt: formam *τιμάορον*, magis congruam gravitati scenæ tragicæ, adhibuit Æschylus l. c. in Agam. v. 523. v. 1587. Suppl. v. 43. Æschylum secutus Euripides, 'vindicem,' *τιμάορον*, 'conjuges' (*συνηόρους* aliis) *ξυναόρους* dixit; 'uxorem' non tantum *ξυνάορον* in Or. v. 653. 1594. 1604. Phœn. vs. 1689. Alc. v. 824. et apud Clem. Alex. Strom. iv, p. 621, 22. sed et 'maritos,' *ξυναόρους*· in Or. v. 1141, *Νύμφας [τ'] ἔθηκεν ὀρφανὰς ξυναόρων.* illinc Hesychius: *Ξυναόρων, ἀνδρῶν.* Idem: *Ξυνάορον, τὴν συμβιοῦσαν γυναῖκα γαμετήν.* Ad eandem rationem *Τέτρωρον ἅρμα* scribitur et *τετράορον.* est autem horum similiumque ut origo sic eadem significationis translatæ ratio, attendenti non obscura.

Possent et alia quædam ad Danaës fragmenta notari; sed unum nunc tantum attingam, sic vulgatum:

Φιλοῦσι μέν τοι τῶν μὲν ὀλβίων βροτοὶ
Σοφοὺς καλῆσαι τοὺς λόγους.

Plerique plenum judicant sapientia,
Quicquid profantur divites.—*Grotius.*

vulgaris quidem ista sententia, verbisque aliis Euripidi sæpius expressa; eleganter in senario, quem dedit Sextus Empir. p. 277,

Κάλλιστα Μουσῶν φθέγγεται πλουτῶν ἀνήρ.

Sed, nisi egregie fallor, sibilis in Attica scena fuisset exceptum, doctis auribus inauditum, illud *καλῆσαι*, æque ac *κομπῆσαι*, alibi male positum. Ubi vulgavit ista Grotius in

Stobæi sui Tit. xcvii, p. 391, in notis, "Quia," ait, "Euripidi ascribuntur hi versus, putavi καλῆσαι a Poëta scriptum: quod autem hic legitur ἡγεῖσθαι esse ex glossemate." In Stobæo Gesneri legerat p. 519, 40,

Σοφοὺς ἡγεῖσθαι τοὺς λόγους.—

Sine cunctatione corrigendum arbitror:

Σοφοὺς τίθεσθαι τοὺς λόγους.—

Hic velut interpretamentum scribi potuit ad Τίθεσθαι] ἡγεῖσθαι, νομίζειν. potuit etiam genuina vox in illam depravari, ut sæpe *ΤΙ* et *Η* inter se male transmutata varia nobis loca corrupere. 'Putare,' 'reputare,' τὸ ἡγεῖσθαι sæpe veteribus dicitur Τίθεσθαι ob eam rationem, quam indicarunt Casaubonus, et Hemsterhusius in Misc. Obs. v, 3, p. 66. In versu Medeæ 572, Τὰ λῷστα καὶ κάλλιστα πολεμιώτατα Τίθεσθε· scribi etiam ab Euripide potuit Ἡγεῖσθε· sic paulo ante, πάντ' ἔχειν νομίζετε. Soph. Elec. v. 1282, Δαιμόνιον αὐτὸ τίθημ' ἐγώ. Philoct. v. 513, τὸ κείνων Κακὸν τῷδε κέρδος Μέγα τιθέμενος· 'illorum damnum huic velut in lucro ponens,' vel 'in lucri rationes referens:' proximum accedit ad illud hoc in Xenophontis qui dicitur Agesil. p. 66, ἐχθρὸν μὲν οὐδένα ἡγούμενος πολίτην,—σώζεσθαι δὲ πάντας κέρδος νομίζων, ζημίαν δὲ τιθεὶς εἰ καὶ ὁ μικροῦ ἄξιος ἀπόλοιτο. Sapiunt et ista Sophistam, qui meminerat ἡγεῖσθαι et τίθεσθαι vel τιθέναι in multis loquendi formis promiscue poni: Heliodor. viii, p. 404, 30, φιλίους μᾶλλον ἢ πολεμίους τοὺς ἐπιόντας ἐπιτιθεμένη· paulo post, pro τίθεσθαι, πείθεσθαι ex Codicibus, hic scribendum τιθεμένη· sic v, p. 210, 14, malum ἀγαθὸν μέγιστον τιθέμενοι· et viii, p. 375, 29. 'Pro nihilo ducere' Græcis dicebatur παρ' οὐδὲν ἄγειν· παρ' οὐδὲν ποιεῖσθαι· vel ἡγεῖσθαι, vel τίθεσθαι. quorum hoc est in Æsch. Agam. v. 238. Lucian. i, p. 528. παρ' οὐδὲν τίθεσαι τὸν εὐεργέτην. Clem. Alex. p. 539, 1, παρ' οὐδὲν ἡγοῦνται τὸ ζῆν· quod ἐν οὐδενὸς τίθεσθαι λόγῳ Pausaniæ p. 875, 76, aliisque. Aliquid sive aliquem ἐν τιμῇ τίθεσθαι, vel ἐν αἰσχρῷ, sunt Euripideæ phrases; aliorum, τίθεσθαι ἐν γενναίοις· ἐν φιλοσόφοις· ἐν οὐδενί· ἐν λόγῳ πολλῷ· ἐν μεγάλῳ· "in magno habere," Sueton. Cæs. c. 23. Casaub. "in gloria ponebant," Livii xxvi, c. 37. Thomas Mag. Ἐν σπανίοις ἐτίθει· κάλλιον, ἢ σπάνιον ἡγεῖτο.

CAPUT II.

De numero perditorum Euripidis Dramatum.

Euripidis perdita dramata minimum LVI. Multo plura vulgo numerari. Apollodori Chronica senariis scripta. Fuerintne *Ξάντριαι* Euripidis et *Κάδμος*. Schol. in Aristoph. et Probus emend. Scripseritne Eurip. Atrea, Thyesten, Cercyona, Nioben, Sisyphum, Phrygas. Carcini Alopes fragmentum. Niobe Sophoclis et Æschyli. Athenæi locus explic. Socratis amicus Eurip. Tentatur locus Æliani. Indice dramatum Eurip. ejicienda nomina. Terea Sophoclis fuisse, non Eurip. *Βάκχαι ἢ Πενθεὺς* unum drama. Interlocutores dramatum sæpe peperisse ficta nomina. Aufertur Diphilo Comœdia. Euripidis *Λικύμνιος*. Photii peccata ex dramatum nominibus Poëtas efformantis, Dictyn, Hypobolimæum, etc.

EURIPIDEM quinque et septuaginta Tragœdias scripsisse M. Varro testatur apud A. Gellium N. A. xvii, c. 4. Totidem nobis etiam innotuerunt: nam, præter XIX quæ supersunt dramata, (Rhesum etiam Euripidi tribuerunt,) ex perditis tragœdiis sex et quinquaginta pervenerunt ad nos fragmenta. Dramatum deperditorum, quæ sine ulla dubitatione nobilissimo Tragico contribui debent, hæc sunt nomina:

Αἰγεύς.
Αἴολος.
Ἀλεξάνδρα, ἢ Ἀλέξανδρος.
Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος.
Ἀλκμήνη.
Ἀλόπη.
Ἀνδρομέδα.
Ἀντιγόνη.
Ἀντιόπη.
Ἀρχέλαος.
Αὔγη.
Αὐτόλυκος Σατυρικός.
Βελλεροφόντης.
Βούσιρις.
Γλαῦκος.
Δανάη.
Δίκτυς.
Ἐρεχθεύς.
Εὐρυσθεὺς Σατυρικός.
Θερισταὶ Σάτυροι.
Θησεύς.
Ἰνώ.
Ἰξίων.
Ἱππόλυτος καλυπτόμενος.
Κρεσφόντης.

Κρῆσσαι.	*Πειρίθους.*	*Σκυρίαι.*
Κρῆτες.	*Πελιάδες.*	*Συλεύς.*
Λαμία.	*Πηλεύς.*	*Τήλεφος.*
Λικύμνιος.	*Πλεισθένης.*	*Τήμενος.*
Μελανίππη ἡ σοφὴ, ἡ δεσμῶτις.	*Πολύειδος.*	*Τημενίδαι.*
	Πρωτεσίλαος.	*Ὑψιπύλη.*
Μελέαγρος.	*Ῥαδάμανθυς.*	*Φαέθων, ἢ Κλυμένη.*
Οἰδίπους.	*Σθενέβοια.*	*Φιλοκτήτης.*
Οἰνεύς.	*Σίσυφος Σατυρικός.*	*Φοίνιξ.*
Οἰνόμαος.		*Φρίξος.*
Παλαμήδης.	*Σκείρων Σατυρικός.*	*Χρύσιππος.*

In hoc numero cum Varrone consentiunt ista Suidæ in *Εὐριπίδης·*—*δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας οέ.* sed addit Suidas: *κατὰ δὲ ἄλλους ἐννενήκοντα δύο· σώζονται δὲ οζ'.* quæ postrema demonstrant antiquitatem Grammatici, cui debentur. Præter ceteros, de numero Tragœdiarum Euripidis probabiliter egerat in Chronicis Apollodorus Grammaticus nobilissimus; ex quibus ista de Menandro nobis servavit A. Gellius N. A. xvii, c. 4,

> *Κηφισιεὺς ὢν ἔκγε Διοπείθους πατρὸς,*
> *Πρὸς τοῖσιν ἑκατὸν πέντε γράψας δράματα,*
> *Ἐξέλιπε πεντήκοντα καὶ δυεῖν ἐτῶν.*

vocem *δυεῖν* dedit Ms. Franeq. pro *ἐκ* in versu primo scripsi *ἔκγε.* Hinc quoque liquet, quod ex Stephano Byz. noveramus, et ex Diogenis Laërt. viii, 52, (ubi senarios latere primus forte vidit Adrianus noster Heringa,) Chronica sua versibus scripsisse senariis iambicis Apollodorum, quod disertis etiam verbis Scymnus Chius testatur in Periegesi v. 33, &c. cujus eam in rem testimonio Th. Galeus jam usus est in Dissert. de Script. Mythol. c. vi.—Numerum Tragœdiarum etiam XCII explevit superavitque Jo. Meursius in Euripide; sed præter istas LVI, a me designatas, quæ Meursio, Barnesio, aliisque commemorantur velut Euripidis Tragœdiæ, aut nulla nituntur, aut certe dubia auctoritate. Harum classe tamen excipi duæ fortasse poterunt, atque ad Euripideas LXXV adjici,

Κάδμος, et *Ξάντριαι.*

Euripidis *Ξαντρίας*, Asclepiadis auctoritate munitas, nobis præbet, atque illinc decerptum Fragmentum, Scholion in Aristoph. Ran. v. 1385. *Νύμφαι ὀρεσίγονοι*] *Ἐκ τῶν Ξαντριῶν Εὐριπίδου φησὶν Ἀσκληπιάδης,—Νύμφαι ὀρεσιγόνιαι θεαῖσιν ἀγείρω Ἰνάχου Ἀργείου, ὑπὸ ποταμοῦ παισὶ βιοδώροις.* In his literas primum *ὑπὸ*, ex proximis male repetitas, delendasque mecum vidit elegantiss. Jo. Piersonus. Quænam Tragico dicta fuerit *ἀγείρουσα*, latuisset, opinor, absque Platone, qui L. ii. de Republ. p. 381. D. 'nec in tragœdiis,' ait, 'neque in aliis quis poëmatibus *εἰσαγέτω Ἥραν ἠλλοιωμένην ὡς ἱέρειαν, ἀγείρουσαν Ἰνάχου Ἀργείου ποταμοῦ παισὶ βιοδώροις.*' prout recte vulgavit pro *βίου δῶρα* H. Stephanus. Junonem itaque, assimilantem anum sacerdotem, quæ 'Nymphis montanis deabus Inachi filiabus almis stipem cogeret,' ista Tragicus in scena fecerat dicentem, hoc forte modo constituenda:

Νύμφαισιν ὀρεσσιγόνοισι θεαῖς
Ἀγείρω Ἰνάχου ᾿ργείου
Ποταμοῦ παισὶν βιοδώροις.

Sed Euripides ista dixerit an Æschylus dubitari poterit: Æschyli *Ξάντριαι* citantur et aliis; Euripideæ nusquam alibi; et similia Æschyli peccata plura damnat etiam in vicinia Plato, p. 380, et p. 383; Euripidis, quod meminerim, nullum.

Velut ex Euripidis Cadmo quædam excitat Probus in Virgil. Eclog. vi, 31. quæ sic mendosa feruntur in Editionibus: "aëra—Euripides in Cadmo *Χάος* appellavit sic: *οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς καινῶς φοιτῶν ἕδος δαιμώνιον, τόδ' ἐν μέσῳ τοῦ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος.*" His paulo emendatius scriptis usus est Jos. Scaliger. Conj. in Varron. p. 81, *οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς κενὸς, φώτων ἕδος δαιμόνιον. τὸ δ' ἐν μέσῳ οὐρανοῦ*, &c. ut erant, vitiosa protulit Clar. Benj. Heathius Not. in Eurip. Fragm. p. 171. Meliora quidem, necdum tamen sincere scripta prout olim prodierant, præstare ausim, si sic legantur:

. . . *οὐρανός θ' ἡμᾶς ὕπερ*
Καὶ γῆ, βροτῶν κοινόν τε δαιμόνων θ' ἕδος.

Τὸ δ' ἐν μέσῳ τοῦ τ' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
Χάος μὲν ὀνομάζουσιν

Hujus nominis si scripsit Euripides tragœdiam, in illa forte Cadmus dixerit, dum in anguem mutaretur, quæ velut Euripidea nobis servavit Hermogenes p. 226, et 227,

Οἴμοι· δράκων μου γίγνεται τόγ' ἥμισυ·
Τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί.

Illic nullam quidem Rhetor Cadmi facit mentionem, sed p. 484, *Κάδμος*, inquit, *δράκων ἐγένετο ἐξ ἀνθρώπου·* et res manifesta est: Euripidea quinimo spectabat Ovidius Met. iv, 584.

me tange, manumque
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.

Dubia nituntur auctoritate, quæ dicuntur Euripidis

'Ατρεύς.	*Νιόβη.*
Θυέστης.	*Σίσυφος.*
Κερκύων.	*Φρύγες.*

Euripidis Atreo et Thyestæ quæ tribuuntur, desumta videntur ex ejus Cressis, quarum argumentum ante ignotum plerisque, certe Barnesio, primus patefecit vir in hoc quoque genere literarum maximus R. Bentleius in Epist. ad Jo. Mill. p. 23, 24. vid. Celeberr. P. Burmannus in Ovid. Trist. ii, 391.—Euripidis *Κερκυόνα* ex unico J. A. Fabricius memorat Eustathii loco, quinque vicibus citantis Euripidem *ἐν Κερκυόνι*, ad Hom. Il. *Ζ*, p. 522, 15. Od. *Θ*, p. 324, 28. *Ι*, p. 371, 46. *Λ*, p. 430, 38, *Φ*, p. 749, 7. Sed diversis istis locis, et ad Il. *Φ*, p. 1321, 31, ubi nomen tantum legitur Tragici, duo duntaxat attigit fragmina, Cercyonis filiam Alopen spectantia, ex Neptuni compressu—*γέμουσαν κύματος θεοσπόρου*, in quem illa dixerit nativa simplicitate sua,

Πλήσας δὲ νηδὺν οὐδ' ὄναρ κατ' εὐφρόνην
Φίλοις ἔδειξεν αὐτόν.

Probabiliter Clar. Heathius ad Euripidis Alopen referenda censuit. Excitans autem ista veterum Scholiis in Homerum Eustathius nullam certe legerat Euripidis aut alterius Tragœdiam, quæ nobis perierit.—Ὁ Καρκίνου ἐν τῇ Ἀλόπῃ Κερκύων nominatur Aristoteli Ethic. Eudem. vii, 7, p. 175, 3. in quibus errantes notavit P. Leopard. Em. xii, c. 21. hic, opinor, locus ex Aristotelis Eth. Eud. obversabatur H. Valesio ad Harpocr. in Καρκίνος, ubi ex Orat. Lysiæ c. Mnesimachum laudatur Καρκίνος ὁ ποιητὴς, εἰπὼν, Οὐ (Νοῦ, Vales.) κεῖνος ἐξέστησε, &c. vitia quando viri doctissimi reliquerunt intacta, egregiam Carcini Tragici sententiam, similem Euripideæ in Bacch. v. 318, ponam hic emendatius scriptam, suoque modulo illigatam,

Νοῦ κεῖνος ἐξέστηκε· τὰς γὰρ ἐν φύσει
Ὀρθῶς φρένας παγείσας
Οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.

Hujus quoque Tragici nomen ut Euripidei dramatis dederat Jo. Meursius: sed Carcino recte dictum vindicarunt Grotius et Th. Gatakerus.

Nioben scripserunt Æschylus et Sophocles: hoc nomine fabulam Euripidem docuisse non ante credam, quam alicunde fulcrum accesserit obscuro loco Aristotelis de Poët. c. xviii, p. 244, 15. nam, quod excitat Zeno Diogenis Laërt. viii, 29, ἐκ τῆς Νιόβης· Ἔρχομαι, τί μ' αὖτεῖς, aut Æschyleum est, aut, quod probabilius, Sophoclis, cujus dicto legitur usus etiam Zeno § 19. Utriusque Nioben frequenter laudant veteres, Euripideam nemo, si seponas locum Aristotelis. In Aristoph. Vesp. v. 578, Οἴαγρος—οὐκ ἀποφεύγει, πρὶν ἂν ἡμῖν Ἐκ τῆς Νιόβης εἴπῃ ῥῆσιν τὴν καλλίστην ἀπολέξας. Scholiastæ dicitur is actor 'repræsentasse τὴν Νιόβην, ἢ Σοφοκλέους ἢ Αἰσχύλου.' In Niobe definiverat Æschylus numerum Niobidarum; Euripides autem in Cresphonte, quod liquet ex Schol. in Eurip. Phœn. v. 162.—In Athenæi loco prima facie dubites Sophoclis an Æschyli Niobe sit intelligenda L. xiii, p. 601. A. καὶ Αἰσχύλος μέγας ὢν ποιητὴς καὶ Σοφοκλῆς ἦγον εἰς τὰ θέατρα διὰ τῶν τραγῳδιῶν τοὺς ἔρωτας, ὁ μὲν τὸν Ἀχιλλέως πρὸς Πάτροκλον· ὁ δ' ἐν τῇ Νιόβῃ τὸν τῶν παίδων. ad Æschyli Nioben hæc retulit Stanleius; male:

formula ὁ μὲν—ὁ δὲ monstrat prius ad Æschylum, ad Sophoclem posterius esse referendum, ut in simili loco p. 602. E. et alibi sæpius; sed scripsisse puto Athenæum: ἦγον εἰς τὰ θέατρα—τοὺς τῶν παίδων ἔρωτας· (ut p. 602. A.) ὁ μὲν τὸν Ἀχιλλέως πρὸς Πάτροκλον, ὁ δ' ἐν τῇ Νιόβῃ τὸν τῶν Νιόβης παίδων. Nioben hic Sophoclis esse intelligendam, hoc plane demonstrat Plutarchi T. ii, p. 760. D. τῶν τοῦ Σοφοκλέους Νιοβίδων (L. Νιοβιδῶν) βαλλομένων καὶ θνησκόντων ἀνακαλεῖταί τις οὐθένα βοηθὸν ἄλλον οὐδὲ σύμμαχον, ἢ τὸν ἐραστήν. Alterum Æschylo certe tribuendum (forsan in Myrmidonibus traditum,) liquet ex Platonis Symposio, T. iii, p. 180. A. Αἰσχύλος δὲ φλυαρεῖ φάσκων Ἀχιλλέα Πατρόκλου ἐρᾷν, &c. Sed tota mihi videtur observatio docti lectoris, verbis Platonis ex Scholio marginis interjecta.

Sisyphum, drama satyricum, una cum Alexandro, Palamede, Troasin, atque adeo tetralogiam istam quo anno detulerit Euripides in certamen docet Ælian. V. H. ii, c. 8. atque ex illa, velut fabula satyrica, perexigua quædam nobis innotuere fragmenta; sed istiusmodi fabulæ minime congrua prolixa ῥῆσις, quam ex ejus Sisypho Grotius et Barnesius exhibent, illa, meo judicio multum ab Euripideo scribendi colore diversa, Critiæ tanquam auctori tribuenda est cum Sexto Empir. p. 562. De hac re quid sibi videretur mallem non dixisset vir eximius, sed in hoc genere literarum minus exercitatus, quam judicem decebat, Jo. Laur. Moshemius ad Cudworthi Syst. Intell. p. 793.

Phrygum nomine scripsisse fabulam Euripidem mihi quidem non liquet ex frigido Mnesilochi joco apud Diog. Laërt. ii, 18,

> Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
> Ὧι καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

Recte, ni fallor, restituit secundum versum Jo. noster Piersonus,

> Ὧι καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης.

Si signum his subjiciatur interrogantis, nihil inde conficias nisi id unum, visum fuisse Socratem adjutasse Tragicum in scribendo, συμποιεῖν Εὐριπίδῃ· ibidem ex Aristophanis

Editione Nubium perdita duo versus proferuntur, sic, ni fallor, emendandi:

Εὐριπίδου δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
Τὰς περιλαλήτους οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Socratem certe noveramus et aliunde Nostri fuisse studiosissimum, ex his etiam Æliani V. H. ii, c. 13, *εἴποτε Εὐριπίδης—ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο. Καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου καὶ ἐκεῖ κατῄει.* Quid sit *καινοῖς τραγῳδοῖς ἀγωνίζεσθαι* docuit vir Summus in Lucian. i, p. 166, 167. nemo autem, quod sciam, quid sit *Πειραιοῖ ἀγωνίζεσθαι·* neque in Piræeo ullæ fabularum fuisse leguntur commissiones. Pro *καὶ Πειραιοῖ δ. ἀ.* corrigendum suspicabar, *καὶ ἐπὶ Ληναίῳ δὲ ἀγωνιζομένου.* Quod si rectum est, qui raro theatra frequentabat Socrates, non ille tantum nobilissimis ludis adesse scenicis dignatus fuit, cum novæ Dionysiis urbanis, *τοῖς ἐν ἄστει,* committerentur Euripidis Tragœdiæ, sed et Lenæis interesse, cum illic inter cives jam ante actæ repræsentarentur Euripideæ fabulæ: Lenæis enim aderant *μόνοι Ἀθηναῖοι, χωρὶς τῶν συμμάχων καὶ ξένων,* ut scribit Schol. in Aristoph. Acharn. v. 503,

Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.

Huic vero conjecturæ parum tribuo, cum illam approbare non potuerim Cl. D. Ruhnkenio, qui de Dionysiis perdoctam nuper edidit dissertationem in Auctario Emend. ad Hesychium. Sed hic agere cœperam de Tragœdiis Euripidis, quarum catalogo, præter illud *Καρκίνου,* hæc quoque nomina meo quidem arbitratu sunt eximenda:

Ἀλεάδαι.	*Κτίμενος.*	*Πολυνείκης.*
Δίδυμοι.	*Οἰλεύς.*	*Σκύλλα.*
Ἑλένης ἀπαίτησις.	*Πασιφάη.*	*Τέννης.*
	Πενθεύς.	*Τηρεύς.*
Καπανεύς.	*Πηνελόπη.*	*Τρῶες.*
Κλεῖδες.	*Πολύδωρος.*	*Φαίδρα.*

Ad Aleadas vel *Ἀλωΐδας* Euripidis duo retulit fragmenta Barnesius, quorum prius aut Sophoclis, aut ex incerta Euripidis est Tragœdia; posterius velut ex Sophoclis

Aloadis (Ἀλωάδαι genuinum dramatis esse nomen docuit Ti. Hemsterhusius ad Lucian. p. 495.) exhibet Stobæus Gesneri p. 239, 34. Grotii p. 162. hac ratione scribendum,

> *Κοὐκ οἶδ' ὅ, τι χρὴ πρὸς ταῦτα λέγειν,*
> *Ὅταν οἵ γ' ἀγαθοὶ πρὸς ἀγεννήτων*
> *Κατανικῶνται·*
> *Ποία πόλις ἂν τάδ' ἐνέγκοι;*

vulgatur v. 2, Ὅταν οἵ τ' ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγεννῶν, vel ἀγενῶν. Sophocleum, Ἀγεννήτων, δυσγενῶν interpretatur Hesychius. —Ἑλένης ἀπαίτησιν, quo nomine dramata scripserunt Sophocles et Timesitheus, cur Euripidi tribueremus nihil esse causæ Jo. Piersonus ostendit ad Moer. p. 172, et Benj. Heathius in Fragm. Eurip. p. 168. Monitumque fuit partim ab aliis, partim a Clar. Heathio, in Κλεισὶ, Κτιμένῳ, Οἰλεῖ, Τρωσὶ, vitiose scriptis, Euripidis latere Cretenses, Temenum, Sylea, (alter locus, ad Œlea relatus, Sophoclis est ex Ajace Locro :) Troadas.—

Ad Tennem unicum fragm. refertur: duo sunt diversorum senarii: Stobæus Gesneri p. 30, 39, eorum alterum exhibet tanquam ex Euripidis Tenne: in Τεννε vel Τημε. latet opinor Τημένῳ· alterum tanquam Sophoclis,

> *Σκαιοῖσι πολλοῖς εἷς σοφὸς διόλλυται·*

quem Sophocleum esse ipsa etiam indicat verborum structura: Tennes tamen, quod minime negem, aptam Tragœdiæ præbere potuit materiem; sed, quantum recordor, nullius drama hoc nomine memoratur alibi.—Ex Sophoclis Tereo petitus videtur versus apud Stobæum p. 145, 25,

> *Θάρσει· λέγων τἀληθὲς οὐ σφαλῇ ποτε.*

quem, sic scribendum, absque ulla ratione retulit ad Euripidis, incognitam ceteris, Terea, Meursium secutus sive Barnesius seu potius is, cujus in his summa incuria describendis opera Barnesius fuit usus. Nostri quoque Terea sibi Meursius apud Clementem Alex. detexisse videbatur; errantem notavit Thom. Gataker. A. M. P. c. xi, p. 533. F. quid verum esset hac in parte non ante constitit, quam emendata Clementis scriptio fuisset eruta Ti. Hemsterhusio, et indicata ad Schol. in Aristoph. Plut. p. 227. Præter

ceteros, Cl. P. Burmannum ad Ovid. Trist. ii, 389, in Tereo decepit Euripidis dramatum catalogus; quo Capanea, Penthea, Polynicen jam vidit Gatakerus ejiciendas; Pasiphaën, et Phædram, Fabricius.—Nulla, opinor, veteribus Polydori nomine memoratur Tragœdia: et crederemus Euripidis Polydorum innotuisse recentiori Grammatico de Dialectis scribenti? citat ille quædam ex Nostri Hecuba, in qua prodit in scenam εἴδωλον Πολυδώρου, ac si legerentur ἐν τῷ Πολυδώρου δράματι· illo doctiori debetur forte Vaticani Codicis lectio ἐν Πολυΐδῳ, doctissimo G. Kœnio memorata ad Gregor. de Dialect. p. 8. Unam legerat Euripidis Oresten Fulgentius; in Oreste lecta in tragœdia scribit Electræ reperiri Mythol. iii, c. 5. in Plautinis citandis simili fraude usus.—Argumentum nobilissimum, vulgatis Penthei nomine tragœdiis, tractarunt Thespis, Æschylus, Chæremon, et Jophon; si hujus tamen Pentheus a Bacchabus fuit diversa. Certe suspicor apud Suidam in Ἰοφῶν scribendum Βάκχαι ἢ Πενθεύς· Æschyleam quoque binominem fuisse Tragœdiam; et in veteri catalogo τῶν Αἰσχύλου δραμάτων κατὰ στοιχεῖον nomina Βάκχαι et Πενθεὺς male distracta: ex Euripidis Pentheo quæ pauca citantur, leguntur in ejus Bacchabus, quæ tragœdia in eximio Codice Florentino Euripidis Πενθεὺς inscribitur, ut in eodem Codice Euripidis Hippolyto præfigitur Φαίδρα· huc spectabat Is. Vossius ad Catull. p. 221, cujus industriæ debetur ad istum Codicem Euripidis aliquot dramatum instituta accuratissima collatio, quam Bibliotheca præbet Leidensis. Quandoquidem Sophoclis Phædra valde fuit nobilitata, minime mirandum est, hic illic sub Phædræ nomine citari, quæ sint ex Euripidis Hippolyto derivata: sæpenumero evenit, ut interlocutores dramatum veteribus commemorati tanquam dramatum nomina ab interpretibus aliisque viris literatis considerarentur: hinc prodierunt velut Euripidis Capaneus, Polynices, Pasiphaë, &c. errores etiam plures in indice dramatum Sophoclis. Comœdiæ quoque recensentur nonnullæ, nusquam olim inventæ: ut unam memorem, Diphili nobis Ἡμέραι excitantur Zenobio. In hujus Cent. iv, Pr. 18, Ἢ κρίνον ἢ κολοκύντην· vulgatur: μέμνηται ταύτης Δίφιλος λέγων ἐν Ἡμέραισιν, Αὐτὸς ἑπτά σοι γέρων, &c. Forma vocis pro-

ductior erroris admonere viros doctos debuerat: oblitera-bunt comœdiæ nomen senarii Comici sic restituti:

Ἐν ἡμέραισιν αὐτὸν ἑπτά σοι, γέρων,
Θέλω παρασχεῖν ἢ κολοκύντην ἢ κρίνον.

'Intra dies septem ipsum tibi, mi senex, tradam vel sanum vel mortuum.'—Fragmentum Antiopes Euripideæ apud Clementem Alex. Strom. v, p. 716, i. hinc in Euseb. Præp. xiii, p. 679. d. ipsi Frid. Sylburgio videbatur recentioris cujusdam Amphionis, his Clementis decepto, Ἀμφίων λέγει τῇ Ἀντιόπῃ. Non recordabatur vir eruditissimus Amphionis et Zethi, ex Antiope Nycteide Jovi natorum, quos in isto dramate egregio pro sua quemque arte fecerat Euripides concertantes; præter Antiopen Euripidis nullam hujus nominis legerat Tragœdiam Clemens: huic citatorum Auctorum indicem qui confecit J. A. Fabricio, præter istum, errores in hoc etiam genere turpissimos commisit. Accurate Schol. in Aristoph. Ran. v. 1114, prolato loco ex Euripidis Phryxo subjecerat: ἀλλ' ὁ λέγων ἐστὶ Φρύξος· 'sed qui dicit ista' in dramate ipse 'Phryxus est:' sic litera mutata corrige vocem vulgatam, ἀλλ' ὀλίγων ἐ. Φ.—Sed non erat omittenda, quam inter fictas sub Euripidis nomine Tragœdias secundo loco posui, Δίδυμοι. In Stobæi Eclogis Ed. Canteri p. 10. ad versum Euripidis legitur Εὐριπ. διδύμοις, videturque alibi in istius operis Codice scripto id ipsum invenisse Grotius: vid. viri Magni Excerpta ex Eurip. p. 380. et Gataker. A. M. P. c. xi. Hi dum nobis aliunde Gemini demonstrentur, tanquam apta Tragœdiæ, vel satyricæ saltem fabulæ, materia, suspicabor in illis latere nomen Λικυμνίου, tragœdiæ Euripidis, ut et alio loco in iisdem Eclog. p. 129; ubi ex Porphyrii de Styge libello multa nobis exhibentur Apollodori, hæc præter cetera: κατωνομάκασιν Ἀχέροντα μὲν διὰ τὰ ἄχη· ὡς καὶ Μελανιππίδης ἐν Περσεφόνῃ· hujus verbis ista subjiciuntur: ἐπεὶ καὶ Λικυμνῖοι φησὶ, Μυρίαις, &c. quæ, eleganter emendata,—μυρίαις παγαῖς Δακρύων Ἀχέρων ἀχέων τε βρύει, caute velut incerti posuit Grotius Ecl. Stob. p. 164. Mihi prorsus congrua videntur Euripidis ingenio, frequenter ἐτυμολογοῦντος, atque ex ejus petita Licymnio, ut adeo restituendum arbitrer: καὶ Εὐρι-

πίδης Λικυμνίῳ φησὶ,—μυρίαις πηγαῖς, &c. Poëta quidem fuit raro memoratus Licymnius, ut minime mirer, quæ velut Licymnii dederat G. Canterus, sub hujus nomine protulisse Hier. Columnam ad Ennii Fragm. p. 243. et Th. Galeum Diss. de Scriptor. Mythol. p. 28. Illud lætor, quam veram arbitror, lectionem in Stobæo dudum ante me detexisse Th. Reinesium V. L. iii, p. 346; nollem vero, virum literatissimum ab inventa veritate retractum auctoritate Photii, poëtas inter, e quibus excerpta dederit Stobæus, Licymnium quoque recensentis, Cod. 167. Non alibi fateor Licymnii factam Stobæo mentionem præterquam in isto loco; sed quid mirum illius etiam Codicem hoc loco fuisse vitiosum? Peccata autem Photii similia in hac ipsa recensione non animadverterat Reinesius: inter Poëtas, quibus usus fertur ad excerpta concinnanda Stobæus, Photio p. 195, numerantur, *Δικτὺς—Πολυειδῆς—Λικύμνιος—Ὑποβολιμαῖος.* In Polyïde non nescio quid disputari possit ex Aristot. lib. de Poët. c. 16 et 17, sed illud etiam novi, nullam istius in Stobæi Collectaneis factam mentionem; sæpius Euripidis in Polyïde, prout in margine scribi solet. Sed quæro cui tandem ex tota antiquitate innotuerint velut Poëtæ Dictys et Hypobolimæus? Non certe Stobæo, qui multorum genuina tamen scripta triverat, quorum ne nomina quidem aliunde haberemus cognita. Ut Philosophos, ex sodalitio Pythagoreorum, Sthenidam, Phintin; sic Photius nomina dramatum in Poëtas transformavit. Menandri Comœdia fuit *Ὑποβολιμαῖος·* Euripidis fuere Tragœdiæ, *Δίκτυς· Πολύειδος· Λικύμνιος.* De Photio cum plerisque nimis benigne judicans, Reinesius his animadversis de conjectura certe sua non dubitasset.

CAPUT III.

Exhibet Chrysippi Fragmenta.

Chrysippi dramatis fragmenta; unum perinsigne. Verba ficta a literis affectus indicibus, *ἄζειν· οἴζειν· ὤζειν·* &c. Versus incertæ sedis ad Chrysippum relati. Laii sententia; video meliora, deteriora sequor. Laïum auctorem inter Græcos dici *τοῦ τῶν ἀῤῥένων ἔρωτος*. Chrysippum, non a Jove raptum, sed secundum Praxillam forsan ab Œdipode, morte dedecus expiasse. Tradita Pisandro secutum Euripidem. Pelopis diræ. Tantalo et Minoi imputari, quod ab aliis datur Laïo.

Perpauca nobis reliqua sunt ex Euripidis Chrysippo, ultima fabularum in Dramatum Indice: in his exemplum ponam, ad quod perditarum Tragœdiarum reliquiæ mihi viderentur posse collocari, veterumque locis, in quibus leguntur, adnotatis muniendæ. Quod primum ponam Chrysippi fragmentum sanequam eximium, nec ulla parte defectum, sæpius repetitum, harum elegantiarum studiosis semper placiturum confido.

EX CHRYSIPPO, DRAMATE EURIPIDIS.

I.

ΣΤΑΣΙΜΟΝ ΜΕΛΟΣ.

Γαῖα μεγίστη, καὶ Διὸς αἰθήρ,
Ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
Ἡ δ', ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
Παραδεξαμένη, τίκτει θνατοὺς,
Τίκτει δὲ βορὰν, φῦλά τε θηρῶν·
Ὅθεν οὐκ ἀδίκως
Μήτηρ πάντων νενόμισται.
Χωρεῖ δ' ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ' ἐς γαῖαν· τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
Βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον

Πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
Τῶν γιγνομένων, διακρινόμενον δ'
Ἄλλο πρὸς ἄλλου
Μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξεν.

Horum versuum septem primos Sextus præbet Empir. Ἀντ. vi, § 18, p. 360. in exemplum *στασίμου μέλους*, qualia ad lyram canerentur in scena. Septem versus posteriores, velut Tragici, Philo Judæus *περὶ ἀφθαρσίας κόσμου* p. 948. C. D. Postremos, *θνήσκει δ' οὐδὲν*, &c. dederat et initio libri p. 939. D. quos repetit p. 963. E. ubi vocat *τὸ φιλοσοφηθὲν ὑπὸ τοῦ Τραγικοῦ*.—Ex Euripidis esse Chrysippo Grotius in Excerptis didicit ex Clemente Alex. Strom. vi, p. 750, 22, ubi, positis Empedoclis versibus, nisi quædam exciderint, quod suspicor, hæc proxima subjecit: *Εὐριπίδης ἐν Χρυσίππῳ μεταγράφει, Θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γινομένων· διακρινόμενον δὲ ἄλλο πρὸς ἄλλο μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν.* Accidit autem ut dissita sollertissime Grotius componens inter excerpendum duo versus apud Sextum relinqueret intactos, 6 et 7, quos, proinde etiam Barnesio prætermissos, illinc repetendos monuit Heathius.—vss. 8, 9, 10, et pars sequentis minus emendate scripti ubi citantur M. Antonino vii, 50, docta notat Gatakerus, ultimo versu, vulgatæ *ἰδίαν* præferens lectionem alteram *ἑτέραν· ἰδίαν* recte nuper tuitus est Heathius, repertum, ni fallor, Vitruvio, cujus verba ad sola Euripidea, apud Clementem reperta, comparavit Theod. Canterus Var. Lect. ii, c. 15.—Hæc si viris doctissimis innotuere loca, non viderant, opinor, partem horum citatam Heraclito Allegor. Homer. p. 440, *πᾶν*, inquit, *τὸ φυόμενον ἔκ τινων εἰς ταῦτα ἀναλύεται διαφθειρόμενον, ὡσπερεὶ τῆς φύσεως, ἃ δεδάνεικεν ἐν ἀρχῇ, χρέα κομιζομένης ἐπὶ τέλει. διὸ δὴ τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος Εὐριπίδης φησὶ, Χωρεῖ δ' ὀπίσω*, &c.—et Plutarcho qui dicitur de Placitis Philos. v, c. 19, *Ἀγέννητον τὸν κόσμον*, et *ἐκ μεταβολῆς τῆς ἀλλήλων γεννᾶσθαι τὰ ζῶα· μέρη γὰρ εἶναι τοῦ κόσμου τούτου· ὡς καὶ Ἀναξαγόρας, καὶ Εὐριπίδης, θνήσκει, μεταμειβόμενα δὲ ἄλλο πρὸς ἄλλο, μορφὰς ἔδειξεν.* in his, vitiose scriptis, nostra Euripidis latere, et in horum versuum pæne ultimo, pro *Ἄλλο πρὸς ἄλλο*, scribendum, *Ἄλλο πρὸς ἄλλου*, monitum fuit in notis ad Eurip. Phœn. p. 313.

monueratque jam ante, qui opus illud Plutarchi Florentiæ eleganter edidit Edvardus Corsinus.

II.

Γνώμῃ σοφός μοι, καὶ χέρ' ἀνδρείαν ἔχοι·
Δύσμορφος εἴην μᾶλλον, ἤ, καλὸς, κακός.

Sic leguntur in Stobæi Flor. Gesn. T. lxiv, p. 409. Grotii T. lxvi, p. 271. Adhibuit et cum ejusdem sententiæ dictis contulit Gataker. A. M. P. c. xii, p. 542.— Versu secundo scribendum videtur, *Δύσμορφος εἴη μᾶλλον,* ' sit potius deformis, quam formosus et ignavus :' ut Pelopis fortasse sit votum, vel alterius, de filio loquentis.

III.

Ὦ δέσποτ', οὐδεὶς οἶδεν, ἄνθρωπος γεγὼς,
Οὔτ' εὐτυχοῦς ἀριθμὸν, οὔτε δυστυχοῦς.

Ex Stob. T. ciii, p. 560, 53. Grot. p. 433. In his, quamvis duriusculum videretur, Dan. Heinsius in Jani Rutgersii Var. Lect. iv, p. 405. *εὐτυχοῦς* et *δυστυχοῦς* accipiendum censuit *ἀντὶ τοῦ, εὐτυχίας ἢ δυστυχίας.*

IV.

Εἰάζων.

Hesychius: *Εἰάζων, εἶα ἐπικελεύων. Εὐριπίδης Χρυσίππῳ* — [Ab *εὖα* sic formarunt *Εὐάζειν·* ab *αἶ, αἶ, Αἰάζειν·* atque ad eandem rationem ab aliis voculis, literisque, quas velut affectus notas interserunt orationi, verba produxerunt: ab *ἆ* formarunt *Ἄζειν.* Grammat. Sangerm. MS. penes Clar. Ruhnken. *Ἄζειν, τὸ στένειν· Σοφοκλῆς.* et *Ἄζειν. τὸ διὰ τοῦ στόματος ἀθρόως ἐκπνεῖν Ἄζειν λέγουσιν Ἀττικοὶ, μιμούμενοι τὸν ἦχον τοῦ πνεύματος. οὕτως Νικόχαρις.* sic a *Φεῦ, Φεύζειν·* ab *οἴ* lamentantis *Οἴζειν·* (ut ab *οἴμοι, οἰμοἴζειν, Οἰμώζειν·*) ab *ὦ* admirantis *Ὤζειν.* Hesychius: *Ὤζειν, βοᾷν* † *Ὦζεν, ἐβόησεν.* † *Ὤζοντες, βοῶντες, καὶ λέγοντες ὦ ὦ, καὶ θαυμάζοντες.* Ælius Dionysius Eustathii ad Il. x, p. 1384, 39, *Ὤζειν, τὸ θαυμάζειν, ὡς ὦ* (L. *ὦ ὦ*) *λέγειν. καθὰ καὶ Οἰμώζειν, τὸ οἴμοι λέγειν. καὶ Φεύγειν, τὸ*

Φεῦ λέγειν. scribendum utique *καὶ Φεύζειν·* ejulanti Cassandræ *Φεῦ, Φεῦ,* in Æschyli Agam. chorus v. 1317, *Τί τοῦτ' ἔφευξας;* sed hæc, fateor, nihil ad Euripidem faciunt.]

V.

ΛΑΙΟΣ. *Λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ', ὧν σὺ νουθετεῖς·*
Γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται.

VI.

ΛΑΙΟΣ. *Αἶ, αἶ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακὸν,*
Ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δὲ μή.

Huc ista duo non dubitanter refero Laïi Euripidei dicta, quibus, ut equidem opinor, in nullo dramatum Euripideorum locus fuit præterquam in Chrysippo.—Horum prius, longe elegantissimum, Laïo in scena attributum fuisse novimus ex his Clementis Alex. Strom. ii, p. 462, 17, *ὁ μὲν Λάϊος ἐκεῖνος κατὰ τὴν τραγῳδίαν φησὶν, Λέληθεν οὐδὲν,* &c. *τουτέστι τὸ ἔκδοτον γεγενῆσθαι τῷ πάθει. ἡ Μήδεια δὲ αὐτὴ ὁμοίως ἐπὶ τῆς σκηνῆς βοᾷ,*

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακά·
Θυμὸς δὲ κρείσσων (τῶν) ἐμῶν βουλευμάτων.

In Scholis ista Philosophorum fuere decantata Medeæ Euripidis v. 1078, 1079, sic Latine leguntur apud Chalcidium in Tim. Platon. p. 273,

Nec me latet nunc quam cruenta cogitem;
Sed vincit ira sanitatem pectoris.

ut hæc ex Euripidis Medea, sic illa sunt ex ejusdem Chrysippo, quæ Grotius velut incerti Tragici posuit in Excerpt. p. 467. in Stob. Ecl. p. 173, tanquam incerti ex Laïo, atque ita convertit:

Ego esse vera et recta quæ memoras scio:
Sed improbata cogit ingenium sequi.

huic tamen fragmento locum dedit Barnesius inter Euripidea incertæ Tragœdiæ v. 278, 279. Nihil habebat causæ Gatakerus, cur ex Æschyli Laïo petitum suspicaretur A. M. P. c. x, p. 529; in quo cum Euripide paulo

familiarius versati τὸν Εὐριπίδειον mox agnoscent χαρακτῆρα. —Alterum fragmentum, una cum parte præcedentis exhibet Plutarchus T. ii, p. 446. A. αἱ δὲ τῆς ἀκρασίας (φωναὶ,) Γνώμην ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται. καὶ, Αἶ, αἶ, τὸ δὴ (L. τόδ' ἤδη) θεῖον ἀνθρώποις κακὸν, Ὅταν, &c. Leguntur et hi duo senarii sincere scripti in ejusdem Plutarchi lib. de Aud. Poët. p. 33. E ubi graviter Philosophus sententiam vituperat. Laïi fuisse dictum, quem amabat, Chrysippum rapientis, atque adeo decerptum ex Euripidis Chrysippo mihi quidem liquet ex his Alcinoi Isagoge in Platonis Doctrinam c. xxiv, ὁρᾶται δέ γε ἐπὶ μὲν τῆς Μηδείας ὁ θυμὸς λογισμῷ μαχόμενος· λέγει γοῦν τὸ, Καὶ μανθάνω μὲν, &c.—ἐπὶ δὲ τοῦ Λαΐου τὸν Χρύσιππον ἁρπάζοντος ἐπιθυμία λογισμῷ μαχομένη, λέγει γὰρ οὕτως,

> Αἶ, αἶ, τὸ θεῖόν ἐστιν ἀνθρώποις κακὸν,
> Ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δὲ μή.

Dan. Heinsius expressit:

> Heu majus illud crimine humano malum,
> Si quis bonum non nescit, et spernit tamen.

His usus Stanleius, ad argum. in Sept. c. Theb. Æschyli, vitiosa dedit Euripidea, et P. Pantinus in Mich. Apostolii Cent. ii, Prov. 4, Αἶ, αἶ, τὸ ἡδὺ (L. τόδ' ἤδη) θεῖον, &c. Illud his in rebus exercitatus fortasse miretur, cur Philosophi ceterique, qui plurimi Medeæ Euripidis verba protulerunt, his Euripidei Laïi tamen ex Chrysippo præter unum alterumve omnes abstinuerint. Non tamen ista Stobæus annotare prætermisit, in cujus leguntur Florileg. T. v, p. 63, 22, velut incerti Tragici, atque hinc in Excerptis ex Stob. Grotii p. 35. ex Trag. p. 465. Velut Euripidis ista Barnesius recepit in Fragm. incertæ Tragœdiæ, bis male repetita vss. 56, 57, et vs. 276, 277. Postremo loco pro χρῆται δὲ μὴ, cum Grotio in Exc. ex Trag. dedit δράσῃ δὲ μή. In altero versu lectioni, quam Heinsii præbet Alcinous, Αἶ, αἶ, τὸ θεῖόν ἐστιν— vulgatam prætuli: Αἶ, αἶ, τόδ' ἤδη θεῖον· tanquam Euripideam, Androm. v. 1066, Οἴμοι, τόδ' ἤδη δεινόν· Bacch. v. 804. Οἴμοι, τόδ' ἤδη δόλιον.—Ceterum hæc et similia Laïi Euripidei, amori turpissimo, quem damnabat, obsecundantis, et deteriora sequentis, dum probaret meliora,

Ciceroni videntur obversata, scribenti in Tusc. Disp. iv, c. 33, 'Quis aut de Ganymedis raptu dubitat, quid Poëtæ velint? aut non intelligit quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius?' ubi commode Chrysippi meminit Euripidei Jo. Davisius, ex quo dramate petita, quæ supra posui, hæc quoque Ciceronis demonstrant.

VII.

Λάϊος—τοῦ τῶν ἀῤῥένων ἔρωτος—Ἑλλήνων πρώτιστος ἄρξας

in Chrysippo ferebatur Euripidis: Ælianus de N. A. vi, c. 15, de Delphino agens pueri Iasensis cadaveri intabescente, *Λάϊος*, ait, *ἐπὶ Χρυσίππῳ, ὦ καλὲ Εὐριπίδη, τοῦτο οὐκ ἔδρασε, καίτοι τοῦ τῶν ἀῤῥένων ἔρωτος, ὡς αὐτὸς λέγεις, καὶ ἡ φήμη διδάσκει, Ἑλλήνων πρώτιστος ἄρξας.* Ubi morem flagitiosum in Creta natum, hinc in Græciam propagatum scribit Timæus, Heraclidæ hac in parte consentiens, *ἄλλοι δὲ φασὶν*, inquit Athen. xiii, p. 602. F. *τῶν τοιούτων ἐρώτων κατάρξασθαι Λάϊον, ξενωθέντα παρὰ Πέλοπι, καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χρυσίππου, ὃν καὶ ἁρπάσαντα*, &c. miror quod addit Athenæus p. 603. A. *Πράξιλλα δὲ ἡ Σικυωνία ὑπὸ Διὸς φησὶν ἁρπασθῆναι τὸν Χρύσιππον.* Flagitia Jovis utiliter noverant etiam Christiani, quique semichristianus Homilias scripsit Clementinas illa percalluit; (vid. Hom. iv, 16.) Jovi tamen omnivolo Chrysippi raptum nemo alius, ut opinor, objecit; fortasse ne Praxilla quidem, si verum est, quod suspicor, in istis ap. Athenæum *ὑπὸ Διὸς*, (*ΥΠΟΔΙΟΣ*) latere verum nomen *Οἰδίποδος·* ut scripserit, *ὑπ' Οἰδίποδος φησὶν ἁρπασθῆναι τὸν Χρύσιππον.* Œdipus certe a nonnullis Chrysippi Pelopidæ habitus fuit *ἐραστής·* Scholiastes in Eurip. Phœn. v. 66, quosdam tradere scribit, *ὅτι Λάϊος ἀνῃρέθη ὑπὸ Οἰδίποδος, ὅτι ἀμφότεραι ἤρων Χρυσίππου.* Œdipodi itaque raptus Chrysippi potuit a Praxilla imputari, non Jovi. Auctor antiquus argumenti septem c. Thebas Æschyli, Pelopiden, inquit, Chrysippum *ὁ Λάϊος ἥρπασεν ἐρασθεὶς αὐτοῦ, καὶ αὐτῷ συνεγένετο, καὶ πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀῤῥενοφθορίαν ὑπέδειξε, καθώσπερ δὴ καὶ ὁ Ζεὺς ἐν θεοῖς, τὸν Γανυμήδην ἁρπάσας.*—Si licet in his perexigui momenti rebus hariolari, hariolor equidem in hoc Euripidis dramate Chrysippum expiasse morte voluntaria dedecus sibi a Laio

illatum; atque hac in parte, ut sæpius in aliis, secedentem Tragicum a reliquis historiæ veteris enarratoribus, qui fratrum invidia, aut etiam novercæ, patri præ ceteris dilectum filium sublatum tradiderant, secutum Pisandrum in Heraclea; quo prolixo poëmate sic Pisander Herculis acta cecinit, ut, 'a nuptiis Jovis et Junonis incipiens, universas historias, quæ mediis omnibus seculis usque ad ætatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coactas redegerit;' quæ verba sunt Macrobii Saturn. v, c. 2. Ex isto poëmate Pisandri multa nobis enarrantur in Schol. ad Eurip. Phœn. v. 1748, hæc præter cetera, [ὅτι] πρῶτος ὁ Λάϊος τὸν ἀθέμιστον ἔρωτα τοῦτον ἔσχεν· ὁ δὲ Χρύσιππος ὑπὸ αἰσχύνης ἑαυτὸν διεχρήσατο τῷ ξίφει. Ne illud quidem indignum notatu, quod sub eodem teste tradi turibidem; a Junone (' cui vincla jugalia curæ,') immissam idcirco Thebanis Sphinga, quod Laïi nefandum amorem reliquissent impunitum, ὅτι Λάϊον, ἀσεβήσαντα εἰς τὸν παράνομον ἔρωτα τοῦ Χρυσίππου,—οὐκ ἐτιμωρήσαντο. Diræ, quibus Pelops Laïum propterea devovit, Apollinis oraculo sunt decantatæ, quo Scaliger usus in Euseb. p. 44, ad ista Hieronymi, Laïus Chrysippum rapuit; neque fidem meretur quod de Laïo scribit mendacissimus auctor Parall. inter Plutarchi Opera T. ii, p. 313. E. ἐλέους ἔτυχε παρὰ τοῦ Πέλοπος διὰ τὸν ἔρωτα, propter amorem, in Pelopis tamen familia non inauditum; cujus patri Tantalo veterum nonnulli raptum tribuere Ganymedis apud Eustath. in Il. Υ, p. 1280, 21. huic narrationi Mnaseam dat auctorem Scholion vetus ex Ms. Cod. vulgatum in Dissertat. de Schol. in Hom. p. 136. ubi pro Tantalo Minoa nominat Dosiades, et ἐξ αὐτῶν (a Tantalo et Minoë) πρῶτον ἡ παιδεραστία dicitur ἄρξασθαι. De Tantali e filia Niobe nepotibus nonnulla dici possent ex Athen. xiii, p. 601. A. B. Plutarch. T. ii, p. 760. D. Huc non pertinent quæ de aliis traduntur, et de Thamyra, et Orpheo, qui, secundum Stobæi Phanoclem, πρῶτος ἔδειξεν ἐνὶ Θρήκεσσιν ἔρωτας Ἄῤῥενας. Quo argumento Jovem Socrates in Xenoph. Symp. 523, 35, eodem Barnesius excusavit Euripiden, qui ferebatur τὸν Χρύσιππον, τὸ δρᾶμα Ἀγάθωνι χαριζόμενος διαφροντίσαι, Ælian. V. H. ii, c. 21.

CAPUT IV.

In Euripidis Anaxagorea quædam.

In quibus Anaxagoram secutus sit Eurip. ut ille, ἀγέλαστος. Illius in Physicis divina delectatio expicta verbis discipuli. ἡ Γεωμετρία, dicta γῆς ἱστορία. Uni philosophiæ vacantis imago Platonica. Physicorum veterum vanæ conjecturæ rejectæ Tragico, laudatori dictorum Anaxagoræ. Ciceronem multa mutuatum esse a Chrysippo Stoico. Hunc libros suos opplevisse versibus Poëtarum. Pater ut sator, mater ut humus spectantur Euripidi secundum Anax., cujus opiniones de Nili incremento, de Sole massa ignita, expressæ Tragico. Hujus versus de Sole magis urente remotiora; de causa pleuritidis. Τὰ πόῤῥω et τἀγγύθεν opponi.

FRAGMENTORUM, quæ caput exhibet præcedens, primo quædam insunt, quæ scripsisse perhibetur Euripides Heraclito in Allegor. Hom. p. 440, τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος. Quandoquidem in aliis quoque dictis suis Anaxagoram traditur Clazomenium secutus, ea de re sic pauca dicam, ut variis in locis dispersa hic legi possint collecta, nonnulla quoque meliora, quam alibi. Singulæ propemodum Euripidis γνῶμαι nobis monstrant, quod et aliunde noveramus, in Socratis illum exercitum fuisse palæstra: et hæc præsertim popularis nobis in Euripide placet ad vitam regendam utilis Philosophia. Physica si multa nobis dedisset istius ævi, vel Metaphysica, illa quo vivimus seculo non magni pleraque faceremus. In Physicis tamen ante, quam familiariter uteretur Socrate, diligenter illum versatum fuisse cognovimus; suumque amorem, quo præceptorem in his rebus Anaxagoram prosequeretur, aliquoties nobis testatum voluit. Ingenio quoque moribusque Præceptori discipulum suspicor fuisse simillimum. Utriusque lineamenta duci forte possent nonnulla: hic satis erit unum attigisse.

De Anaxagora Ælianus V. H. viii, c. 13, Ἀναξαγόραν —

φασὶ μὴ γελῶντά ποτε ὀφθῆναι, μήτε μειδιῶντα τὴν ἀρχήν. duo ipsius discipuli, ingenia capitalia, Pericles et Euripides etiam fuisse feruntur ἀγέλαστοι. De Tragico testis est apud A. Gellium, N. A. xv, c. 20, 'Alexander Ætolus,' (vid. in Eurip. Phœn. p. 588.)

'Ο δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἔμοιγε προσειπεῖν,
Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ' οἶνον μεμαθηκώς,—

Viri optimi Anaxagoræ, quem constat omnia postposuisse 'discendi quærendique divinæ delectationi,' imago Euripidis animo, ni fallor, obversabatur, dum Philosophi nobis Physici laudes caneret et Geometræ in versibus, quos ex incerto dramate servavit Clemens Alex. Strom. iv, p. 634,

[1] Ὄλβιος, ὅς τις
Γῆς ἱστορίας ἔσχε μάθησιν,
Μήτε πολιτῶν ἐπὶ πημοσύνας,
Μήτ' εἰς ἀδίκους πράξεις ὁρμῶν·
Ἀλλ' ἀθανάτου καθορῶν φύσεως
Κόσμον ἀγήρω, πῆτε συνέστη.
Τοῖς γε τοιούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν
Ἔργων μελέτημα προσίζει.

Hic addam et Latina Grotii,

'Felix animo quisquis doctas
Imbibit artes: non ille malum

1 Versus anapæsticos paulo aliter, quam vulgo fit, dispositos adscripsi prout emendandos arbitror. Pro τῆς ἱστορίας, scripsi Γῆς ἱστορίας. quæque versui sexto, πῆ τε συνέστη, legebantur subjecta, καὶ ὅπη καὶ ὅπως, prætermisi tanquam interpretamenta voculæ πῆ· pro Τοῖσδε τ. scribens Τοῖσγε τοιούτοις. Velut Euripidea dedit ista Grotius in Excerpt. p. 433, descripta ex Clem. Alex. l. c. Sed illic cujus ista sint Tragici non traditur: Euripidis indicium Polluci debemus ii, 14, hinc ut Euripidis citanti κόσμον ἀγήρω, et Themistio, secundum quem in Orat. xxiv, p. 307. D. (ψυχαὶ ἐρωτικαὶ καὶ φιλόκαλοι,) τὰ ἐν ποσὶν ἀτιμάσασαι, περιπολοῦσι τὸν οὐρανόν· καὶ αὗταί εἰσιν, ἃς Εὐριπίδης ὁ σοφὸς Οὔτε πολιτῶν [φησὶν] ἐπὶ πημοσύνας, Οὔτ' εἰς ἀδίκους πράξιας ὁρμᾷν, Ἀλλ' ἀθανάτου καθορᾷν φύσιος Κόσμον ἀγήραον. ad sententiam ille suam accommodavit verba Tragici.—Ceteris suo loco relictis, auctoritate Themistii v. 3, recepi cum Scaligero ἐπὶ πημοσύνας· pro vulgato apud Clem. Alex. ἐπὶ πημοσύνῃ, potuerat etiam scribi ἐπὶ πημοσύνην, cum Jo. Piersono Verisim. p. 128. Ex vulgatis, Πῆ τε συνέστη (σύνεστιν vitiosum est) καὶ ὅπη καὶ ὅπως, postrema recte opinor me rejecisse: neque enim sunt Euripidea; quæque substituit Heathius, χ'ὤπη χ'ὤπως.—Tragici non conveniunt τῇ γλαφυρότητι. ad Πῆ interrogantis, hic paulo insolentius positum, adscriptum fuisse videtur, καὶ ὅπη καὶ ὅπως.—Quod primum posui, docto me spero Lectori approbaturum, Γῆς ἱστορίας. In Schola quidem Pythagoræ per excellentiam Geometria dici potuit ἱστορία. v. Jambl. V. P. § 89. sed alibi quamcunque quis disciplinam scripto mandaret, illius tradere dicebatur ἱστορίαν· Musices ex. gr. Arithmetices, Geometriæ, etc. Eudemi Γεωμετρικὴν ἱστορίαν citat Eutocius Præf. Comm. in Archimed. de dimens. Circuli p. 49.

Quærit populo : sed nec ad actus
Fertur iniquos. Senii ignarum,
Natura, tuum speculatur opus ;
Ubi constiterit, qui, quoque modo.
Factu quicquid turpe est, animis
Id nunquam talibus hæret.'

Talem nobis Philosophum Platonis Socrates expingit ab omni re alia semotum, qui toto animo suæ se dedit delectationi, in Theæteto p. 173. D. cujus mens, quæ mirantur reliqui mortales, *ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ, πανταχῆ φέρεται κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθεν, καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῦσα, οὐρανοῦ τε ὑπὲρ ἀστρονομοῦσα, καὶ πᾶσαν πάντη φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων, ὅλως εἴς τι τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὑτὴν συγκαθιεῖσα.* sic ista Platonem scripsisse puto, sæpe veteribus usurpata. Talem fuisse Anaxagoram monstrant vel Menagio collecta in Diog. Laërt. ii, 6, 7.

Tortuosa autem de obscuris naturæ rebus philosophemata, qualia veterum quoque fuerunt in Ionia Physicorum ante Anaxagoram, qui primus Deum, mentem puram et infinitam, a materia separavit, damnat Euripides in his apud Clem. Alex. Strom. v, p. 732, 8, quæ hic ponam, prout legenda suspicor;

[2] *Δυσδαίμων ὃς τάδε λεύσσων*
Θεὸν οὐχὶ νοεῖ . . . .
. . . . μετεωρολόγων δ'

2 Ex Clemente dedit ista Grotius in Excerpt. p. 433, (hinc Barnes. p. 509.) sic conjecturis suis interpolata, *ἆ δυσδαίμων, Ὃς τ. λ. θ. ο. ν. Μετεωρολογῶν δὲ καταῤῥίπτει Σκολιὰς ἀπάτας οἷον ἀτειρῆς Γλῶσσ'* etc.—Hæc leguntur apud Clementem : *ὁ μὴ πειθόμενος τῇ ἀληθείᾳ, διδασκαλίᾳ δὲ ἀνθρωπίνῃ τετυφωμένος δυσδαίμων ἄθλιός τε κατὰ τὸν Εὐριπίδην, ὃς τάδε λεύσσων Θεὸν οὐχὶ νοεῖ, μετεωρολόγων δ' ἑκὰς ἔῤῥιψεν σκολιὰς ἀπάτας, ὧν ἀτειρὰ γλῶσσα* etc. in quibus *ἀτηρὰ* scribendum vidit Potterus : in reliquis ante vulgatas lectiones substitui conjecturis Grotii ; suspicatus intermedia quædam excidisse, ubi defectus indicia posui : ut hæc versuum istorum sit sententia : 'Miser ille, qui spectans ista Deum animo non cernit : contra, *τοῦτον εὐτυχέστατον λέγω, Ὅστις θεωρήσας—Τὰ σεμνὰ ταῦτα,* ut loquitur Menander Stobæi p. 608, 23, felicem judico, qui, Deo universi conditore animadverso,) ' longe projicit tortuosos Physicorum laqueos, quorum lingua noxia sensus omnis vacuas leves periclitatur de rebus tenebricosis conjecturas.' Si vel ista fuit, vel similis istius Euripidis sententia, exciderunt certe nonnulla. Vocem *μετεωρολόγων*, cujus loco scribi quoque potuit *μετεωροπόλων* [Hesych. *Μετεωροπόλων, τῶν τὰ οὐράνια σκοπούντων.*] Grotius in participium convertit *μετεωρολογῶν.* sed vellem vir Magnus nos docuisset, quid esset *καταῤῥίπτειν ἀπάτας*, quid hoc loco valeret *οἷον ἀτειρῆς γλῶσσα.* vulgatum *ὧν* pertinet utique ad *μετεωρολόγων. ἀτηρὸς*, ' noxius,' est in Eurip. Hipp. v. 630. Andr. v. 353.

'Εκὰς ἔρριψεν σκολιὰς ἀπάτας,
Ὧν ἀτηρὰ γλῶσσ' εἰκοβολεῖ
Περὶ τῶν ἀφανῶν,
Οὐδὲν γνώμης μετέχουσα.

In Anaxagoræ Schola, ejusque exemplo didicerat Euripides, præmeditatione futurorum malorum lenire eorum adventum: hoc in vita quotidiana perutile monitum a viro se didicisse sapiente sub Thesei persona testatus in scena, Anaxagoram Atticis spectatoribus notissimum designavit: Cicero Tusc. iii, c. 14, 'apud Euripiden a Theseo dicta laudantur.——Nam qui hæc audita a docto meminissem viro,' &c.——'Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso (legendum arbitror, 'de se ipse,' Euripides nempe, sub persona Thesei,) 'loquitur Euripides: fuerat enim auditor Anaxagoræ, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: sciebam me genuisse mortalem.' Literatissimi Stoici, Chrysippi si nobis superessent commentarii, intelligeremus, ex illis quam multa Cicero quoque derivasset in opera sua Philosophica; ista quidem certe præter cetera sumsit a Chrysippo, e cujus scriptis cum multa refutanda sibi Galenus excerperet in opere περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων, hæc habet L. iv, T. i, p. 283, 48, καὶ τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου παρείληφεν ἐνταῦθα (Chrysippus,) ὡς ἄρα τινὸς ἀναγγείλαντος αὐτῷ τεθνάναι τὸν υἱὸν, εὖ μάλα καθεστηκότως εἶπεν, ᾔδειν θνητὸν γεννήσας, καὶ ὡς τοῦτο λαβὼν Εὐριπίδης τὸ νόημα τὸν Θησέα πεποίηκε λέγοντα,

Εγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν,

—— sequuntur ibi decem senarii, ex eadem scena Thesei Euripidei sumpti; quibus versus subjicitur ex Euripid. Alc. 1085, rectius scriptus quam vulgatur. Euripidæ præsertim, cujus erat studiosissimus, sed et aliorum Poëtarum sententiis 'velut quibusdam testimoniis, quæ proposuerat confirmans,' (Quinctil. Inst. O. p. 96,) adeo scripta quædam sua Chrysippus oppleverat, ut hoc etiam ipsi vitio verterint adversarii, quos Stoicus habuit eruditissimos: certe Galenus ipsi objicit ejusdem operis L. iii, p. 265, 37, τὸ, ἐμπιμπλάναι τὸ βιβλίον ἐπῶν ποιη-

τικῶν· et v. 54, τὸ, πλῆθος ἐπῶν παραγράφειν ἐξ ἁπάντων τῶν ποιητῶν ἐκλέγοντα. Dicitur et Diogeni Laërtio Chrysippus vii, 180, πλείστῃ τῶν μαρτυριῶν παραθέσει χρώμενος, ὥστε καὶ——ἔν τινι τῶν συγγραμμάτων (in libris forte, περὶ παθῶν) παρ' ὀλίγον τὴν Εὐριπίδου Μήδειαν ὅλην παρετίθετο. Ad nos si pervenissent laboriosi hominis scripta, nobis quidem ista talia antiquitatis amatoribus non displicerent.

Sed missis, quæ similia possent non pauca dari, potius Anaxagoræ quædam placita colligam, ab Euripide expressa. Aristoteli περὶ Ζώων γενέσεως iv, p. 269, 14, statuisse dicuntur Ἀναξαγόρας καὶ ἔνιοι τῶν φυσιολόγων, γίνεσθαι ἐκ τοῦ ἄῤῥενος τὸ σπέρμα, τὸ δὲ θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον. Eandem doctorum hominum in Ægypto fuisse opinionem testatur Diodorus Siculus i, p. 91, 66, τὸν πάτερα μόνον αἴτιον εἶναι τῆς γενέσεως, τὴν δὲ μητέρα τροφὴν καὶ χώραν παρέχεσθαι τῷ βρέφει. Hæc constans Euripidæ quoque fuit sententia, qui, dum patrem appellat τὸν φύσαντα· τὸν φυτεύσαντα· τὸν φυτοῦργον· τὸν ἀροτῆρα· τὸν τοῦ γένους ἀρχηγέτην· huic ut originis auctori omnia liberos debere statuit; matri τῇ τροφὰς ὑποστάσῃ nihil adeo præter *nutrimenta,* quam instar humi semen recipientis considerabat: ejus Orestes in Oreste v. 551,

> Πατὴρ μὲν ἐφύτευσέν με, σὴ δ' ἔτικτε παῖς,
> Τὸ σπέρμ' ἄρουρα παραλαβοῦσ' ἄλλου πάρα.

In fragm. incerti dramatis Eurip. ap. Stobæum p. 455, 22, filius ad matrem sic loquitur, ut multo se plus patri debere significet:

> Στέργω δὲ τὸν φύσαντα τῶν πάντων βροτῶν
> Μάλισθ', ὁρίζω τοῦτο, καὶ σὺ μὴ φθόνει.
> Κείνου γὰρ ἐξέβλαστον· οὐδ' ἂν εἷς ἀνὴρ
> Γυναικὸς αὐδήσειεν, ἀλλὰ τοῦ πατρός.

ultimum illud, quod moris fuisse negat Euripides, solis Lyciis consuetudine receptum scribit Herodotus i, c. 173, ἓν τόδε ἴδιον νενομίκασι· —— καλέουσι ἀπὸ τῶν μητέρων ἑωυτοὺς, καὶ οὐχὶ ἀπὸ τῶν πατέρων. —— Quod de matre Noster, didicerat id ipsum a Physicis Æschylus; quam in rem notata quædam sunt in Eurip. Phœn. v. 34.

Increscentis in Ægypto Nili causam Æschylus etiam quæsivit in nivibus Æthiopiæ Solis calore liquefactis: qui duabus in Tragœdiis idem tradidit Euripides hac in re Anaxagoræ præceptoris dicitur sententiam secutus Diodoro Sic. i, p. 46, Ἀναξαγόρας ὁ φυσικὸς ἀπεφήνατο τῆς ἀναβάσεως αἰτίαν εἶναι τὴν τηκομένην χιόνα κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν· ᾧ καὶ ὁ ποιητὴς Εὐριπίδης μαθητὴς ὢν ἠκολούθηκε· affertur tum Helenæ Euripidis initium, adhibitum et Aristophani Thesmophor. v. 862, atque in eandem rem in Schol. ad Apollon. Rhod. iv, v. 269, ubi Ἀναξαγόρας φησὶ διὰ τὴν τῆξιν τῆς χιόνος πληθύνειν (τὸν Νεῖλον·) ᾧ ἕπεται καὶ Εὐριπίδης λέγων. εἰλουμένη δὲ, &c. scribendum, λέγων,

Νείλου μὲν αἵδε καλλιπάρθενοι ῥοαὶ,

versum Helenæ Eurip. secundum illic restituendum vidit procul dubio Celeberr. Wesseling. Quod præter ista præbet ex Euripidis Archelao Scriptor incertus de Nili incremento in Edit. Herod. renovata p. 788, scribi sic potuerat emendatius,

[1] Νείλου λιπὼν κάλλιστον ἐν γύαις ὕδωρ,
Ὃς ἐκ μελαμβρότοιο πληροῦται ῥοαῖς
Αἰθιοπίδος γῆς, ἡνίκ' ἂν τακῇ χιὼν,
Τέθριππ' ὀχοῦντος ἡλίου κατ' αἰθέρα.

Fertur Anaxagoras Solem, velut indignum divino cultu, 'massam' dixisse 'lapideam ignitam,' μύδρον διάπυρον· ex ejus sententia, λίθον διάπυρον dixit Xenophon Ἀπομν. iv, p. 474, 41. quo illud sensu capiendum sit, optime mihi tradidisse videtur Rad. Cudworth. Syst. Intell. c. iii, Sect. 24, et c. iv, Sect. 20. p. 460. Nec sane mirum, Athenis a forensi rabula Periclis amicum impietatis propterea accusatum; si Deorum beneficentissimus ob simile dictum (μύδρον εἶναι τὸν ἥλιον) jam olim Tantalum pœna gravissima dignum censuit; quod ex quorundam traditione narrant Eustath. in Od. Λ, p. 457, 51, et Scholiastes in Pindari Ol. i, v. 97, addens, καὶ Ἀναξαγόρου δὲ γενόμενον τὸν Εὐριπίδην μαθητὴν πέτρον

1 Primo versu positum ἐν γύαις, 'in arvis,' pro ἐκ γαίας, ex emendatione docti juvenis, Joannis Luzac. Mutavi ῥοὰς in ῥοαῖς. pro τεθρίππου ὄντος, et versum æque vitiante Codicum lectione Τεθριππεύοντος· quæ probari nuper non debuerat, eximiam recepi Grotii lectionem Τέθριππ' ὀχοῦντος ἡλίου· 'Sole quadrigas agitante:' Solis enim currus, ut 'quadrigæ' Latinis, alibi etiam Euripidi τέθριππα fuit dictus.

εἰρηκέναι τὸν ἥλιον —— καὶ βῶλον· quibus firmandis ejus affert ex Oreste verba v. 6, et 984. posteriori loco certe Solem dixisse videtur ‘ cœlum inter et terram’ τεταμέναν Αἰωρήμασι πέτραν Ἁλύσεσι χρυσέαις, et φερομέναν Δίναισι βῶλον ἐξ Ὀλύμπου. quo loco de lapide βῶλον cepit Thomas M. in v. Ab his diversum e perdita Tragœdia locum respexisse videntur Scholiastæ in Apollon. Rhod. i, 498, et in Eurip. Hippol. v. 601. Secundum utrumque ex præceptoris Anaxagoræ placito Noster χρυσέαν βῶλον τὸν ἥλιον εἶπεν. In Anaxagora Diogenes Laërt. xi, 10, Solem χρυσέαν βῶλον Euripidem dixisse scribit ἐν τῷ Φαέθοντι. Phaëthontis Euripidei locus, quo spectant, latuit plerosque; non tamen Clar. Nath. Forsterum, qui Notis in Platon. Apolog. Socratis p. 345, 346, locum etiam ex Phaëthonte eundem in finem attigit. In hujus dramatis prologo, ni fallor, scripserat Euripides Clymenen elocatam Regi Æthiopiæ,

Ἣν ἐκ τεθρίππων ἁρμάτων πρώτην χθόνα
Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βώλῳ φλέγει.

ad filium Ovidii Clymene,

Unde oritur, terræ domus est contermina nostræ,

Met. i, 774. Apud Strabonem, qui quinque nobis ex Eurip. Phaëthonte versus servavit i, p. 58, 59, alter eorum quos posui legitur,

Ἥλιος ἀνίσχων χρυσέᾳ βάλλει φλογί.

Barnes. ad ista scripsit “ al. χρυσέᾳ βώλῳ φλέγει.” quod cui debeat equidem ignoro; valde autem probabile sic ut posui versum præter Grammaticos legisse Diogenem Laërtium, sive potius,

Φοῖβός γ' ἀνίσχων χρυσέᾳ βώλῳ φλέγει.

Quando Phaëthontis Euripidei dramatis mentionem feci, atque ex illo versus superstes Poëtam Philosophum monstrat in rebus naturæ, ut erant tum tempora, exercitatum, hunc etiam versum emendatiorem apponam quam vulgari solet. Versum nobis servavit Vitruvius L. ix, c. 4, p. 188, ubi, “ Si radii, (Solis, inquit) per omnem mundum fusi cir-

cinationibus vagarentur, neque extensionibus porrecti ad trigoni formam linearentur, propiora flagrarent. Id autem etiam Euripides animadvertisse videtur: ait enim, quæ longius a Sole essent, hæc vehementius ardere, propiora vero contemperata (leg. ‘ eum temperata,’ ex MSS. Codd. cum Clar. P. Bondamo Var. Lect. ii, c. 3, p. 137,) habere: itaque scribit in fabula Phaëthonte sic,

[1] *Καίει τὰ πόῤῥω, τὰ δ' ἐγγὺς εὔκρατ' ἔχει.*”

Non dubitanter corrigo,

Καίει τὰ πόῤῥω· τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει.

Hoc etiam fortasse *παράδοξον* in Anaxagoræ schola didicerat Euripides: talibus certe delectatum Clazomenium Physicum vere monuit Clar. Ed. Corsinus in Dissert. 1 ad Plutarch. de Placitis Philos. p. 29.

In ea quoque Physiologiæ parte quæ morbos eorumque spectat curationem, versatum Tragicum præcepta monstrant quæ Medicis dat utilissima. Sed unicum hic tantum ponam Scyriarum Euripidis fragmentum, quod Sexto Empirico perplacuit: ut ostendat epitheton a Poëta adjectum

1 Sic ista Grotius, voce tamen, quam vulgatis interjecit, indicata, scripsit in Excerpt. p. 411,

Καίει τὰ πόῤῥω μὲν, τὰ δ' ἐγγὺς εὔκρατα
Ἔχει.

quæ ut totidem Euripidea dedit Barnes. in Phaëthonte, solerter tamen in Eclogis Stobæi Grot. p. 157 repertum ex eadem fabula senarium istis præfigens. In *εὔκρατα*, cujus penultima producitur, claudicare metrum animadvertit Heathius, atque eam in sanando hoc versu medicinam adhibuit, quam, reperta veritate, nunc ipsemet pro candore suo repudiabit. A. Schottus Obs. Hum. v, c. 25, ex Vitruviani Codicis MS. vestigiis correxisse videtur, *τἀγχίγεια·* Sed more suo scripserat Euripides, ut arbitror,

Θερμὴ δ' ἄνακτος φλὸξ ὑπερτέλλουσα γῆς
Καίει τὰ πόῤῥω· τἀγγύθεν δ' εὔκρατ' ἔχει.

In talibus *ἐγγύθεν* sic solet usurpari. Rhesi versus est 482, *Μή νυν τὰ πόῤῥω, τἀγγύθεν μεθεὶς, σκόπει.* Eurip. Ion v. 586,

Οὐ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
Πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων.

Soph. Philoct. v. 468. Plutarch. ii, p. 625. c. senes *πόῤῥω τὰ γράμματα τῶν ὀμμάτων ἀπάγοντες ἀναγινώσκουσιν· ἐγγύθεν δὲ οὐ δύνανται.* Ibid. Sophocles, *Πόῤῥω δὲ λεύσσων ἐγγύθεν δὲ πᾶς τυφλός.* Apud eundem Plutarch. T. ii, p. 1124. F. duo leguntur ex tragœdia versus:

Ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
καὶ,
Πέλας γὰρ ἑστὼς ὁ θεὸς ἐγγύθεν βλέπει.

quorum secundum alibi me legere non memini; suspicor autem voce mutata corrigendum:

Ἑκὰς γὰρ ἑστὼς ὁ θεὸς ἐγγύθεν βλέπει.

‘ Deus enim stans longe remotus prope tamen spectat: *ἑκὰς* in talibus etiam adhiberi solet: Eurip. Herc. v. 198. Phœn. v. 964. Bacch. v. 392. Æsch. Agam. v. 1113.

sæpenumero illius in arte peritiam ostendere, præter Homerica Sextus excitat Ἀντιῤῥ. i, p. 285, τὸ παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ ἐπὶ τῇ Λυκομήδους θυγατρὶ Δηϊδαμείᾳ λεγόμενον,

A. Ἡ παῖς νοσεῖ σοῦ κἀπικινδύνως ἔχει·
ΛΥΚ. Πρὸς τοῦ; τίς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται;
Μῶν κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῇ.

Hoc versu quæsitum putat Sextus, μήτι πλευριτικὴ γέγονεν; et paucis tradidisse Poëtam, quid accidat ex frigore laborantibus lateris dolore, quem acuta febris comitatur et tussis, per quam excreatur pituita biliosa: διὰ τὸ τοὺς πλευριτικοὺς βήσσοντας ὑπόχολον ἀνάγειν. Pleuritide laborans ἀναβήσσει ὑπόχολα Hippocrati p. 493, 30. in peripneumonia ἀποχρέμπτεται —— ὑπόχολον, p. 518, 5. —— Ad ista ex Scyriis non absurde Barnes. hunc versum adjecit Euripidis,

Ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

in quo scribi malim λεπτόχρωτι cum Grævio in Ciceronis L. xvi Ep. viii. ad Tironem, ubi de Euripide Cicero, 'cui tu,' ait, 'quantum credas nescio; ego certe singulos ejus versus singula testimonia puto.'

1 Hoc modo versus leguntur apud Sextum, nisi quod χολῇ scripserim pro χολῆς. Suspectum mihi quoque verbum γυμνάζει, in χειμάζει, vexat, mutandum conjecit Clar. Ruhnkenius. —— A Grotio interpolata in Exc. p. 431, Barnesius recepit, edoctus a Gatakero A. M. P. c. x, (p. 520,) ad quam fabulam pertinerent. Achilli, in Lycomedis gynæceo latenti, Veneris furto cognita Deidamia, Statio Achill. iii, 172,

——'silet ægra, premitque
Jam commune nefas:'

adhibita clandestinis amoribus socia puellæ nutrix (v. 275.)

——'raptumque pudorem
Surgentemque uterum atque ægros in pondere menses
Occuluit.

CAPUT V.

Exhibet Euripidis Anaxagorea.

Anaxagorea quædam Euripidis placita ex Chrysippo dramate Vitruvium enarrasse. Tragici sententia de Diis fictis, de Deo vero; de Æthere et Terra, principiis geni-

talibus, sive conjugibus omniparentibus. Deorum et fabularum irrisor sua receptis opinionibus accommodavit. Deus Euripidi *αὐτοφυής*, universi conditor, *ὁ Δημιουργὸς Νοῦς*, mens pura Anaxagoræ. Alia Tragici de Deo dicta veritati congrua. Preces ad Deum optantis malorum humanorum depulsorem.

Pervenustum Euripidis ex Chrysippo dramate canticum hic mihi sumam retractandum, atque unicum de multis hoc et sequenti capite consideratius expendendum, ut Euripidis de uno Deo, hujus universi conditore, rerumque creatarum duobus principiis, sententia in sua luce collocetur, et simul manifestum fiat, quid ex Anaxagoræ præceptoris disciplina haustum in isto cantico posuerit. Hæc mea comparanti ad Systema Intellectuale R. Cudworthi cap. iv, sect. 19, antiquitatis Græcæ minus perito, ut sunt operis eximii laudatores non pauci, suspicari jure licebit, multa virum minime vulgarem aliis hoc in genere reliquisse peragenda, in quo sæpenumero Criticum desideres, mendosis decepto, et sine controversia sive ab homine [1]Judæo, seu a Christianis fictos, velut versus Orphei, Sophoclis, et aliorum nobis annumerante iis etiam in locis, ubi, sæpe verbosus, tacet Clar. Moshemius. Sed Euripidis illud, quod dicebam, canticum hic primum reponam : *δὶς γὰρ, κατὰ Πλάτωνα, τόγε καλῶς ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει.*

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθὴρ,
Ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
Ἡ δ', ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους
Παραδεξαμένη, τίκτει θνατοὺς,
Τίκτει δὲ βορὰν, φῦλά τε θηρῶν·
Ὅθεν οὐκ ἀδίκως
Μήτηρ πάντων νενόμισται.
Χωρεῖ δ' ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ' ἐς γαῖαν· τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
Βλαστοντα γονῆς εἰς οὐράνιον

1 Judæis cur hanc fraudem imputari malim, quam Christianis, exemplo mendacis Judæi nitar aliquando demonstrare, qui si homines etiam primarios decepit, quid de aliis erit existimandum ?

Πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
Τῶν γιγνομένων· διακρινόμενον δ'
Ἄλλο πρὸς ἄλλου
Μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξεν.

Hæc eadem Euripidis obversabantur Vitruvio, ista scribenti in Præfatione L. viii, omnium rerum principium professus est —— Euripides, auditor Anaxagoræ, —— Aëra et Terram; eamque, ex cœlestium imbrium conceptionibus inseminatam, fœtus gentium et omnium animalium in mundo procreavisse: et quæ ex ea essent prognata, cum dissolverentur, temporum necessitate coacta, in eadem (legendum puto, in eandem, nempe terram) redire: quæque de aëre nascerentur item in cœli regiones reverti, neque interitiones recipere, sed, dissolutione mutata, in eandem recidere, in qua ante fuerant, proprietatem. Partem tantum Euripideorum, quæ ipsi ex Clem. Alex. nota erat, Theod. Canter. Var. Lect. ii, c. 15, cum his comparavit Vitruvii, adhibitis etiam J. A. Fabricio ad Sextum Empir. *Ἀντιῤῥ.* x, p. 685, ubi Sextus, ut demonstret, universi originem Euripidi ex duobus principiis repetitam 'terra' et 'æthere,' non eximium illud Chrysippi dramatis fragmentum, quod supra posuerat Sextus p. 360, sed excitat versum hexametrum velut Euripidis,

Αἰθέρα καὶ Γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω.

quem ex hymno quodam Euripidis sumtum suspicatur Fabricius, probabiliter admodum; nam illorum simillima leguntur et in Orphicis hymnis: h. iii,

Οὐρανὲ παγγενέτωρ,
ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή,
Κόσμε πατήρ, σφαιρηδὸν ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν.

h. xxv,

Γαῖα, θεῶν μῆτερ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

prout ibi, pro *Γαῖα θεὰ*, corrigendum esse vidit sagacissimus Medicus Frisius Adrianus noster Heringa. Sed ista de 'Terra,' una Deorum hominumque matre Poëtis satis sunt vulgata: Pindarus Nem. Od. vi. initio,

Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ἐκ
Μιᾶς δὲ πνέομεν
Ματρὸς ἀμφότεροι·

Matrem illic sive terram accipias cum Scholiaste, seu materiam, *τὴν ὕλην*, cum Clem. Alex. Strom. v, p. 710, 2. res eodem recidit: attigit et ista Pindari Cudworthus Syst. Intell. p. 431. Secundum Hesiodum quoque Dii

Γῆς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,

Theog. v. 106, et a ceteris *Γενεαλόγοις* fingebatur *Οὐρανὸς γήμας Γῆν*. Secundum Lucretium ii, 589, Tellus habet in se corpora prima :—— v. 198,

> Quare magna Deum mater, materque ferarum,
> Et nostri genetrix hæc dicta 'st corporis una.

Telluri tum eleganter accommodat Poëta, quæ de magna Deum matre

> — veteres Graium docti cecinere Poëtæ.

Ab his ceterisque longe diversus Euripides quid mihi sensisse videatur, re altius repetita, paucis dicam. " Deorum, quales a Græcis vulgo colerentur, contemtor, Euripides unicum agnovisse Deum videtur *αὐτοφυῆ*· mentem puram, æternam, atque adeo infinitam, nulliusque rei indigam: non ille, quæ aliorum fuit opinio, Deum mentem esse censuit, quæ, materiæ velut infusa, ac cum illa arcte conjuncta, hanc molem instar spiritus agitaret; sed puram et a materia longe semotam; cui materiæ natura sua quiescenti et confusæ mens ista divina motum indiderit atque ornatum, creatrix cœli et terræ. Cœlum autem, sive Æthera, et Terram, velut duo elementa consideravit, ex quibus omnia in hoc universo nascerentur, et in quæ omnia, cum viderentur mori, in suum quodque, resolverentur. Sed, ut carminum Poëta consuleret suavitati, atque ingenio elegantissimo morem gereret, veluti quodammodo *συνάρχοντας τῷ μεγίστῳ δαίμονι*, omniparentes Æthera et Terram *εἰδοποιήσας*, connubio junxit; suasque hic Poëta *ἐρωτικὸς* Amori qui dicebatur partes elegantissimas assignavit: ex hoc conjugio omnia primum enata cecinit, atque etiam nunc per hos conjuges, vernis præsertim temporibus in mutuos ruentes amplexus, in ordine quidque suo vegetatum custodiri conservarique." Quæ dixi pleraque advocatis Euripideis

non difficulter demonstrari possunt. —— Dii, quales a primis Theologis Poëtis confictos vulgus Græcorum venerabatur, omnibus vitiis, quæ in hominem cadunt, deformes, huic in scena Philosopho probari certe non poterant: de illis quid sentiret sæpenumero neque illud obscure significavit; et his homines eruditi inter Christianos quibusdam commode sunt usi, ad Deos istos nihili Gentilis Poëtæ verbis irridendos, eorumque cultores velut testimoniis domesticis confutandos. Præter cetera, quæ plurima possent excitari, satis erit legisse Eurip. Ionem vss. 441—451. Herc. Fur. vss. 1315—1321. vss. 1341—1346. Andromach. v. 1165. conferri poterit Cudworthi Syst. Intell. c. iv, §. 19, p. 424, et p. 433. Vere scripsit in Bellerophonte,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Adversariorum calumniis, et exemplis motus aliorum cautius postea mercari didicit, quodque Pindarus dicebat, *τόγε λοιδορῆσαι θεοὺς, ἐχθρὰν* esse *σοφίαν* animadvertit, insanientem sapientiam Horatio. Sic olim orsus Euripides suam Melanippen,

Ζεὺς, ὅστις ἐστὶν, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ
Κλύων·

primo versui hunc postea substituit,

Ζεὺς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο,—

correctum versum præbet Aristoph. Ran. v. 1275, adhibitum etiam Hermogeni p. 555. Priora leguntur apud Athenag. p. 23. Justin. M. p. 41. E. Luciano hinc facile restituenda T. ii, p. 689. Ad Plutarch. T. ii, p. 756. B. C. comparari poterit Theod. Canter. Var. Lect. i, c. 25. Post obitum Poëtæ demum actis, Bacchabus insunt Euripidis non pauca, quibus receptam civibus suis religionem videri voluit tueri; editamque fabulam a Poëta, 'ut impietatis a se crimen amoveret,' suspicabatur amicus elegantissimus S. Musgravii Emend. in Eurip. p. 151. Istorum unum adhibet perdoctus defensor patriæ superstitionis Plutarchus l. c. B. in iis quæ Deos spectant, *ἀρκεῖ*, inquit, *ἡ πάτριος καὶ παλαιὰ πίστις, ἧς οὐκ ἔστιν εἰπεῖν οὐδ' ἀνευρεῖν τεκμήριον*

ἐναργέστερον, οὐ δι' ἄκρας τὸ σοφὸν εὕρηται φρενός. in his syllaba fuit elisa a vicina: corrigendum enim, Οὐδ' εἰ δι' ἄκρας &c. sive prout legitur in Eurip. Bacch. versu 203, quem cum vicinis sic ascribam ut emendandos arbitror,

[1] Οὐδὲν σοφιζώμεσθα τοῖσι δαίμοσιν·
Πατρίους παραδοχὰς, ἅς θ' ὁμήλικας χρόνῳ
Κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος,
Οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν.

Sed in istis aut plebis indignatur superstitionem, et Poëtarum de Diis figmenta damnat (ut in Hercule v. 1346, ἀοιδῶν, ait, οἵδε δύστηνοι λόγοι, quæ valde vitiata leguntur ap. Plutarch. ii, p. 1052. E.) aut, quod sæpenumero callide fecit Plato, ad suæ se civitatis mores accommodat.

De Deo quid vere senserit Euripides, in Choris aliquoties declaravit, ex sua sæpe persona Chori ministerio loquutus: Comicos hoc in Parabasi fecisse ubi scribit Pollux iv, 111, atque illud Tragicis monet inusitatum, ἀλλ' Εὐριπίδης, inquit, αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. Tale Χορικὸν ᾆσμα fuisse suspicor in ejus dramate Pirithoo, cujus hanc nobis partem dedit Clemens Alex. Strom. v, p. 717, ex illo Eusebius Præp. Ev. xiii, p. 681. B.

[2] Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
Ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ',

1 Exhibent in his Edd. σοφιζόμεσθα· Πατρὸς παραδοχὰς, — et καταβάλλει. Comparandus ad h. l. Chorus in Bacch. v. 888, &c. In Erechthei Fragmentis versus est 108, Προγόνων παλαιὰ θεσμί' οὔτις ἐκβαλεῖ. Pietatem veteres Athenienses sitam putabant ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν, Isocrat. Areopag. p. 145. D. Attico autem more scripserit Πατρίους παραδοχὰς, ut τιμὰς scribunt πατρίους, et θυσίας πατρίους.—Ut versuum istorum secundo Κρόνῳ scribi quoque potuerit, cum de antiquissimis Κρόνιοι quoque νόμοι dicantur; vulgatum χρόνῳ mutari nolim: αἰὼν χρόνου παῖς dicitur in Eurip. Heraclid. v. 900, eidem οὐδενὸς ἐκφὺς χρόνος, in Bellerophonte apud Stobæum Grot. p. 11.

2 Vulgata versu primo lectione non deterior, quam præbet Eusebius, Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, σὲ τὸν αἰθερίῳ—(qui in vs. 2, Ῥόμβῳ præter ceteros Grotio præbuit in Exc. p. 399, pro ὄμβρῳ·) Sed illam Clementis affirmat Schol. in Eurip. Orest. v. 980, priores hinc duo versus excitans: Schol. in Apollon. Rhod. iv, 144, ad v. Ῥυμβόνας, citat ut ex Euripidis Pirithoo: σὲ τὸν αὐτοφυῆ πάντων θεῶν αἰθέρα ῥύμβῳ. τουτέστι κινήσει. ὅθεν καὶ τὸ κινούμενον τροχίσκιον, &c. Euripidea corrupit interpolator; scripserat, opinor, Grammaticus: Σὲ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ ῥύμβῳ· et rectius posuisset δινήσει et δινούμενον· cum enim duplex sit motus, κίνησις intelligenda τοῦ ἐν τῷ αὐτῷ στρεφομένου· vid. Plato Theæt. p. 181. C. Parmenid. p. 138. C. Theocrit. ii, 30, ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος—Ὣς κεῖνος δινοῖτο. huc pertinens Scholion male Calliergus ascripsit ad v. 18, Ῥόμβος δὲ, ὃν οἱ Ἀττικοὶ ῥύμβον καλοῦσι· sic recte Piersonus emendavit ap. Ruhnken. in Tim.

Ὃν περὶ μὲν φῶς, περὶ δ' ὀρφναία
Νὺξ αἰολόχρως, ἄκριτός τ' ἄστρων
Ὄχλος ἐνδελεχῶς ἀμφιχορεύει.

Hæc sunt Latina Grotii:

Te voco, te non aliunde satum,
Qui naturam turbine versas
Totam ætherio, quem lux circum,
Noxque atricolor, semper et ingens
Circumsultat chorus astrorum.

His ex Pirithoo versibus usus est R. Cudworthus Syst. Intell. p. 434. Recte meo judicio Clemens, *ἐνταῦθα*, inquit, *αὐτοφυῆ, τὸν δημιουργὸν νοῦν εἴρηκεν·* hoc in loco Tragicus *αὐτοφυῆ* dixit mentem divinam, sive Deum opificem universi: mundi enim opificem Deum vocabant *δημιουργὸν*, et *τῶν ὅλων*, sive *τῶν ὄντων δημιουργόν.* veritatem, quæ Christianis innotuit, proximi videntur Indi accessisse, a quibus *τὸν λόγον, ὃς ἐς τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων εἴρηται*, dicuntur Ægyptii transsumsisse Apollonio in Apologia ad Domitian. Philostr. de V. A. viii, c. 7, p. 337, *ὁ λόγος δὲ*, inquit, *τῆς μὲν τῶν ὅλων γενέσεώς τε καὶ οὐσίας θεὸν δημιουργὸν οἶδε.* Multis quidem veterum Philosophorum dicebatur rerum omnium quæ sunt in universo auctor Deus, et pater, et opifex, *ἀρχά τε καὶ αἰτία τᾶς τῶν ὅλων διακοσμάσιος* Callicratidæ Stobæi p. 486, 24, sed qui dixerit non tantum rerum universi *γενέσεως*, sed et *οὐσίας*, atque adeo ipsius etiam materiæ creatorem, *δημιουργὸν*, neminem equidem novi.

Cur autem Clemens, non *θεὸν τὸν δημιουργὸν*, sed scripserit *τὸν δημιουργὸν νοῦν*, ratio mihi videtur in Euripidæ præceptore Anaxagora quærenda: Thales in Ionica Schola statuerat *νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεὸν*, sed primus vidit inter Græcos Anaxagoras *νοῦν κοσμοποιὸν τὸν θεόν·* sic recte Physicorum istorum

Lex. Platon. p. 164. Nostro certe loco *'Ρύμβῳ* scribendum vidit accuratiss. Ed. Thwaites ad ista Eustathii in Dionys. Perieg. v. 1134, *τινὲς δὲ 'Ρύμβον γράφουσι διὰ τοῦ ύ, ὡς Εὐριπίδης ἐν Πειρίθῳ αἰθέριον ῥύμβον φησὶν, ὅ ἐστι στροφὴν καὶ τροχοειδῆ κίνησιν·* monuitque Clar. P. Wesseling. ad Itiner. Hierol. p. 603, huc pertinere Hesychianum *Αἰθέρος* (vel *Αἰθέριος*) *ῥύμβος, οὐρανός*, ubi de Pirithoi scripta fragmento a Cl. Jo. Alberti mallem omissa. In Orphico hymno iii, *εἰς Οὐρανὸν* versus est 4,

Οἶκε θεῶν μακάρων, ῥόμβου δίναισιν ὁδεύων.

opiniones in Eclogarum initio distinguit Stobæus: Deo, quem puram mentem esse atque a materia longe semotam percepit, hujus universi tribuit Anaxagoras omnem ornatum: omnia secundum illum in unum congesta et permixta nihil erant nisi pondus iners; inerti ponderi motum, formam, atque ornatum mens indidit divina, atque ita hoc universum condidit: Diogenes Laërt. Procem. § 4, *Ἀναξαγόρας πάντα ἔφη χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ· Νοῦν δὲ ἐλθόντα αὐτὰ διακοσμῆσαι.* Plutarch. de Placitis Philos. i, c. 7, *ὁ Ἀναξαγόρας φησὶν, ὡς εἱστήκει κατ' ἀρχὰς τὰ σώματα, Νοῦς δὲ αὐτὰ διεκόσμησε θεοῦ, καὶ τὰς γενέσεις τῶν ὅλων ἐποίησεν.* ipsa nobis verba videtur Anaxagoræ servasse i, c. 3, si pro *διῇρε*, Græcis inusitato, *διῄρεε*, atque ita scripserit ista more Ionico, *ὁμοῦ πάντα χρήματα ἔην· Νόος δὲ αὐτὰ διῄρεε καὶ διεκόσμεε.* erant res omnes congestæ: congeriem Mens dirimebat atque in ordinem omnia disponebat. ibidem propterea laudatur, *ὅτι τῇ ὕλῃ τὸν Τεχνίτην προσέζευξεν.* Diogen. Laërtius ii, 6, *πρῶτος*, ait, *τῇ Ὕλῃ νοῦν ἐπέστησεν.* Plutarch. in Pericle p. 154. B. C. *τοῖς ὅλοις—πρῶτος—διακοσμήσεως ἀρχὴν—νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον.* nonnulla dederunt P. Merula ad Ennii Ann. p. 123, et Æg. Menag. in Diogen. Laërt. sed data opera sententiam exposuerunt Anaxagoræ Cudworthus Syst. Intell. c. iv, Sect. 20, p. 458—460, et Clar. Heinius dans l'Histoire de l'Acad. Royale de Berlin de l'année 1753, p. 363, et seqq. Qui jam contulerit Diodor. Sic. i, p. 11, Dionysium Halicarn. T. ii, p. 85, 16, p. 102, 45, et Nath. Forsterum in Platonis Phædon. p. 374, non dubitaturum puto, quin Clemens ex Anaxagoræ sententia *τὸν δημιουργὸν Νοῦν* intelligi voluerit, atque optime fuerit Euripidis ista ex Pirithoo interpretatus. Deum itaque, qualem in Anaxagoræ schola cognoverat, hic invocat Euripides, tanquam

τὸν αὐτοφυῆ, τὸν ἐν αἰθερίῳ
Ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξανθ',

Non aliunde satum, sed natura sua æternum, atque universi conditorem. *Ῥύμβος αἰθέριος* Hesychio est *ὁ οὐρανός·* Cœlum autem, sive *ὁ κόσμος*, secundum veteres *περιέχει τὰ πάντα*, terram, mare, quæque in iis sunt omnia complectens: in talibus *τὴν φύσιν*, sive *τὰ πάντα* dicant, sive *τὴν τῶν πάντων*

φύσιν, nihil interest: quique adeo omnia mundo intexuit, *ὁ ἐν αἰθερίῳ ῥύμβῳ πάντων φύσιν ἐμπλέξας*, Deus est ædificator mundi. Est autem eximie *ῥύμβος αἰθέριος*, Aristophani Nub. v. 379, *αἰθέριος δῖνος, ἡ τῶν ἀστέρων δίνησις* (vid. Markland. ad Max. Tyr. xxii, fine); sive *κύκλῳ περιφορά*, prout Platoni dicitur de LL. v, p. 747. A. vii, p. 818. C. *ἡ περιφορὰ τῆς ὅλης συντάξεως* apud Athen. ix, p. 378. D.

Deus *Αὐτοφυὴς* dicitur *ὁ ἔχων ἀφ' ἑαυτοῦ τὸ εἶναι*, (*τὸ εἶναι* veteribus *φῦναι* dicebatur et *πεφυκέναι*·) qui est a se ipso: *αὐτόθεος*· vim istam vocis *αὐτὸς* in composito sic explicat Ulpian. ad Demosth. de Cor. p. 180, *ὃς* (hoc inserendum) *οἴκοθεν καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ ἔχει τὸ* &c. virtute nonnihil diversa apud Platonem de LL. i, p. 642. C. *ὅσοι Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι·—μόνοι γὰρ ἄνευ ἀνάγκης αὐτοφυῶς εἰσὶν ἀγαθοί*· natura, *φύσει*, boni: sic ista lego rejectis in marginem istis, *θείᾳ μοίρᾳ, ἀληθῶς καὶ οὔτι πλαστῶς*, commodis interpretamentis vocis *αὐτοφυῶς*·—Deus dicitur *αὐτοφυὴς*, ut *αὐτοτελὴς*, in se et natura sua perfectus: Hippodamus Stobæi p. 553, 24, *αὐτοτελέα* explicat, *ὅσα δι' αὐτὰ τελέα ἐντὶ καὶ οὐδενὸς ἐπιδεῆ τῶν ἔξωθεν, οὔτε ποτὶ τὸ ἦμεν, οὔτε ποτὶ τὸ καλῶς ἦμεν. τοιοῦτος δέ κεν εἴη ὁ θεός*· Euryphamo p. 556, 42, homo dicitur non *αὐτοτελὴς —ἀλλὰ τέλῃος*· sic enim leg. pro *ἀλλ' ἀτελής*. Deus nullius indigus, ut Philosophis ceteris, sic et Euripidi Herc. Fur. v. 1345,

> *Δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἐστ' ὄντως θεὸς,*
> *Οὐδενός.*

Aristæo quoque Pythagoreo in Stobæi Eclog. p. 45, 33, Deus est *ἀγέννατος καὶ αὐτοτελής*. Sed quæ dixit Hymno in suum Jovem omnium efficacissima Aristides, T. i, p. 5, apte congruunt in Deum Euripidis *τὸν αὐτοφυῆ· ὅδε ἐστὶ πρῶτός τε καὶ πρεσβύτατος, καὶ ἀρχηγέτης τῶν πάντων, αὐτὸς ἐξ αὑτοῦ γενόμενος· ὁπότε δὲ ἐγένετο οὐκ ἔστιν εἰπεῖν· ἀλλ' ἦν τε ἄρα ἐξ ἀρχῆς καὶ ἔσται ἐσαεὶ, αὐτοπάτωρ τε καὶ μείζων ἢ ἐξ ἄλλου γεγονέναι καὶ—αὐτὸς ἑαυτὸν ἐξ ἑαυτοῦ ἐποίησε, καὶ οὐδὲν προσεδεήθη ἑτέρου εἰς τὸ εἶναι.* In his Euripideis tractandis modum forte videbor excessisse.

Ejusdem alia quædam de Deo dicta, ex uno Alexandrino Clemente collecta, simpliciter ponam. Loco, jam

ante prolato, *Δυσδαίμων*, aiebat, *Δυσδαίμων, ὃς, τάδε λεύσσων*, (hujus puta universi ordinem) *θεὸν οὐχὶ νοεῖ*. In Clementis Protrept. p. 59, 19,

Θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νοητέον;
Τὸν πάνθ' ὁρῶντα κ' αὐτὸν οὐχ ὁρώμενον,

Εὐριπίδης λέγει. In ejusdem Strom. v, p. 691, istis Jesaiæ, *λέγει κύριος,—ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετε μοι;* &c. *παγκάλως καὶ ὁ Εὐριπίδης συνᾴδει τούτοις, γράφων,*

Ποῖος δ' ἂν οἶκος, τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο,
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;

Parietibus includere Deos Persis etiam, ut notum est, absurdum videbatur. Uno præterea hic contentus ero Euripidis cantico, quod perinsigne solus etiam nobis Clemens Alex. servavit Strom. v, p. 688, ubi *πάνυ*, inquit, *θαυμαστῶς ὁ ἐπὶ τῆς σκηνῆς φιλόσοφος Εὐριπίδης τοῖς προειρημένοις ἡμῖν* (nempe *περὶ τοῦ γνωστικοῦ βίου*) *συνῳδὸς διὰ τούτων εὑρίσκεται, Πατέρα καὶ Υἱὸν ἅμα οὐκ οἶδ' ὅπως αἰνισσόμενος*. Filium Patris æterni, quem eximie sic dictum adoramus Christiani, Græco Poëtæ veteri vel obscurissimis verbis adumbratum, hoc quidem ævo nemo sibi facile persuaderet: estque sane verissimum, quod de Clemente scribit alia occasione Moshemius ad Cudworthi Syst. p. 427, n. 6.

Sed *μέλος* illud Euripidis apponam, hic illic paulo rectius scriptum, quam a Grotio in Excerptis p. 431, Barnesio p. 510,

[1] *Σοὶ, τῷ πάντων μεδέοντι, χοὴν,*
Πέλανον τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης

1 In his a Grotio recessi: vs. i, *τῷ* revocavi ex Clem. pro *τῶν* vs. 4, *θυσίαν ἄπορον* in *θ. ἄπυρον* mutavi obsecutus Abreschio Anim. ad Æsch. p. 256. Heathio in Fragm. Eurip. p. 185. et Toupio Emend. in Suid. iii. p. 319. Pro *παγκαρπίας* recepi Grotianum *παγκαρπείας*· Sophocles Polyido: *Ἐνῆν δὲ παγκάρπεια συμμιγὴς ὀλαῖς*.—Vs. 5, paulo forsan audacius scripsi (*θυσίαν ἄπυρον*) *προχυθεῖσαν*· (ut *οἶνον προχυθέντα* Demetrius Phal. *π. Ἑρμ.* §. 173.) ubi Clemens *προχυτίαν* præbet, Grotius *προχύτην τε*· Heathius, *προχυταίαν*· Non recordabatur vir Clar. incolam insulæ cujusdam prope Siciliam *Προχυταῖον* dictum; cetera vocem esse æque inusitatam ac *προχυτίαν* et pæne dixeram *προχύτην* isto sensu: hoc quoque versu quid aptius ut et præcedenti aliquando excogitabitur.—Vs. 9, 10, restitui Clementina, nisi quod *ψυχᾶς* posuerim pro *ψυχάς*· Grotius dederat, *ψυχαῖς ἀνέρων Ταῖς βουλομέναις*·—et in Vs. 12, *Τίνι δεῖ μακάρων εὖ θυσαμένους*, pro vulgatis apud Clem. *Τίνα δὴ μακάρων ἐκθησαμένοις*· ubi Lowthii conjecturam, le-

Ὀνομαζόμενος στέργεις· σὺ δέ μοι
Θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας
Δέξαι πλήρη προχυθεῖσαν.
Σὺ γὰρ, ἔν τε θεοῖς τοῖς οὐρανίδαις
Σκῆπτρον τὸ Διὸς μεταχειρίζων,
Χθονίων θ' Ἅιδη μετέχεις ἀρχῆς·
Πέμψον μὲν φῶς ψυχᾶς ἀνέρων
Τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν,
Πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν,
Τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένοις
Εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.

hæc sunt Latina Grotii :

Tibi cunctorum domino vinum
Salsamque molam fero, seu Ditis
Tu sive Jovis nomine gaudes.
Cunctis larga defusa manu
De frugibus accipe dona.
Tu namque Deos superos inter
Sceptrum tractas sublime Jovis,
Idem regnum terrestre tenes.
Tu lucem animis infunde virum,
Qui scire volunt, quo sata mentis
Lucta sit ortu, quæ causa mali,
Cui cœlicolum rite litando
Requiem sit habere laborum.

His precibus ad Summum rerum Moderatorem fusis hoc

gentis *ἐκθυσαμένοις*, firmatam Codice MS. recepi ad Herodotum p. 480.—Quod paulo ante dicere incipiebam, nec Grotii lectio, *προχύτην τε*, locum invenit in horum versuum quinto : sic poculum quoddam dicebatur ; salsæ fruges, in victimam ignemque sacrum defusæ, *Προχύται*, plurali semper numero, (ut *οὐλαὶ*, et *οὐλοχύται*,) appellantur Euripidi Elec. v. 803, Iph. Aul. v. 1112. 1472. Sed molæ, in memoriam ritus antiqui sparsæ, in his sobriis sacris vereor ut locus fuerit : erat enim frugum omne genus oblatio et *ἄπυρος θυσία*· mirorque adeo cur Grotius *χοὴν*. *Πελανόν τε*, vinum Salsamque molam reddiderit : nota lex vetus Attica ap. Petit. p. 69, qua jubebantur Deos et heroas honorare *ἀπαρχαῖς καρπῶν πελάνοις τε ἐπετείοις*· Apud Pausan. in Atticis p. 62. f. *Διὸς* memoratur *Ὑπάτου βωμὸς, ἔνθα ἔμψυχον θύουσιν οὐδὲν, πέμματα δὲ θέντες οὐδὲν ἔτι οἴνῳ χρήσασθαι νομίζουσιν*· isti Jovi suo Cecrops *πέμματα ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι*, Pausan. viii, p. 600. m. de his *ἀπύροις ἱεροῖς*, apud Eleos, Arcadas Phigalenses, Delios, aliosque usitatis multa dici possent quæ hujus non sunt loci, præter illa quæ dedere Ez. Spanhemius ad Callim. p. 494, 616. ad Aristoph. Plut. v, 659, 660, et Jac. Perizon. in Ælian. V. H. xi, c. 5.

in genere nihil illustrius esse vere judicabat Rad. Cudworthus Syst. Intell. c. iv, §. 19. Illud equidem non exputo, quamobrem ad ista, *θυσίαν ἄπυρον παγκαρπείας*, et qua mente adscribi potuerit ab Alexandrino, *ὁλοκάρπωμα γὰρ ὑπὲρ ἡμῶν ἄπυρον* (sic leg. vs. 19, p. 688.) *θῦμα ὁ Χριστὸς*, quibus alludere Paulina videtur *τὸ πάσχα—ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστὸς*, ex 1 Epist. ad Corinth. v, 7. Nec miror tamen ista Clementis de Euripide, *ὅτι τὸν σωτῆρα αὐτὸν οὐκ εἰδὼς λέγει.* sic enim ultima scripta sunt Poëtæ Philosopho, ut videri quodammodo queat Deum quemdam desiderasse Salutiferum, qui malis, quibus homines insanabilibus premebantur, aliunde non exspectandum præsentissimum afferret remedium. Invocat Deum Gubernatorem universi, cujus nomen sibi fatetur incognitum; quemque, ut verbis utar Pauli Lucanëis, *ἀγνοῶν—ηὐσέβησε·* huic frugum offert suarum primitias in animi grati testificationem ob benefacta: hujus in superis inferisque agnita potentia, petit ab illo supplex, ut mentes illuminare dignetur veritatis amatorum, atque hos edocere, præter cetera,

Τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένοις
Εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.

Cui cœlicolum rite litando
Requiem sit habere laborum.

CAPUT VI.

Euripidis exhibet de duobus Rerum creatarum principiis Systema.

Euripidis Anaxagorea. Cœlum, sive Æther, et Terra duo rerum creatarum principia. Æther Tragico genitor hominumque Deumque, vulgo Jupiter dictus, Terram complexus ut conjugem. Nomina Jovis, Ætheris, Cœli in talibus permutari. Æthera semen genitale in Terram omniparentem defundere. Horum conjugum amorem ve-

nuste Tragicis enarrari. Nilum amorem Telluris dictum ex mente Ægyptiorum. In Ægypto versatum et Anaxagoram. Secundum Eurip. nihil mori; in suum quodque resolvi corpus genitale. Corpus in terram redire; in cœlum, seu Æthera animum, sive illud in mente quod sit immortale.

Ut orsa capite præcedenti detexam, etiam secundum Euripidem, præter Opificem, *τὸν αὐτοφυῆ*, nihil ante conditum hoc universum fuit, nisi 'rudis indigestaque moles.' Sectam congeriem in duo membra Deus redegit ædificator, cœlum et terram: hæc duo consideravit velut corpora genitalia, sive rerum postea creatarum principia, hac in re quoque præceptorem secutus Anaxagoram: Diodorus Siculus, L. i, exposita veterum sententia statuentium ante mundum conditum *μίαν ἔχειν ἰδέαν οὐρανόν τε καὶ γῆν, μεμιγμένης αὐτῶν τῆς φύσεως*, &c. *ἔοικε δὲ*, inquit p. 11, *περὶ τῆς τῶν ὅλων φύσεως οὐδ' Εὐριπίδης διαφωνεῖν τοῖς προειρημένοις, μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρου τοῦ φυσικοῦ· ἐν γὰρ τῇ Μελανίππῃ τίθησιν* (corrigendum *φησὶν*, syllabam *τι* peperit litera præcedens,) *οὕτως*,

Ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία·
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
Δένδρη, πετεινά, θῆρας, οὕς θ' ἅλμη τρέφει,
Γένος τε θνητῶν.

his versibus, quos Melanippen *τὴν σοφὴν* fecit in scena dicentem, istum præfixerat Poëta:

Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα, Ὡς, &c.

quo versu suam erga præceptorem Anaxagoram benevolentiam insinuasse dicitur Dionysio Halic. Arte Rhetor. p. 85, 21, *ἡ ἀρχὴ τοῦ λόγου αὐτῷ αἰνίττεται τὴν πρὸς τὸν διδάσκαλον εὔνοιαν·* illic non lectum, initium istud exhibet infra p. 103, 3, ubi paulo ante, *Ἀναξαγόρᾳ*, inquit, *προσεφοίτησεν Εὐριπίδης· Ἀναξαγόρου δὲ λόγος ἐστὶν ὅτι Πάντα ἐν πᾶσιν* (addendum videtur *ἦν·*) *εἶτα ὕστερον διεκρίθη.* Ista tamen, personæ minime congrua dum mulierem Poëta dicentem facit, hanc esse arbitror *τὴν τῆς Μελανίππης ῥῆσιν*, quam velut exemplum *τοῦ*

ἀπρεποῦς καὶ μὴ ἁρμόττοντος notabat Aristoteles de Poët. c. xv. Primum autem versum eleganter alludens in Symposio Plato T. iii, p. 177, A. ἡ μέν μοι ἀρχὴ τοῦ λόγου ἐστὶ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Μελανίππην, οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε· habuit non in Sophistis tantum sed et Poëtis imitatores: errat in Aristide Scholiasta Jebbii T. ii, p. 33, excitans diversæ sententiæ hemistichium ex Eurip. Hippolyto v. 352.

Quæ quidem philosophanti Melanippæ cœlum et terra, propria Euripidi appellatione dicuntur æther et terra. Si res ipsa spectetur, verum videri poterit quod posuit Casaubonus Anim. in Athen. x, c. 5. ejusdem Euripidem fuisse sententiæ cum Homero et Xenophane Colophonio: sed in Euripidis Sthenobœæ fragmento, quod tractat Casaubonus, explicando a viro summo dissentirem; et, velut ab illorum opinione diversam, Euripidis de rerum principiis sententiam considerarunt veteres; quorum loca pro istius ævi ratione Theod. Canterus attigit Var. Lect. ii, c. 15, Sextus Empir. p. 685, Vitruvius Præfat. L. viii, Probus in Virgil. Eclog. vi, 31, qui, memorata Xenophanis opinione, duo statuentis creationis principia terram et aquam, 'consentit,' ait, 'in numero Euripides, sed speciem discriminat; Terram enim et Aëra inducit principia.' Aëra et Terram dixit et Vitruvius; sed Sextus, aliorum recensitis hac in re placitis, ἐκ Γῆς δὲ, inquit, καὶ Αἰθέρος [γεγενῆσθαι τὰ πάντα θέλει] Εὐριπίδης, hic quidem vocem adhibens Euripidis genuinam Αἰθέρος, in quam frequentandam Tragicum huncce εὐεπίφορον fuisse vere scribit Schol. in Aristoph. Ran. v. 919, quo versu

Αἰθὴρ ἐμὸν βόσκημα,

inquit Euripides, si quis alius præter Socratem, indignissimus, qui toties turpiter violatus a Comico in scena agitaretur: Euripidis de æthere sententiam ridendam exponit Aristoph. in Thesmoph. v. 13,

οὕτω ταῦτα διεκρίθη τότε.
Αἰθὴρ γὰρ ὅτε τὰ πρῶτα διεχωρίζετο,
Καὶ ζῶ' ἐν αὐτῷ ξυνετέκνου κινούμενα,
Ὧι μὲν βλέπειν χρὴ πρῶτ' ἐμηχανήσατο, &c.

Æther Euripidi, velut genitor, ex Terra matre omnia procreavit animantia et inanima: in Chrysippi dramatis nobili fragmento,

Γαῖα μεγίστη, καὶ Διὸς αἰθὴρ,

hic quidem hominum Deorumque *γενέτωρ*, illa animantium et frugum alma genetrix,

Μήτηρ πάντων νενόμισται.

Præter flumina, mare, Solem, injuriæ testes invocantur Æschyli Prometheo v. 88, 90, *Ὦ δῖος αἰθὴρ,—παμμῆτόρ τε γῆ.* Sed Euripidæ mentem atque ex diversis locis verba Pacuvius expressit in Chryse: locum a Scaligero ad Varron. p. 31. Gatakero in M. Antonin. iv, 23. G. J. Vossio, aliisque emendatum, versu in suam, ut puto, sedem reposito, hic ascribam:

Hoc vide circum supraque, quod complexu continet
Terram; nostri cœlum memorant, Graii perhibent æthera:
Quicquid est hoc omnia is animat, format, auget, alit, creat,
Sepelit, recipitque in sese omnia; omnium idem est Pater;
Mater est terra; ea parit corpus; animam æther adjugat:
Indidem eademque oriuntur; de integro atque eodem occidunt.

Præter ista ex dramate Chrysippo, respexit in his vel inprimis Euripidea, forsan e Cressis petita, quæ, sæpe veteribus et recentioribus adhibita, ne hic quidem omitti possunt:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις·
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.

ut nec Enniana,

Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

præ reliquis, qui hic plures nominari possent, huc spectantia collegit Thom. Gataker. l. c. peregregia: ubi Stoicus Chrysippus disputabat, ut scribit Cicero de N. D. i, c. 15, 'Æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent,' Euripidis

præsertim nitebatur hanc in rem testimoniis: Euripidi vero, ceterisque Poëtis Græcis et Latinis hac etiam in parte præivit Homerus, cui in Il. *T*, 357,

ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται·

Nihil interest utrum in talibus dicatur ἐκ Διὸς, an ἐξ οὐρανοῦ, vel ἐξ ἀέρος· illic ἐκ Διὸς interpretatus ἐξ οὐρανοῦ qui docte scripsit de Arati vita et opere p. 273. D. ut monstret per Δία etiam τὸν ἀέρα posse intelligi, testem ait citari Philemona Comicum, p. 274. B. cujus illic verba sic scribi debuerant:—"Ον οὐδὲ εἷς λέληθεν (οὔτε κακὸν οὔτε ἐσθλὸν πεποιηκὼς, sensum tantum dat a se omissorum Grammaticus, quæ Stobæus nobis exhibet in Eclogis Cant. p. 6, et p. 25,)—οὗτός εἰμ' ἐγὼ

'Αὴρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

his tandem subdit, ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τῷ βίῳ φαμὲν, τὸν Δία ὕειν. in hanc quotidianam loquendi formulam nonnulla ascripta sunt ad Herodotum P. 109. conf. Toupio notata in Suid. ii, p. 139. G. J. Vossius de Orig. et Progress. Idol. ii, c. ult. et Jo. Potter. in Lycophr. Cass. v. 80. Secundum Macrobium in fine Saturn. 'Alcman Lyricus dixit rorem aëris et Lunæ filium:' sumsit ex Plutarchi Sympos. ii, p. 759. B. ubi Alcman, οἷα, φησὶ, Διὸς θυγάτηρ μέγα τρέφει καὶ σελάνας. non μέγα, sed ἔρσα dederat hic Plutarch. ut p. 918. A. 940. A. Alcman autem: Οἷα Διὸς θυγάτηρ ἔρσα τρέφει Καὶ σελάνας δίας. attigit Victorius V. L. xiv, c. 17. Chrysippo aliisque Stoicis, quibus Jupiter erat Æther 'aër interjectus inter mare et cœlum, (Cicero de N. D. ii, c. 26.) Junonis nomine' censebatur consecratus: 'qui diligentius eruunt veritatem' secundum Macrobium Saturn. iii, c. 4, 'dixerunt, esse—medium æthera Jovem, Junonem vero imum aëra cum terra.' Sed solius ferme Euripidæ locis hic uti constitueram.

Æther Tragico pater hominumque Deumque, atque adeo est is ipse, qui vulgo Jupiter dicebatur; quam Æther 'tenero circumjectu amplectitur,' Terram Ætheri Tragicus stabili connubio junxit: ex perdita sunt Euripidis Tragœdia, nec Grotio neque aliis, quantum recordor, animadver-

sa, quæ præbet Cornutus de N. D. p. 184. *Κορυφὴ δὲ θεῶν, κατ' Εὐριπίδην, ὁ περὶ χθόνα ἔχων φαεινὸς αἰθήρ·* ex Chorico carmine procul dubio petita sunt:

> *Κορυφὴ δὲ θεῶν, ὁ περὶ χθόν' ἔχων*
> *Φαεννὸς αἰθήρ.*

id est, *ὁ περιέχων χθόνα αἰθὴρ,*—Scripserat Lucretius ii, 1065,

> —avido complexu quam tenet æther.

non 'quem', sed 'quam', nempe materiam, sive terram: L. v, 319,

> Hoc circum supraque, quod omnem
> Continet amplexu Terram: quod procreat ex se
> Omnia, (quod quidam memorant) recipitque peremta.

nota sunt illa Lucretii excellentissima ii, 990,

> Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:
> Omnibus ille idem pater est, unde alma liquentes
> Humorum guttas mater cum Terra recepit, &c.

L. i, v. 251,

> pereunt imbres, ubi eos pater Æther
> In gremium matris Terraï præcipitavit,
> At nitidæ surgunt fruges, &c.

quæ cum aliis quibusdam Poëta Philosophus ab Euripide mutuatus est, cui in talibus sæpenumero *Ζεὺς, αἰθὴρ, Διὸς αἰθὴρ,* et *οὐρανὸς* usurpantur promiscue; quod partim jam liquet ex dictis, multisque aliis affirmari posset: in illis Terræ matri jungitur velut omniparens, Æther, cœlum, Jupiter, dius sive Jovis Æther: in Amatorio Plutarchi p. 747. D. Euripidis *ὁ πετάμενος ἱερὸν ἀνὰ Διὸς αἰθέρα Γοργοφόνος,* fuit, ut suspicor, in Andromeda Perseus: neque illud inter Euripideas retulere reliquias, nec quod ponam, in ejus Melanippe lectum: in Aristoph. Thesmoph. Euripides v. 279,

> *Ὄμνυμι τοίνυν αἰθέρ', οἴκησιν Διός.*

In istam fabulam Scholia vetera non pauca possunt apud Suidam reperiri: sed versum Euripidis,

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ', οἴκησιν Διός,

quem præbet Suidas in v. *Παρακεκινδυνευμένον*, velut illius legerat in Scholiis ad Arist. Ran. v. 100, ubi nostris prostat in exemplaribus tanquam *ἐκ Μελανίππης Σοφοκλέους.* infrequens corrector Steph. Bergler. in notis ad Thesm. v. 279, docte emendat *ἐκ Μελανίππης σοφῆς*, sive *τῆς σοφῆς·* facilis fuit error describentis, qui sic nomen Sophoclis sæpe legerat compendifactum; cujus, quæ nulla fuit, Melanippe nititur istac voce mendosa. Euripidea præsertim spectabat in Ibide scribens Ovidius v. 71,

Ipsaque tu Tellus,
Ipse meas Æther accipe summe preces.

Ut in vita communi indignitate rei commoti, cœlum, terram, mare, Solem, inclamabant, apud Euripidem Jovem et Terram invocant jurantque: Orestes in Elec. v. 1177, *Ἰὼ Γᾶ, καὶ Ζεῦ πανδερκέτα βροτῶν, Ἴδετε τάδ' ἔργα.* Chorus in Medea v. 148, *Ἄϊες, ὦ Ζεῦ, καὶ Γᾶ, καὶ φῶς, Ἰαχάν·* Eurip. Hippolytus v. 1025, *Νῦν δ' ὅρκιόν σοι Ζῆνα καὶ πέδον χθονὸς Ὄμνυμι·* Medea v. 746, *Ὄμνυ πέδον γῆς, πατέρα θ' ἥλιον πατρὸς Τοὐμοῦ, θεῶν τε συντιθεὶς ἅπαν γένος.* Medea more gentis suæ cœlo et terra matre potuerat esse contenta: nam apud Apollonium Rhod. iii, v. 699, sorori dicenti, *Ἀλλ' ὄμοσον γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν*, morem Medea gerens v. 714,

Ἴστω (Κόλχων ὅρκος ὑπέρβιος, ὅντιν' ὀμόσσαι
Αὐτὴ ἐποτρύνεις·) μέγας οὐρανὸς, ἥ θ' (ed. *ἥδ'*) *ὑπένερθε*
Γαῖα, θεῶν μήτηρ·—

Euripides apud Macrob. Saturn. i, c. 23,

Καὶ Γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.

In Æthere sedentem dixit terram, quam pater Æther circumjectus *περιεῖχε*, amplectebatur: *τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου Αἰθέρος* meminit in Bacchabus v. 292. Troadum versus 883,

Ὦ γῆς ὄχημα, κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν,

—*Ζεύς*, cum seqq. hic me non detinebit: vid. Clar. Nath. Forster. in Platonis Phædon. p. 390.—Æthera Terramque tanquam Omniparentes Chrysippi nobis expingit Euripidei fragmentum: alius ex perdita Tragœdia locus ejusdem ferme sententiæ, ni fallor, obversabatur Porphyrio *π. Ἀ.* iii, 25, p. 135, ista scribenti: *συγγενὲς ἡμῖν τὸ τῶν λοιπῶν ζώων γένος· καὶ γὰρ τροφαὶ πᾶσαι αἱ αὐταὶ πᾶσιν αὐτοῖς, καὶ πνεύματα, ὡς Εὐριπίδης, καὶ,*

> *φοινίους ἔχει ῥοὰς*
> *Τὰ ζῶα πάντα·*

καὶ κοινοὺς ἁπάντων δείκνυσι γονεῖς, Οὐρανὸν καὶ Γῆν. 'Communes omnibus animantibus parentes monstrat Cœlum et terram;' omnibus etiam mortalibus alio sensu communes, 'ceu lumina Solis et auræ,' Ovid. Met. i, v. 135, ut vi, 350, 'usus communis aquarum; Nec Solem proprium Natura, nec aëra fecit.' Claudian. Rapt. Pros. ii, 260, 'alii quascunque tulerunt Raptores, saltem communi Sole fruuntur;' ut Menander dixit *Τὸν ἥλιον τὸν κοινὸν*, p. 184. et p. 260, *ἔσπασας τὸν ἀέρα Τὸν κοινὸν*, Philemon, *τὸν αὐτὸν ἀέρα Ἑτέροις συνέλκεις.* Euripides Helena v. 912,

> *Κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσιν βροτοῖς*
> *Καὶ Γαῖ', ἐν ᾗ*, &c.

Elegantissime Cœlum sive Æther secundum Euripidem maritus, sæpius alias, sed præsertim verno tempore genitale semen desiderantis conjugis in gremium sese

> Rejicit, æterno devinctus vulnere amoris;

ex hoc autem Ætheris compressu

> alma liquentes
> Humorum guttas mater cum Terra recepit,

> [*Ἡ δ'*] *ὑγροβόλους σταγόνας νοτίους*
> *Παραδεξαμένη, τίκτει*, &c.

> Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
> Et genus humanum, et parit omnia sæcla ferarum.

interprete Lucretio ii, 991. &c. Eustath. in Hom. Il. Ξ, p.

966, 31, *τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν*[1] *συνδυάζει ἀλλήλοις ὁ μῦθος, τὸν μὲν ὡς γόνιμον, τὴν δὲ, ὡς ἐκεῖθεν τὰς τοῦ γεννᾷν αἰτίας ἔχουσαν.* Amorem horum conjugum castissimum, quo omnia in mundo animantur, formantur, aluntурque, nativa sua suavitate sic cecinit Noster, ut, quod imitandum habebat, exemplar Æschyli, meo certe judicio longe superaverit, nihilque scribi posse videatur venustius.—Partem Eclogæ tantum proferam, quam, tredecim versibus constantem, nobis ex perdita Euripidis Tragœdia servarunt Athenæus xiii, p. 599, et 600. et Stobæus Ecl. Phys. Canteri p. 21, 22. Grotii p. 149. Sex primis versibus cum egisset Euripides de latissime patente Veneris imperio; (et Venus apud Statium Sylv. i, Ecl. ii, v. 185, ipsum, inquit,

ipsum in connubia Terræ
Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.)

hi septem versus emendate, ut arbitror, scripti subjiciuntur:

Ἐρᾷ[2] *μὲν ὄμβρου Γαῖ', ὅταν ξηρὸν πέδον,*
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει·
Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς Οὐρανὸς, πληρούμενος
Ὄμβρου, πεσεῖν ἐς γαῖαν ἀφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταὐτὸν δύο,
Τίκτουσιν ἡμῖν πάντα, κἀκτρέφουσ' ἅμα,
Ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος.

Exiguam in paucis scripturæ diversitatem nunc non expendam. Et quibus ista nota sunt, hic tamen non illiben-

1. *Συνδυάζει* significat 'connubio jungit:' *συνδυασθέντες ἄῤῥην θηλείᾳ*, Plato de LL. viii, p. 840. D. hinc Ælian. de N. A. iii, c. 44. *Ἀφροδισιαστικῶν συνδυασμῶν* meminit Athen. x, p. 457, D. Clem. Alexandr. p. 558, 21, Gregor. Nazianz. T. i, p. 564. A.

2. Partem fragmenti quæ huc spectat, ex Athenæo repetitam, Eustathius protulit in Il. Ξ, p. 967, 6, attigit omnium primus tribus in locis Aristoteles *Ἠθικ. Νικ.* ix, p. 136, 8. *Ἠθ. Μεγ.* ii, p. 65, 6. *Ἠθ. Εὐδημ.* viii, p. 186, 5. Plutarch. ii, p. 770. A. et M. Antonin. x, 21. Aristotelis loca jam indicata Victorio V. L. xx, c. 20, Gatakerus designavit ad M. Antonin. p. 303, et diligenter enotata protulit loca Poëtarum Latinorum ex istis Euripidæ vel Æschyleis derivata: huic omissa pauca quædam legi poterunt apud Stanleium ad Æschyli Agam. v. 1400. et Christ. Schœttgenium ad Columellæ x. v. 206. Sed ab his ante omnes laudari debuerant, ne Turnebum, Columnam, aliosque dicam, Jos. Scaliger Conj. in Varron. de LL. p. 27. et Fulv. Ursinus in Virgil. Collat. Græc. ill. p. 135, 136. ex quo solo discimus Euripidæ *ῥῆσιν* ex ejus Œdipode decerptam, quod dramatis nomen Ms. Stobæi Codex Ursino monstrasse videtur.

ter legent Æschyli locum e Danaïsin paulo melius scriptum, quam vulgarunt Grotius et Stanleius:

Ἐρᾷ[3] μὲν ἁγνὸς Οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα·
Ἔρως δὲ Γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν·
Ὄμβρος δ', ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν,
Ἔδυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
Μήλων τε βοσκὰς, καὶ βίον Δημήτριον,
Δένδρων τ' ὀπώραν, ἣ 'κ νοτίζοντος γάμου
Τέλειός ἐστι. τῶνδ' ἐγὼ παραίτιος.

Illinc recte Stanleius explicuit Æschylum in Agam. v. 1400, quo satis absurde Tragica Clytæmnestra se mariti cruore respersam dicit,

Χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον, ἢ Διὸς νότῳ
Γᾶν·

In ejusdem Supplicibus vulgata v. 886, *Ὃς ἐρωτᾷς· ὁ μέγας Νεῖλος ὑβρίζοντά σε ἀποτρέψειεν·* in margine libri sui, quem servat Leidensis Bibliotheca, sic emendabat Jos. Scaliger, ne litera quidem adjecta:

Ὁ ἔρως γᾶς, ὁ μέγας
Νεῖλος·

3. In vs. i, *τρῆσαι* frustra posuit Grotius pro lectione Athenaica *τρῶσαι·* amoris 'vulnus' nemini displicet: Phædra Euripidis in Hippol. v. 392, Ἐπεί μ' ἔρως ἔτρωσεν. frequentius, fateor, 'amore saucia' dicitur πληγεῖσ' Ἔρωτι, quam τρωθεῖσα. et hic τρῶσαι novo quodam modo poneretur: mihi non displiceret—βρέξαι χθόνα. quod libenter Moscho restituerem in Epigramm. in Cupidinem aratorem:

Εἶπε δ' ἄνω βλέψας αὐτῷ Διΐ, βρέξον ἀρούρας.

Xenophon Œconom. p. 501, 26, πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. in epigramm. Moschi pervenusto vulgatur,

πρῆσον ἀρούρας
Μή σε τὸν Εὐρώπης βοῦν ὑπ' ἄροτρα βάλω.

—Vs. 3. ἀπ' εὐνοοῦντος dedit Grotius pro vulgata voce ἀπ' εὐνάεντος· cujus loco, monente Clar. Ruhnkenio, Athenæi præbet Epitome Ms. Paris. ἀπ' εὐνάοντος. ex qua vera forsan lectio detegetur: mihi venit olim in mentem εὐρώεντος, 'tenebrosi,' vox Poëtis sed non de cœlo pluvio frequentata.—vs. 4, pro Ἔκυσε, vel Ἔλυσε, vel Ἔδευσε, quod placet Heathio, posui Ἔδυσε γαῖαν· 'terram subire solet;' eleganti conjectura corrigebat Clar. Ruhnkenius: Ὄμβρος—Ἔπλησε γαῖαν, memor in Alope dedisse Tragicum, Πλήσας δὲ νηδύν.—Versu 6 vulgata apud Athen. Δένδρον δέ τις ὥρα ἐκ ν. Grotio scripta, Δένδρων δέ θ' ὥρα ἐκ ν. Stanleio, Δένδρων δέ τις ὥρ' ἐκ ν. Heathio, Δένδρων δέ πως ὧρ' ἐκ ν. recte a me arbitror emendata,

Δένδρων τ' ὀπώραν, ἣ 'κ νοτίζοντος γάμου
Τέλειός ἐστι·

'Et fruges arboreas, quæ ex maritis imbribus suam adipiscuntur maturitatem.'

quæ perdocta Magni viri correctio nititur, ut puto, Ægyptiaca veteri traditione, quam nobis Heliodorus conservavit Æth. ix, p. 423, et 424, *θεοπλαστοῦσι τὸν Νεῖλον Αἰγύπτιοι,—ἀντίμιμον οὐρανοῦ τὸν ποταμὸν σεμνηγοροῦντες* [*Ὃς ἀντὶ Δίας ψεκάδος Αἰγύπτου πέδον—ὑγραίνει*, Eurip. Helenæ v. 2]—*ἃ δὲ ἐκθειάζουσιν ἐκεῖνα· τοῦ εἶναι καὶ ζῆν ἀνθρώπους ὑγρᾶς τε καὶ ξῆρας οὐσίας σύνοδον μάλιστα νομίζουσιν·—καὶ τὴν μὲν ὑγρὰν τὸν Νεῖλον, θατέραν δὲ τὴν Γῆν τὴν αὐτῶν ἐμφαίνειν·—πρὸς δὲ τοὺς μύστας Ἶσιν τὴν γῆν, καὶ Ὄσιριν τὸν Νεῖλον καταγγέλλουσι·—ποθεῖ γοῦν ἀπόντα ἡ θεὸς, καὶ χαίρει συνόντι.* hæc minime protrita miror omissa Clar. Jablonskio de Nilo agenti Panthei Æg. iv, 1. ubi conferri poterit p. 168. accedant ista Philostrati de V. A. vi, c. 1, de Indo et Nilo: *ποταμοὶ ἀμφοῖν ὅμοιοι· περαίνουσι γὰρ τὰς ἠπείρους ἐν ὥρᾳ ἔτους, ὁπότε ἡ γῆ ἐρᾷ τούτου.* nempe *τοῦ περαίνεσθαι·* cujus sensum turpem cogitabat Sophista.

Cum Ægyptiaca traditione de duobus vitæ animalis principiis, et Nilo terram Ægypti instar Dei fœcundante, Euripidea si conferantur sive etiam Anaxagorea de Cœlo sive Æthere et terra, hæc sane videri poterunt ex eodem fonte ducta, quo multa veteres Græcorum Physici derivarunt: inter illos qui ad Ægyptios *ἐξεδήμησαν φυσιολογίας χάριν καὶ θεολογίας ἀκριβεστέρας* memoratur etiam Anaxagoras Clazomenius Procopio in Librum iii Regum p. 185, inter illos nec Clementi Alex. neque Plutarcho nominatus, nec Diogeni Laërtio, qui itineris in Ægyptum comitem Platoni dat Euripidem iii, 6.

Sed undecunque sua hauserit Euripides de Æthere et Terra, velut rerum creatarum principiis duobus, (quibus et Ægyptii arbitrabantur *τὰ ἄλλα στοιχεῖα συνυπάρχειν τε καὶ συναναφαίνεσθαι*, Heliodor. p. 424, 1.) cum Anaxagora, aliisque Physicis veteribus, Euripides nullam rerum creatarum mori statuit, aut ad nihilum interimi, sed in suum quidque genitale corpus resolvi: statuerat Anaxagoras, *τὴν φύσιν εἶναι σύγκρισιν καὶ διάκρισιν, τουτέστι γένεσιν καὶ φθοράν·* statuit Euripides, in terram redire quod esset e terra; quodque ex æthere natum divinioris esset originis in æthera reverti:

Χωρεῖ δ' ὀπίσω, τὰ μὲν ἐκ γαίας
Φύντ' ἐς γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου

Βλαστόντα γονῆς εἰς οὐράνιον
Πόλον ἦλθε πάλιν· θνήσκει δ' οὐδὲν
Τῶν γιγνομένων. διακρινόμενον δ'
Ἄλλο πρὸς ἄλλου
Μορφὴν ἰδίαν ἀπέδειξεν.

Euripidei simillimum nobile dictum Epicharmi bis terve hanc in rem adhibuit, præter cetera, Th. Gatakerus de S. N. I. p. 48. A. M. P. p. 327. ad M. Antonin. p. 225. Epicharmea Menander respiciebat in istis p. 184,

Τοῦτον εὐτυχέστατον λέγω,
Ὅς τις θεωρήσας ἀλύπως, Παρμένων,
Τὰ σεμνὰ ταῦτ', ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθεν, ταχύ·

'qui celeriter illuc abiit, unde venerat:' cujus, corpore in terram recedente, anima cœlo demissa illuc sublimis abiit: nam

Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed cœtum dissupat ollis:

Lucret. ii, 1001, 2.

quidque in sua corpora rursum
Dissolvit Natura, neque ad nihilum interimit res.

Idem i, 216. Ex suis placitis interpretandus Ovidii Pythagoras Met. xv, 165,

Omnia mutantur; nihil interit:

vs. 244, 'omnia fiunt ex ipsis, et in ipsa cadunt:' in elementa nempe sua, sive corpora genitalia: vs. 252,

Nec perit in tanto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed variat faciemque novat:

Philosophorum hic loca possent excitari loquentium *περὶ τῆς συγκρίσεως καὶ διακρίσεως*, sed ad ultima Euripidis ista pauca sufficiunt illuminanda; cui constans hæc fuit de corpore et anima doctrina, ut de Euripide Socratis familiari vere dici possit, quod de Socrate scribit Cicero in Lælio c. iv,—'non tum hoc, tum illud, ut in ple-

risque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos, iisque (*piisque* legendum arbitror) cum e corpore excessissent reditum in cœlum patere:' hoc dixit in Tuscul. i, c. xi, 'animos, cum e corporibus excesserint, in cœlum quasi in domicilium suum pervenire.' i, c. 49, 'emittique nos e custodia et levari vinclis arbitremur, ut—in æternam et plane in nostram domum remigremus:' dantur in hanc sententiam Platonis, et Platonicorum multa: cum philosophis Manilius non dubitanter statuit iv, 891, ex emendatione Bentleii:

esse et nobis terrenæ corpora sortis
Ætheriasque auras animo.

ubi subdubitabat Nemesianus Ecl. i, v. 39,

si sublimes animæ cœlestia templa,
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur:

Barthius locum etiam Euripidis annotavit, neque Gatakero neglectum, ex Supplic. v. 532, nuper adeo sic eleganter emendatum a Jo. Toupio Emend. in Suid. ii, p. 6,

Ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς·
Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ ζῆν ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπελθεῖν· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

In Eurip. Oreste v. 1092,

Μήθ' αἷμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον,
Μὴ λαμπρὸς αἰθήρ·

Scholiasta Pindari recte supplet, τὸ πνεῦμά μου δηλονότι. Euripidis autem Schol. qui legisse videtur,

Μὴ σῶμά μου δέξαιτο κ. π.

interpretatur μὴ ἑνωθείην τοῖς στοιχείοις τελευτήσας. absurde secundum Eurip. in Hypsipyle apud Stobæum p. 568, 12,

ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν.

Reddenda terræ est terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges; sic jubet necessitas.

Euripides apud Ciceron. Tusc. iii, c. 25.

Insigne perditæ Tragœdiæ fragmentum Grotius in Excerpta ex Eurip. retulit sic scriptum p. 423,

Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα, διοπετὴς ὅπως
Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα,
Νεκρὸν δὲ σῶμα κἂν μίμημα δαιμόνων.

Ad postrema Grotius in notis: 'Apud Plutarchum *μικρὸν* et *καὶ*, libro cur oracula defecerint. Explicans, ait homines Deorum esse effigiem:' his omissis, ut sine dubio Euripidea dedit ista Barnesius p. 511. Vitiosa voce *μίμημα* notata, Heathius p. 180, magis etiam mendosa legi monuit apud Plutarchum. Pro Euripideis verba viri docti nobis dedere Plutarchi, in eo occupati, T. ii, p. 416. C. D. ut monstret præter Deos et homines medium quoddam genus dari, *Δαίμονας· ἡ δὲ φύσις*, inquit, *αἰσθητὰς εἰκόνας ἐξέθηκε καὶ ὁμοιότητας ὁρωμένων Θεῶν, ὡς ἥλιον καὶ ἄστρα· Θνητῶν δὲ, σέλα καὶ κομήτας καὶ διάττοντας* (*ὡς Εὐριπίδης εἴκασεν, ἐν οἷς εἶπεν,*

Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα, διοπετὴς ὅπως
Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα,
Μικρὸν δὲ σῶμα·)

καὶ μίμημα δαιμόνιον (sive *Δαιμόνων*) *ὄντων τὴν σελήνην, τῷ* &c. Signa tantum posui parentheseos; in Luna quæsivit imaginem *Δαιμόνων·* ut Deorum, in Sole et astris; hominum mortalium, in subitis cœli fulgoribus et cometis, stellisque istis quæ vulgo videbantur 'Præcipites cœlo labi,' et 'multa cum luce currentes;' vulgi sequitur in his opinionem, Servio quoque judice, Virgil. Georg. i, 365. Æn. ii, 694. v, 527. Vocem forte non invenit Apuleius in libello de mundo, qua in his, *σέλα τε καὶ διάττοντες καὶ κομῆται*, mediam nobis interpretaretur. Cum his fulgoribus, subito extinctis, ad mentem Plutarchi hominem in medio ætatis splendore extinctum comparaverat Euripides; cujus ille verba suis interjecit: sed primum, ut puto, scripserat Plutarchus: *καὶ*

διάττοντας (*οὓς Εὐριπίδης εἴκασε θνητοῖς, ἐν οἷς εἶπεν*, tum Euripidea hac ratione posuerat:

Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σαρκὶ, διοπετὴς ὅπως
Ἀστὴρ, ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς ἐς αἰθέρα,
Μιαρὸν δὲ σῶμα.)

nempe *γῇ καλυφθῆναι ἀφεὶς τὸ μιαρὸν σῶμα·* ista vox, huic apta sedi, sæpe transiit in *μικρόν·* vid. Eurip. Hippol. v. 1441. Corpus spiritu vacuum sive inanimum, *μιαρὸν*, cujus *θανάσιμοι ἐκπνοαὶ* contage sua polluebant. Sed ne in his quidem Euripidem ab Anaxagoræ discessisse sententia monstrat comparatio, et verbum *ἀπέσβη*. censuit enim Anaxagoras, *τοὺς καλουμένους διάττοντας ἀπὸ τοῦ αἰθέρος σπινθήρων δίκην καταφέρεσθαι, διὸ καὶ παραυτίκα κατασβέννυσθαι*, quæ leguntur eadem in opere de Placitis Philos. iii, c. 2. et in Stobæi Ecl. Phys. p. 63.—*θάλλων σάρκα* legatur in Euripideis, an *σαρκὶ*, nihil interest: hoc ut usitatius prætuli, etiam oblatum a Plutarcho, priora hujus fragmenti iterum adhibente T. ii, p. 1090. c. Hoc usus est loco Clar. Noster Ruhnkenius in Timæi Lexicon p. 28. ad *Ἀπέσβη·* pro *ἀπέστη* restituendum et in Euripidis Medea v. 1218,

Χρόνῳ δ' ἀπέσβη, καὶ μεθῆχ' ὁ δύσμορος
Ψυχήν.

Sed, ut alia mittam ex Helena et Supplicibus loca, non erat omittendus nobilis Euripidæ de animo immortali, atque in æternam suam domum retrocedente, locus ex Helenæ v. 1020,

ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

egregie Grotius:

'anima post fati diem
Jam non, ut ante, vivit; at sensus tamen
Servat perennes, hospes æterni ætheris.'

Hic quoque locus copiose tractari posset, nisi hoc jam capite in his Euripideis modum excessissem. Legi poterunt

atque ad examen revocari de hoc loco subtiliter disputata Cudwortho, ejusque Interpreti Clarissimo Moshemio, p. 1039, 1040.

CAPUT IX.

De Rheso Dramate.

In Rheso dramate nihil adeo legi de meteoris. De auctore dubitatum. Ex prologo perdito xi versus proferuntur, a Junone Tragica pronunciati, Minervam alloquente. Prologum fuisse conditum ad exemplum Sophocleum. Hinc multum diversos Euripidis Prologos, Comico jure notatos. De Rhesi auctore doctorum hominum judicia. Illud drama perpaucis veterum citatum. Euripidæ varii. Rhesum scribi potuisse a Tragici fratris filio. Certe non Sophoclis tantum, sed et indignum Euripidis esse persona. Euripidis abesse τὸ τραγικὸν, τὸ γνωμικὸν, τὸ ἀκριβὲς, τὸ γλαφυρὸν, τὸ ἐκλέγειν κοινὰ καὶ δημώδη. Verba inesse de rarissimis permulta, qualibus abstinet Euripides.

Quo capite Physica quædam Euripidis attigi, miretur forsan aliquis, Rhesi nullam a me factam fuisse mentionem, qui quidem in argumento Rhesi dramatis ista legere se meminerit: τὸ δὲ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, ὡς οὐκ ὂν Εὐριπίδου. τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει (scribendum ὑποφαίνειν) χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἐπιγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ. Sed mirari desinet, ubi cognoverit, in dramate Rhesi superstite, cui præfiguntur ista, nihil reperiri quod illuc referri potuerit, nisi forsan unum illud, quo Trojani vigiles, qui chorum conficiunt, Pleiadum sideris jam apparentis, et Aquilæ medium cœli tenentis, meminere v. 528,

Τίνος ἁ φυλακά, τίς ἀμείβει
Τὰν ἐμάν; πρῶτα

Δύεται σημεῖα· καὶ ἑπτάποροι
Πλειάδες αἰθέριαι·
Μέσα δ' αἰετὸς οὐρανοῦ ποτᾶται.

quibus Tragicus Homerica quodammodo expressit ex Iliad. κ, v. 251,

ἐγγύθι δ' ἠώς·
Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε· παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ
Τῶν δύο μοιράων.

ista autem ex Rheso, quæ recte cepit Clar. amicus Musgravii p. 145, velut ab Astronomiæ peritissimo Poëta scripta Jos. Scaliger admiratur in Prolegom. ad Manilium, p. 6, et 7. ubi, præter cetera, 'Auctor,' inquit, 'Rhesi vetustissimus scribit Vergilias eminere supra finitorem Aquila culminante.' Qui Rhesum Euripidis esse Tragœdiam cum Scaligero negat, Sam. Petitus Scaligeri tamen super hoc loco observata conatus est labefactare Miscell. iii, c. 22.— Ab hoc uno loco si discedas, nulla hoc in dramate deprehendetur *περὶ τὰ μετάρσια πολυπραγμοσύνη·* neque ista pauca videntur hac potuisse nota designari, tanquam quæ censeri deberent Euripidem *χαρακτηρίζειν·* cum contra minus accurate de sideribus loquatur Euripides; hoc monuit Scaliger ibidem, et Castig. in Catull. p. 92.

Si hujus nominis drama scripsit Euripides Mnesarchides, posset quis suspicari, ex istius argumento sumta, quæ supra posui; prout Scaliger putabat, de duobus argumentis, quæ Sophoclis præfiguntur Philoctetæ, alterum, versibus scriptum senariis, non istius esse dramatis, sed alterius cognominis sive Æschyli seu Euripidis; nam ad istud argumentum hæc sua manu scripsit vir Summus in exemplari edito Bibl. Leidensis: *ἔστιν ὑπόθεσις οὐ τοῦ παρόντος δράματος, ἀλλὰ τοῦ ἐπωνύμου, ἢ τοῦ Αἰσχύλου ἢ τοῦ Εὐριπίδου· ἀμφότεροι γὰρ Φιλοκτήτην δρᾶμα ἐδίδαξαν.*

Sed Rhesi drama superstes cujuscunque sit auctoris, videtur ad nos imperfectum pervenisse. Ex ejus Prologo, qua parte deficit, versus aliquot, atque adeo dramatis initium, quod huc usque latuit in tenebris, hic in lucem proferam. Verbis ex argumento vulgato paulo ante descriptis,

in Euripidis Codice MS. Florentino, quem Is. Vossius adhibuit, hæc proxima subjunguntur, ex libello descripta Leidensis Bibliothecæ: *Πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται. ὁ γοῦν δικαίαν ἐπιτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως,*

Νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος

Καὶ ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος, πεζὸς πάνυ, καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ. καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. ἔχει δὲ οὕτως. Sequuntur tum undecim senarii, partim Is. Vossii, meo partim arbitratu sic leviter emendandi:

[1] *Ὦ, τοῦ μεγίστου Ζηνὸς ἄλκιμον τέκος,*
Παλλὰς, παρῶμεν· οὐκ ἐχρῆν ἡμᾶς ἔτι
Μέλλειν Ἀχαιῶν ὠφελεῖν στρατεύματα.
Νῦν γὰρ κακῶς πράσσουσιν ἐν μάχῃ δορὸς,
Λόγχῃ βιαίᾳ γ' Ἕκτορος στροβούμενοι.
Ἐμοὶ γὰρ οὐδέν ἐστιν ἄλγιον βάρος,
Ἐξ οὗ γ' ἔκρινε Κύπριν Ἀλέξανδρος θεὰν
Κάλλει προήκειν τῆς ἐμῆς εὐμορφίας,
Καὶ σῆς, Ἀθάνα, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
Εἰ μὴ κατασκαφεῖσαν ὄψομαι πόλιν
Πριάμου, βίᾳ πρόῤῥιζον ἐκτετριμμένην.

Re minus considerata his versibus Is. Vossius subscripserat: ‘sunt autem hæc verba Ulyssis.’ Imo vero sunt sine ulla dubitatione verba Junonis in scenam prodeuntis, Minervam, quam alloquebatur Trojanis non minus iniquam, ad auxilium Argivis suis ferendum graviter cohortantis, nocte istum diem secuta, quo Græcos Hector maxima clade affecerat: hujus ubi meminit Homerus Il. *K*, (v. 48—52.) in ista quidem parte carminis, quam *Δολωνοφονίαν καὶ Ῥήσου* inscripsere, hujus dramatis argumento præcipuo, Junonis nullam fecit mentionem, sed ejus Scholiastes in Il. *K*, v. 435, de Rheso agens, *δείσασα*, inquit, *Ἥρα περὶ τῶν*

1 In his versibus, quæ Codicis Florentini contextus minus sincera dabat, erant in margine melius scripta. Sed vs. 4, pro *μακῇ δορὸς*, quæ Codicis erat lectio, ponere malui, *ἐν μαχῇ δορὸς* (ut in Eurip. Cycl. v. 5, et apud Stobæum p. 240, 17.) quam cum Is. Vossio, *ἐν ἀκμῇ δορός*. vs. 5, vocem *βιαίας* in *βιαίαγ'* immutavi; et prout oportebat sic scripta vs. 7, *ἔκρινα Κύπριν Ἀλέξανδρον θεάν*. Versum 9 sic Codex præferebat: *καὶ σῆς Ἀθηνὰ, φίλτατ' ἐμοίθ' ἐῶν·* Is. Voss. emendabat: Καὶ *σῆς, Ἀθηνᾶ, φιλτάτη ἐμοὶ θεῶν*. turpis hiatus facile monstrabat formam legitimam *φιλτάτης*.

Ἑλλήνων Ἀθηνᾶν ἐπὶ τὴν τούτου διαφθορὰν πέμπει. illic etiam oraculo significatum scribit Rheso, invictum fore, *ἐὰν οἱ ἵπποι αὐτοῦ τοῦ Σκαμάνδρου πίωσι, καὶ τῆς αὐτόθι νομῆς γεύσωνται.* sed qua nocte venerat (*αὐτονυχεὶ*, inquit Eustathius) in castra Trojana, Rhesi tentoria ‘multa cæde cruentus’ vastavit Diomedes, ejusque equos albicantes avertit in Græcorum castra,

priusquam
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent;

Virgil. Æn. i, 476. qui de Diomede et Ulysse Homero narrata in par illud amabile Nisum et Euryalum, artifice manu disposita, transtulit.

Et, ne quis dubitet, Tragœdiæ non optimæ Pater, hac etiam in re, sicut in multis, verbis tamen potius, quam rerum apta dispositione, Homerum secutus, Minervam fecit Ulyssi et Diomedi benignam adjutricem in Rheso contrucidando. Nam cum, interfecto speculatore Dolone contentus, in castra sua retrocedere cuperet Ulysses, apparet ex improviso Minerva, quidque facto opus esset amicos admonet. Ut Homeri Ulysses

ξυνέηκε θεᾶς ὄπα φωνησάσης,

Il. *B*, 182, et Tydides in Dolonia Il. *K*, 512; sic Ulysses Tragici Deam suam agnovit tutelarem Rhesi v. 608,

Δέσποιν᾽ Ἀθάνα, φθέγματος γὰρ ᾐσθόμην
Τοῦ σοῦ συνήθη γῆρυν· ἐν πόνοισι γὰρ
Παροῦσ᾽ ἀμύνεις τοῖς ἐμοῖς ἀεί ποτε.

quæ partim ex Homereis v. 278, *ἥτε μοι αἰεὶ Ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίστασαι,* expressa sunt: sed cum his, et supra positis ex Flor. Cod. comparet mihi quis ex Ajace Sophoclis ejusdem Ulyssis simillima v. 14,

Ὦ φθέγγμ᾽ Ἀθάνας, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν,
Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως
Φώνημ᾽ ἀκούω, καὶ ξυναρπάζω φρενί.

In his imitatorem Homeri agnovit Eustathius, qui Rhesi Tragœdiam non memorat in suis ad Homerum commentariis. Ut in Rheso Juno, sic in Ajace Sophoclis prima

prodibat in theatrum Minerva, nec pro more Euripidis sola, sed Ulyssem alloquens, qui tentorium Ajacis astabat speculator. Ad illud initium Rhesi,

> Ὦ, τοῦ μεγίστου Ζηνὸς ἄλκιμον τέκος,
> Παλλάς,

exigantur primi versus dramatum Sophoclis; Electræ,

> Ὦ τοῦ στρατηγήσαντος ἐν Τροίᾳ ποτὲ
> Ἀγαμέμνονος παῖ.

Œdipodis Tyranni,

> Ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή,

Œdipodis in Colono,

> Τέκνον τυφλοῦ γέροντος, Ἀντιγόνη,

Antigones,

> Ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα.

Quisquis demum Rhesi drama scripserit, istius Prologi Conditor hac in parte non Euripidis morem, sed Sophoclis expressit artificium, qui, quantum apta valeret fabulæ dispositione præ Euripide, Dramatum quoque suorum Prologis demonstravit. Sophocleis, aut huic etiam Rhesi prologo, nihil simile deprehendetur in viginti qui supersunt Prologis Euripideis.

In his Euripidis prologis, versibus elegantissimis, et sæpe magna cum cura κατερρινημένοις, sed ad Homeream tamen Sophoclis majestatem neutiquam æquiparandis, totum dramatis argumentum, ea interdum enarrantur, quæ omnem ex ultima demum parte capiendam auditoribus intervertant voluptatem.

Sæpe nimis sunt verbosi; quique primus in scenam prodit solus verba facit, nec raro γενεαλογεῖ. Plus æquo mordax, justam tamen in Euripidis Prologos meo quidem judicio censuram exercuit Aristophanes, acerbe διαβάλλων τὴν ὁμοειδείαν τῶν εἰσβολῶν τῶν δραμάτων, in Ranis v. 1230 —— ad v. 1277. hoc vix uno potuit exemplo refelli,

> Ἵν' οὗτος οὐχ ἕξει προσάψαι λήκυθον.

Tanquam in Prologis ἡδέως ἀπαγγέλλων τὰ γένη ridetur in Acharn. v. 47, &c.

Sed undecim isti versus ex Rhesi prologo sic sunt facti, ut ipsa verborum σύνθεσις ex Sophocleis potius videatur quam ex Euripideis expressa: mirorque adeo Grammatici Græci judicium, cui πρόλογος iste videbatur πεζὸς πάνυ, καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ. nec multum vereor, ne illius hac in parte judicium ab elegantiarum veterum doctis spectatoribus meo anteponatur. Ista naturæ congrua simplex oratio, σεμνὴ καὶ εὐεπέστατα ἔχουσα μεγαλοπρέπεια, ne Sophocle quidem est indigna, et, si ad paucos istos versus Rhesi totum drama, quod legimus, responderet, suspicaremur cum Scaligero Sophoclem Rhesi dramatis esse auctorem.

Sophoclem tamen, nec mirum, dubitanter nominat Scaliger, sed Euripidem fabulam scripsisse confidenter negat Prolegom. ad Manil. p. 7, ubi 'auctor' inquit 'Rhesi Tragœdiæ vetustissimus, qui sine dubio non est Euripides:'—— Comment. in Culicem p. 31, 'auctor Trag. Rhesi, non enim est Euripides.' et habuit vir Summus huic suæ sententiæ suffragatores, Flor. Christianum, Dan. Heinsium, Andream Schottum, et Sam. Petitum; hic, satis absurdam de Aristarcho tanquam auctore suspicionem suam exhibens, docte tamen Sophocli fabulam abjudicat et Euripidi, utiturque in eam rem argumentis minime contemnendis Miscell. iii, c. 22.

Euripidis editorem Clarissimum non sane miror ista scribentem in Rhesi v. 430, " si qua mihi in his rebus perspicacitas, non modo Sophoclei Characteris omnino nihil sapit, sed totum penitus Euripidem ad vivum exprimit. Hoc centum plus instantiis possem probare." Sic ex cathedra poterat S. T. B. Barnesius probabiliter loqui, et, nemine contradicente, si liberet, Ῥησίζειν. scripto mandata verba duntaxat videntur et neminem movent.

Illud sæpe miratus, tam pauca ex Rhesi dramate veteribus, Euripidea libenter adhibentibus, excitata, tandem animadvertisse mihi videor, hoc drama veterum perpaucis fuisse lectum. Illinc sumtos quinquaginta minimum versus, aut integros, aut leviter ad suam in scribendis versibus infantiam accommodatos, incertus Auctor inseruit Tragœ-

diæ suæ *Χριστοῦ πάσχοντος*. In Jo. Tzetzæ (Chiliad. iv, v. 965, &c.) *ἱστορίᾳ περὶ Ῥήσου κατὰ Εὐριπίδην* duo leguntur senarii qui sunt in Rheso vss. 510, 511. —— Ex Rheso quoque voces in Lexicon suum Tragicum receperat Didymus; hinc præbet Hesychius, *Γοργωπὸν ἕδραν*, sumtum ex Rhesi v. 7,[1] vidit A. Heringa Observ. p. 212. *Κερόδετα τόξα*, ex v. 34, E. Spanhem. in Callim. H. Apoll. v. 33. *Ὕπαφρον*, ex v. 711, P. Wesseling. Probab. p. 47. *Ἐδέννασεν*, ex v. 925 et 951, (ubi scripserat, opinor:

Μάτην ἄρ' ἡμᾶς Θρήκιος[2] *τροχηλάτης*
Ἐδέννασ', Ἕκτορ·)

Τολυπεύσας, Homericum, ex v. 744. *Προταινὶ*, ex v. 523, et ex proximo versu 524, *Ἐγερτὶ*, nam ubi vulgatur *Ἐγρηγορεῖ*, *γρηγορεῖ*, scribendum videtur, *Ἐγερτὶ*, *ἐγρηγόρως*. hæc forma vulgaris, Homericum est *ἐγρηγορτὶ*, in Il. *K*, v. 182. illud in loco Rhesi legitur, et sensu nonnihil diverso in Soph. Antig. v. 419. — Ubi testis laudari potuerat Herodotus i, c. 173, laudatur *Εὐριπίδης ἐν Ῥήσῳ* Eustathio in Dionysii Perieg. v. 270, respicienti versum Rhesi 29, 30, ubi pro *τὸν* eleganter *γόνον* corrigebat Jo. noster Piersonus:

Τίς δ' εἶσ' ἐπὶ Πανθοΐδαν, ἢ γόνον
Εὐρώπας, Λυκίων ἀγὸν ἀνδρῶν.

'Quis huc arcesset Polydamanta Panthi f. aut filium Europæ Sarpedona?' Idem ille Piersonus in Verisim. i, c. 6, p. 82, alium Rhesi locum emaculavit ex Etymologico MS. curatius elimatum Toupio Emend. in Suid. ii, p. 21. In edito etiam Etymologico memoratur *Εὐριπίδης Ῥήσῳ·* et, velut Euripidis, Rhesi versus 211 adhibetur a Mario Victorino Artis

1 Versui 7, *Λῦσον βλεφάρων γοργωπὸν ἕδραν* hic præmittitur in Cod. Flor.

Ὄρθου κεφαλὴν πῆχυν ἐρείσας.

dignus qui restituatur in sede, qua excidit. Paulo post ex eodem Cod. scribendum:

Τίς ὅδ', ἢ φίλιος φθόγγος; τίς ἀνήρ;
Τί τὸ σῆμα; θρόει.

2 Vulgatam, *Θρήκιος στρατηλάτης* sic corrigo: viditque Portus 'aurigam' fuisse Rhesi, quod liquet ex vss. 771, 781, 804, &c. Speciem vulgatæ voci Barnesius conciliavit; et apud Homerum excitat Apollo cognatum Rhesi *Θρηκῶν βουληφόρον Ἱπποκόωντα·* Il. K, 518. sed in Tragœdia famulus fuit auriga Rhesi; nec nominatur propterea. Poëtis Latinis dictus 'agitator equorum,' his Poëtis est *διφρηλάτης*, *ἁρματηλάτης* et *τροχηλάτης*. Eurip. Phœn. v. 39, *Λαΐου τροχηλάτης·* in hujus Troasin v. 447, ubi recte scriptum, *Δαναϊδῶν στρατηλάτα·* Codex Flor. exhibet *ἀρχηγέτα*.

Grammat. L. 1. Quantum recordor unicum tantum ex Rheso dictum in Excerpta sua Stobæus retulit p. 360, 7, versum nempe 105 cum tribus sequentibus.

Tametsi non sit Euripidis istius nobilissimi drama, potuit ut Euripidis adhiberi, siquidem jam olim inter Euripidea locum repererit. Etiam florente republica Attica cognomines aliquot nobis innotuere; Euripides notatus Aristophani Eccles. v. 821, quem rempublicam gessisse vidit St. Bergler. Euripides Comicis irrisus recentioribus Anaxandridæ et Ephippo apud Athen. xi, p. 482. C. D. Duo quoque Tragici Poëtæ, alter antiquior nostro; alter ipsius, Suida teste, *ἀδελφιδοῦς*. Secundum eundem Suidam Noster filium etiam habuit sibi cognominem: hic Euripides, ut puto, post patris obitum, dramata paterna Iphigeniam in Aulide, Alcmæona, Bacchas, Liberalibus urbanis in certamen detulit, et quintæ, ut suspicor, victoriæ honorem paterno nomini comparavit: hoc partim nititur fide veterum Criticorum in Schol. ad Aristoph. Ran. v. 67, *αἱ Διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου, τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμωνύμως ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι, Ἀλκμαίωνα, Βάκχας.* Bacchas præ ceteris, Luciano quoque judice T. iii, p. 114, *βιβλίον κάλλιστον*, perplacuisse suspicor Atheniensibus, et hoc drama designatum Suidæ, ubi Euripides Mnesarchi F. quinta honoratus dicitur victoria *μετὰ τελευτὴν, ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου.* Euripidis cognominis fuisse suspicatur Heathius in Eurip. p. 83. quæ profert ex Eurip. Iphig. Ælianus. Huic cognomini fratris filio, velut auctori Tragico, tria Suidas attribuit dramata, Oresten, Medeam, Polyxenam: 'ego et Rhesum illi tribuerim,' inquit Mart. Anton. Delrio Prolegom. in Senecæ Trag. p. 22. Quæ non sanequam absurda est suspicio: nec enim tum longe quærendum, cur alterius Euripidis dramati inter nobiliora locus fuerit concessus.

Quidquid hujus sit, id mihi quidem et cum aliis et cum Eruditissimo Jacobo Hardionio jam ab aliquot annis (olim aliter sentiebam, re nondum satis explorata) visum fuit manifestum, Rhesi drama nec Euripidis esse, neque Sophoclis. Sophoclea quidem insunt, non pauca; loquendi quoque formulæ ab Æschylo et Euripide transsumtæ; sed,

ab Æschyleis diversissimum, drama in universum non Sophocle tantum sed et indignum arbitror Euripidis persona. Horum ingenia qui cognoverint mecum opinor fatebuntur ab utriusque ingenio alienissima huic fabulæ inesse lineamenta. Verum sic hoc genus natura comparatum est, ut, quos in multis similes facile tanquam diversos dignoscas, difficulter tamen demonstres dissentienti.

Præter Prologum, de quo ante dictum fuit, tota Œconomia fabulæ variis casibus implicitæ abhorret a more fingendi Euripideo. Qua parte semper habitus fuit ab antiquis Criticis Euripides admirabilis, nihil est in hoc dramate, quod spectatoribus Atticis videri potuerit miserabile atque adeo dignum Tragica majestate. Euripidæ proprium in omnibus Tragœdiis, πολὺ τὸ γνωμικὸν hinc abest, ubi more potius Sophocleo hic illic brevissimæ quædam interseruntur, aptæ pleræque, sententiæ. Nullum est Euripidis drama, in quo Chorus non admisceat ab actione quædam remota, aut non attingat historias, quæ spectatoribus etiam Atticis videri debuerunt tenebricosæ: ad Eurip. Phœn. v. 1026. quædam prostant ea de re scripta: nihil in Rheso Chorus

> medios intercinit actus,
> Quod non proposito conducat et hæreat apte;

ubique contra, oratione, nisi vitiata sit a librariis, intellectu facillima, in Rheso, et multo quidem constantius quam debuerat,

> Actoris partes chorus officiumque virile
> Defendit.

Rhesi quidem conditor Sophocleæ Sirenis dulcedinem studuit, et Euripidis repræsentare τὸ ἀκριβὲς καὶ γλαφυρὸν, sed ab utriusque virtutibus, inprimis a verborum utrique propria συνθέσει, abfuit quam longissime. Dionysio Halic. judice solus inter Tragicos usus est Euripides τῇ γλαφυρᾷ καὶ ἀνθηρᾷ συνθέσει. illa secundum Dionys. T. ii, p. 46, et 47, εὔφωνά τε βούλεται εἶναι πάντα [τὰ] ὀνόματα καὶ λεῖα καὶ μαλακὰ καὶ παρθενωπά· τραχείαις δὲ συλλαβαῖς καὶ ἀντιτύποις ἀπέχθεταί που· τὸ δὲ θρασὺ πᾶν καὶ παρακεκινδυνευμένον καὶ δι' εὐλαβείας ἔχει. ad hanc normam qui cum Euripideis Rhesum comparabit, diversi Patris filiolum fatebitur.—Aristot. Rhetor. iii, p. 120, 4, ubi artem, ne offendat auditorem, in dicendo occul-

tandam præcipit, κλέπτεται δ' εὖ, inquit, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθείας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ, ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ, καὶ ὑπέδειξε πρῶτος.

Recedens ab Homerica Sophoclis et Æschyli præsertim magniloquentia, vocibus Poëticis, quantum fieri poterat, evitatis, ex usitatis in sermone Atheniensium quotidiano selegit optimas et elegantissimas, atque his orationem suam artificio latente contexuit: usus Euripides κοινοῖς καὶ δημώδεσι τοῖς ὀνόμασι, (natura minime μεγαλοφυὴς ὢν) quantam tamen suis versibus vim indiderit διὰ μόνου τοῦ συνθεῖναι καὶ ἁρμόσαι ταῦτα, docet Longinus π. Ύ. xxxix, 3, &c. xv, 6.

In tot millibus Euripidæ senariis, perpauca verba reperientur, quæ harum rerum gnaris, Poëtis censeri queant solis usitatæ, aut illiteratis istius ævi Atticis incognitæ; quales Homericas fuisse plurimas, tum aliunde satis noveramus, tum demonstrat Comici Stratonis locus perinsignis apud Athen. ix, p. 382, et 383. Istiusmodi λέξεις, vulgo inusitatæ, plures in uno Rhesi dramate reperiuntur, quam in undeviginti Tragœdiis Euripidæ, perditarumque reliquiis omnibus. Euripidi quidem inusitatæ, sive Sophocleæ λέξεις seu Æschyli, hic a me longe plurimæ designari possent: de multis ex Rheso, quæ sunt ad manum, paucas apponam, quibus, me judice, sic nunquam fuisset usurus Euripides, prout illas adhibuit Rhesi Poëta: vs. 177, Τίν' οὖν 'Αχαιῶν ζῶντ' ἀποινᾶσθαι θέλεις; vs. 509, — κακῷ δὲ μερμέρῳ παλαίομεν. vs. 629, πολεμίων μεμβλωκότων. vs. 776, Ἤπυσα. vs. 929, ἐδέννασεν, et v. 951. vs. 817, μαραγνά γ', ἢ καρανιστὴς μόρος. vs. 744, Θρῃξὶν πένθος τολυπεύσας· quæ paulo post male repetita legi vidit Amicus Musgravii. vs. 523, χρὴ προταινὶ τάξεων Φρουρεῖν ἐγερτί. 'Noctis caliginem' lecta voce sæpe dixit et Euripides εὐφρόνην· semel aut bis ὄρφνην. Rhesi conditor κατ' ὄρφναν· ἐν ὄρφνῃ· δι' ὄρφνας· singula posuit plus semel repetita. Talia vero, quæ dantur plurima, nunc non attingere statueram. Priora pleraque nemo miraretur, in Sophoclis si sparsa legerentur Tragœdiis. Hic vocabulorum fuisse fertur novator: sed nova prorsus verba procudere, nisi a sono quædam ficta, ne Homero quidem licuit: potuit et obsolefacta Sophocles in usum revocare; et sæpius usu cognitis novam quandam indidit significandi vim, qua parte summus Tragicus habuit in Herodoto se dignum imitatorem.

CAPUT X.

De Rheso incerti dramate.

De Rheso dramate brevis disputatio. Legem Sophocli servatam hic ubique violari. Hectorem qualem pinxerit Poëta. Totum tum enarratur drama, ut liqueat neutri convenire. Libro Flor. vulgatis meliores excitantur lectiones. Dolon Eumedîdes. Hominis ventosi commentum. Tertius in hoc dramate miles gloriosus Rhesus: huic amata Arganthône. Equos tantum Rhesi Diomedem et Ulyssem, tum primum equitantes, in castra sua avertisse. Ocius ventis nihil Homero fingi; equos veloces tantum ἰσανέμους. In hymno veteri dictos videri πνοιῆς ἀνέμων θάσσονας. Hectori tribui responsa frigida ad accusationes aurigæ Thracis. Superstitiosus Nicias δυσοιώνιστος. Ἐνδοιάζεσθαι, dubitare. Musæ in ultimo dramate minus probabilis oratio. Ἕτερον de malo. ἕτερος δαίμων. mala ῥᾷον et ῥᾷστα φέρειν.

RHESI [1] drama neutri equidem, sed, si alterutri tribuendum esset, libentius tamen Euripidi tribuerem quam Sophocli, a cujus ingenio castigatissimo, ordine fabulam legitimo disponentis, œconomia Rhesi, prorsus in multis ἀνοικονόμητος, planissime abhorret. Hanc in rem nonnulla S. Petitus jam indicavit turpissima hujus Tragici peccata, qualia certe neque Euripides admisisset, εἰ καὶ (τὰ πλεῖστα) μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ut scribit Aristoteles de Poët. c. xiii, p. 237, 27. sed quæ multo magis dedecent Sophoclem. Hic præterea, laudis semper æmulus Homereæ, quales Tragœdia requirebat, heroas in scena semper σπουδαίους repræsentavit,

1 Hæc mea de Rheso quæque leguntur capite nono, prout hic vulgantur, ante scripta sunt, quam legissem Jacobi Hardionii de hoc Dramate Dissertationem, ‘dans les Mémoires de Littérature de l'Acad. Royale des Inscriptions et B. L.' T. x, p. 323—337. Tragici peccata notat vir egregius p. 329 et seqq. Nec Sophocli drama tribuendum neque Euripidi decernit p. 334, &c. Lectis Hardionii meisque observatis videbit Lector eruditus, raro in eadem nos ambo incidisse cogitandi vestigia, nisi quod rem eandem nostro quisque modo conati simus probabilem reddere.

οἵους δεῖ εἶναι. Hæc ab eodem summo Doctore sæpius in eodem libello inculcata lex (p. 255, 4. 225, 27. 228, 27. 229, 12.) turpiter ab Auctore Rhesi fuit violata.

Non Hectorem, præcipuum dramatis heroa, suis nobis coloribus expinxit, quem Sophocles sic fecisset loquentem, 'ut fluere omnia ex ejus natura' viderentur; sed, absurde meo judicio, ut superbum et 'sine pectore' militem, 'qui nil nisi prælia' nosset, cujusque temeritatem inconsideratam confutare debuerint et Æneas, et qui pro castris excubabant vigiles. Habuit in Ænea quem sequeretur: ex antiquis Philostratus in Heroicis p. 723, ἐκάλουν οἱ Ἀχαιοὶ τὸν μὲν Ἕκτορα χεῖρα τῶν Τρώων, τὸν δὲ Αἰνείαν, νοῦν. Fueritque Trojanorum fortissimus Hector θρασὺς, manu melior, quam consilio, Hectora tamen dedecent quæ Tragicus ipsum facit dicentem; quasque dat Æneæ partes, rectius, ut apud Homerum, sustinuisset Polydamas,

Πανθοΐδης· ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω·
Ἕκτορι δ' ἦεν ἑταῖρος, ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο·
Ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα.

Il. Σ, 250. Hujus æqualis providentissimi, atque eo nonnunquam timidi, consiliis sæpe reluctatus, interdum utiliter se præbuit Hector Homeri morigerum. Ἕκτωρ [ὤνατο] Πολυδάμαντος, ubi scribit Ælianus V. H. xii, c. 25, nonnulla notarunt Kühn. et Perizonius—Initio Rhesi vigiles, ne noceat officio defuisse, somno Hectorem excitant, indicaturi tota nocte in castris Græcorum ignes collucere v. 41,

Πῦρ αἴθει στρατὸς Ἀργόλας, Ἕκτορ,
Πᾶσαν ἀν' ὄρφναν.

Hoc audito sibi mox Hector persuadet, fugam Græcos moliri; clamat ad arma; atque istac ardet nocte fugientes insequi. Verbis illum satis intempestivis a suspicione retrahere frustra vigiles conantur. Loquentibus intervenit Æneas; hic, re cognita, tanquam juvenis rector, regaliter damnat Hectoris audacem temeritatem. Si habuisset utrumque Poëta probe cognitum, non tam arroganter ista fecisset Æneam dicentem v. 105,

[1] *Εἴθ', ἦσθ' ἀνὴρ εὔβουλος, ὡς δρᾶσαι χερί·*
Ἀλλ' οὐ γὰρ ωὐτὸς πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν
Πέφυκεν· ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας·
Σοὶ μὲν μάχεσθαι, τοῖσδε βουλεύειν καλῶς.

Τὸ καλῶς βουλεύειν tribuit, opinor, Antenori, Priamo, ceterisque curiæ Trojanæ senatoribus, 'queis ætas longa magistra fuit:' suam tamen etiam Æneas Tragicus *βουληφόρου* personam hic, modeste, sustinuit. Ad Creusæ suæ fratrem, maximum Hectora,

tota salus in quo Trojana manebat,

ista dixisset Æneas, si quis alius, magni Imperatoris admirator, umbram Hectoris qui sic in somno compellabat:

O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrum!

Virgil. Æn. ii, 281. Ad intolerabilem tamen istam superbiam nihil respondet Hector Tragicus, et Hector Homeri prudentissimo sibique carissimo Polydamanti, votis contraria locuto, nisi meum, inquit, consilium sequaris,

Αὐτίκ' ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσεις,

Il. *M*, 250.—Decebat Augusti personam ad Romanos duces scribentis Euripidæ Trochaicus ex Phœn. v. 602,

Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

sed Trojanos vigiles dedecet in Hectora dictum, Rhesi v. 132,

Σφαλερὰ δ' οὐ φιλῶ στρατηγῶν κράτη.

1 Εἴθ' ἦσθ'] Præter Stobæum p. 360, 7, quatuor versus istos leviter immutatos adhibuit Auctor Trag. Christ. v. 2373. Dum quartum sic exhibet, *Σοὶ μὲν μάχεσθαι, τοῖσδε δ' αὖ κρύπτ' εἰδέναι·* invenisse videtur in suo Codice *Σοὶ* et *τοῖς·* quod (*τοῖσδε* hic malui, quam *τοῖς δὲ*, vel *τοῖσδε δὲ*) recepi, probatum H. Stephano Annot. in Eurip. p. 116, qui magis accommoda, quam dederat P. Victorius V. L. x, c. 5, comparavit Homerici Polydamantis verba ex Il. N, 729, Hectori movendo multo dicentis aptiora. Sallustii Jugurtha (B. I. c. vii,) 'quod difficillimum in primis est, et prælio strenuus erat, et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet:' dedit ibi nonnulla Jos. Wassius. A 'fortitudine' quantum distet 'temeritas' monstrat Auctor Rhetor. ad Herenn. iv, c. 25. Qui dicitur Eusebius apud Stobæum p. 359, 37, *Θάρσος τὸ πρὸς τὰ φοβερὰ σὺν λόγῳ αἴνεε, (ἀνδρηΐα γὰρ,) τὴν δὲ μετὰ ἀλογίης ἐπ' αὐτὰ ὁρμὴν, Θράσος νόμιζε, καὶ ἀποστύγεε.* Ille itaque fortissimus Hector secundum Æneam Tragici fuerit miles odiosus inconsiderata temeritate.

Mittere speculatorem in castra Græcorum dramatis Æneæ suadenti cum vigiles astipularentur, quid Hector?—'quantum mutatus ab illo Hectore!' *Νικᾷτ'*, inquit v. 137,

Νικᾶτ', ἐπειδὴ πᾶσιν ἁνδάνει τάδε.

Verbis victus Hector Trojanos rogat vigiles, quis ex ista cohorte (*οἵπερ εἰσὶν ἐν λόχῳ*, v. 149, ut optime cepit Heathius): vellet intra Græcorum ire munimenta quid agitarent speculatum; neque enim se dicit unum ad omnia sufficere; veritus videlicet, ne sibi Regi et Imperatori has speculatoris partes Æneas vellet demandatas. Sic certe loquitur v. 152,

Οὔτοι πάντ' ἐγὼ δυνήσομαι
Πόλει πατρῴᾳ, συμμάχοις θ', ὑπηρετεῖν.

Non 'magno laudum perculsus amore,' sicut apud Homerum Diomedes et Ulysses, Virgilii Nisus et Euryalus, suam sibi virtutem sat præmii reputantes, sed offert se periculo spe lucri motus quidam[1] Dolon. Hic in dramate primum alienissimo tempore multa super præmio cum Hectore locutus, tandem (Æn. xii, 350,)

Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus,

se domum ait abiturum, ut ad opus se furtivum comparet. Fraudem, quam moliretur Dolon, intelligere desideranti Choro, hac adjecta ratione,

Σοφοῦ παρ' ἀνδρὸς χρὴ σοφόν τι μανθάνειν,

1 Vocula *τὶς*, hominem nobis in Dolone contemtum Homerus indicavit Il. K, 314,

Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων, Εὐμήδεος υἱός·

cujus Diomedes nil magni fuerat de se pollicitus; Dolon, quod recte veteres in Homerum Critici monuerunt, *αἰτεῖ μὲν ἀδύνατα, ὑπισχνεῖται δὲ πράξειν ὑπέρογκα.* Homerum secutus, Phryga 'timidum' dixit Ovidius, 'imbellemque Dolona.' vid. Salvagnius in Ovidii Ibin v. 629. Hæc etiam, ita suspicor, fuisset emendaturus retractata Virgilius Æn. xii, 346, quibus dicitur Æneæ comes Eumedes

antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo manibusque parentem.

In Iliadis Epitome, (quod elegans carmen, Pindari nomen præferens, utinam etiam ante diem rapto Higtio nostro licuisset expolire, centenis mendis expurgatum,) vs. 712 legitur in Edd. 'Trojanus juvenis,' in optimo Cod. Ms. 'Troius Eumenides:' corrigendum arbitror, 'Tros Eumedides.'

Sophus iste commentum suum pandit, quod istoc ævo bellatoribus æque ac nostro perridiculum videri debuit: Homeri Dolon Il. *K*, 334,

> *Ἕσσατο [δ'] ἔκτοσθεν ῥινὸν πολιοῖο λύκοιο·*

sive *λυκέην*, v. 459. hinc vide quid effecerit Tragici Dolon v. 208,

> [1] *Λύκειον ἀμφὶ νῶτον ἅψομαι δορὰν,*
> *Καὶ χάσμα θηρὸς ἀμφ' ἐμῷ θήσω κάρᾳ,*
> *Βάσιν τε χερσὶ προσθίαν καθαρμόσας,*
> *Καὶ κῶλα κώλοις, τετράπουν μιμήσομαι*
> *Λύκου κέλευθον.*

Aptum illud *παρθένῳ ἠϊθέῳ τε* videri poterat terriculum; et hinc diversa facies Orniti venatoris in Virgil. Æn. xi, 679; recte Longus *τέχνην* judicavit *ποιμένι πρέπουσαν* Pastoral. i, p. 14, cujus ope Dorcon puellam terrefactam ad obsequium cogeret: in illum enim decore Longus transtulit, quæ mihi quidem in Trojano milite videntur absurda: *Λύκου μεγάλου δέρμα λαβὼν,—περιέτεινε τῷ σώματι ποδῆρες καταινωτισάμενος· ὡς τούς τ' ἐμπροσθίους πόδας ἐφηπλῶσθαι ταῖς χερσὶ, καὶ τοὺς κατόπιν τοῖς σκέλεσιν ἄχρι πτέρνης, καὶ τοῦ στόματος τὸ χάσμα σκέπειν τὴν κεφαλήν.* hæc Longi verba nobis interpretantur emendata Tragici Dolonis, quem, natura timidum, recte Rhesi nobis Poëta paucis versibus, 219—223, mili-

1 Sic versus istos emendate scriptos ex Cod. Flor. exhibui in Eurip. Phœn. p. 152. B. *Χάσμα θηρὸς* obtulit etiam a se excogitatum Clar. Jo. Toupius Emend. in Suid. iii, p. 308. Cimbrorum equites in Plutarchi Mario p. 420. B. gestasse dicuntur *κράνη εἰκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι.*—Codicis istius Florentini lectiones aliquot in Rheso, probabiles plerasque, si hic illic enotavero, facturus videor harum literarum studiosis rem minime ingratam. Rhesi vs. 40, illic scribitur, *Οὐδὲν τρανῶς ἀπέδειξας·* seq. *Πῦρ αἴθει*: vs. 49, *Σοὶ δ' ὑποπτ.* vs. 73, *λελειμμένοι* (scribendum, *λελημμένοι.*) vs. 79, *ἐμῇ φρενί.* [In vs. 92, *Λόχος κρυφαῖος* recte legit Auctor Trag. *Χριστοῦ Π.* v. 93. Sequentia quædam prostant in Eurip. Phœn. v. 731.] vs. 151, *Τίς ἂν γένοιτό γ' ὧσδε* (scripserat, opinor, *ὧδε γῆς εὐεργέτης*; quis tanto beneficio patriam mactabit?) vs. 160, *Νῦν δὶς τόσως ἔθηκας εὐκλεέστερον·* et vs. 281,—*λόγου δὲ δὶς τόσου μ' ἐκούφισας*, quam lectionem ex duobus Cod. Parisinis enotavit etiam Clar. Jac. Hardionius 'dans l'Histoire de l'Acad. des Inscr.' T. ix, p. 47. (ut v. 757. Eurip. Elec. 1092, et sæpius alibi: *δὶς τόσως* ex eodem Cod. scribi poterit in Eurip. Medeæ v. 1194, et *δὶς τόσως δὲ πλείονα* in fragm. incertæ Trag. inter Barnesiana pæne ultimo.) vs. 169, *Χρυσὸς πάρεστιν*—vs. 180, *πρὸς δόμους.* vs. 203, *Κἀκεῖθεν ἥσω*—vs. 205, *κλωπικοῖς τε βήμασι.* vs. 220, *σύμβολον σαφὲς δ' ἔχων* (l. *δ' ἔχων σαφὲς*, quod ex duobus Codd. præbet Hardionius p. 46.) vs. 239, *Ἀχαιὸν Ἄρη.* vs. 250, *Ἔνι δὲ θάρσος·* et in antistrophe vs. 262, *Ὃς ἐπὶ πτόλιν.* ubi vulgatum *πῶλον* absurdum est.

tem pingit arrogantem; nam se cum spoliis rediturum gloriatur, Ulyssis et Tydidæ cæde peracta, cujus omne robur erat

Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus.

Sed indigna sunt Sophocle et Euripide, quæ Tragicus Hectori contribuit.

Actu II, prodit ex Ida monte Pastor Regius, gratissimum, ut putabat, nuntium allaturus Hectori super adventu sæpe Trojanis desiderati Rhesi cum exercitu Thracico. Pastorem primum vix alloquio dignatus Hector, tanquam de armentis verba facturum, ubi rem tandem intellexit, superbe respondet, nec Thracum se nunc auxilio, neque Trojam indigere Rheso defensore, qui, cum vocatus tempori non advenisset, nunc tandem post festum veniret; Trojam sua solius dextra defensam, et defensum iri, quandoquidem die, qui instaret, Græci tandem essent debellandi. Ad hanc magniloquentiam cum non inepte rusticus dixisset, non tamen auxiliatorem, Dea natum, temere repellendum videri, cujus sola præsentia formidinem hostibus incuteret; Chorus autem vigilum, si non ut auxiliarem, instar hospitis saltem Rhesum recipere suaderet; mox iterum totus a se mutatus Hector, utriusque sententia collaudata, Rhesum se tanquam socium recepturum pollicetur, pastoris, quem paulo ante despexerat, judicio motum, ut scilicet! Rhesus aureis armis, et clypei splendore

Oculorum præstringeret aciem in acie hostibus.

Hectoris mutati verba sunt v. 339,

[1] Σύ τ' εὖ παραινεῖς, καὶ σὺ καιρίως σκοπεῖς.
Ὁ χρυσοτευχὴς δ' οὕνεκ' ἀγγέλου λόγων
Ῥῆσος παρέστω τῇδε σύμμαχος χθονί.

1 In his deterior est lectio Flor. παρέσται. Sed in hoc actu recte scriptos Codex exhibet vs. 267, Καὶ γὰρ σὺ ποίμνας δεσπόταις τελεσφόρους· vs. 270, Οἶ χρὴ γεγωνεῖν σ' εὐτυχοῦντα ποιμνίων. in vs. 277, τῇδε γῇ. vs. 280, εἰς Τροίαν. vs. 302, 'Εστῶτ' ἐν ἱππείοισι Θρῃκίοις ὄχοις. vs. 303, ζυγηφόρον. vs. 310, ἄπλατον. vs. 313, ὁμαρτῇ, Θρῃκίαν στολὴν ἔχων. vs. 317, πρὸς τἀγαθά. vs. 323, Ἔθραυε λαίφη. vs. 324, Τροίᾳ φίλος. vs. 327, Ὀρθῶς ἔλεξας [hoc Tragicis usitatum: suum, Ὅρα ὡς ἀτίζεις, ne sibi quidem ipse Clar. Heathius nunc, opinor, approba-

Ad ista Chorus, priorum immemor, et Hectoris securus, laudes accinit Rheso, tanquam Deo tutelari, cujus unius præsentia, facile debellatis Græcis, antiquum Trojæ splendorem restitueret.

Satis odiosa Hectoris Tragici videbatur arrogantia; sed illam tamen longe superat qui Actu III prodit in scenam tertius gloriosus miles, ad cujus 'virtutes ne suas Mars quidem ausit æquiparare:' nam

Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit.

Neque tamen amatam sibi puellam Arganthonen Rhesus causam fuisse moræ fatetur, quod e Parthenio [1] noveramus, at bellum commemorat Scythicum: sed cur non etiam

Istas tu legiones difflavisti spiritu
Quasi ventus folia?

qui quidem hoc in dramate gloriaris, unicum tibi diem satis futurum, ad id omne conficiendum, quod per solidos annos decem perficere non potuisset Hector. Hectoris exceptus asperrima oratione, cum satis apte respondisset ad accusationis Hectoreæ singula capita, tarde quidem, tempori se tamen venisse testatur; effecturum enim, ut uno die sit cum Græcis debellatum; sequenti die, re confecta domum se abiturum. En totidem pene verba Pyrgopolinicis istius v. 443,

ret] vs. 329, *οἱ σώζοντες Ἴλιον πάλαι.* vs. 331, *τοὐπιὸν θεοῦ σέλας.* [vs. 333, *βοηδρομεῖν* hic in Cod. et recte legitur v. 412, hoc tamen loco *βοηδρόμον* præstiterit.] vs. 347, *Ἐπλάσθης Φρυγίαν πρὸς αὐλάν.* vs. 356, *Ἥκεις διφρεύων.* vs. 384, *Παρὰ πορπάκων κελαδοῦντας.*

1 Parthenio auctore π. Ἐ. Π. c. 36, bello Trojanis coorto, *μετῄεσαν αὐτὸν οἱ βασιλεῖς ἐπίκουρον· ἡ δὲ Ἀργανθώνη, εἴτε δι' ἔρωτα,—εἴτε καὶ ἄλλως καταμαντευομένη τὸ μέλλον, βαδίζειν αὐτὸν οὐκ εἴα.* Fatum illa forsan morari voluit, quod suspicari potuit ex oraculo, memorato Eustathio et Schol. in Hom. Il. K, 435.—In istis Parthenii *μετῄεσαν αὐτὸν*, non utique significat 'miserunt eum' Reges, sed Rhesum 'arcessiverunt' Priamus et Hector missis legationibus; de quibus vid. Rhesi v. 401, et v. 937. ubi Clar. Hardionio, p. 48, jure laudatam Codd. Reg. lectionem affirmat Tragœdia Χριστοῦ Πασχ. v. 1376, *ἀλλά σ' Ἕκτορος Πρεσβεύμαθ', αἵτε μυρίαι γερουσίαι Ἔπεισαν ἐλθεῖν, κἀπικουρῆσαι φίλοις.*—Ubi Steph. Byz. meminit *Ἀργανθώνης, Ῥήσου γυναικὸς*, L. Holstenius commodum recordabatur Eustathii in Dionys. Perieg. v. 322, sed non vidit ex istis, *Μυσοὶ—ἀπὸ Μυσοῦ υἱοῦ Ἀργανθώνης τῆς γενναίας τῆς Ὀρεσιβίου*, mendosis, hæc effingenda sincera, *Ἀργανθώνης, Ῥήσου γυναικὸς, τῆς Ὀρεσιβίου.* ignoto patri nomen imposuisse putem conveniens vitæ venatricis puellæ, quæ solo amore venandi percussa homines ante oderat, quam pulcerrimum Rhesum cognovisset; in montibus et sylvis degens, *τὴν κατ' οἶκον δίαιταν καὶ μονὴν ἀπέστυγεν*, inquit Parthenius.

Ἀλλ' ὕστερον μὲν ἦλθον· ἐν καιρῷ δ' ὅμως.
Σὺ μὲν γὰρ ἤδη δέκατον αἰχμάζεις ἔτος,
Κοὐδὲν περαίνεις· ἡμέραν δ' ἐξ ἡμέρας
[1] Ῥίπτεις κυβεύων τὸν πρὸς Ἀργείους Ἄρην.
Ἐμοὶ δὲ φῶς ἓν ἡλίου καταρκέσει,
Πέρσαντι πύργους, ναυστάθμοις ἐπεισπεσεῖν,
Κτεῖναί τ' Ἀχαιούς. θ' ἀτέρᾳ δ' ἀπ' Ἰλίου
Πρὸς οἶκον εἶμι.

Sed horum immemor, Troja liberata periculo, spoliisque Diis consecratis, velle se dicit Hectore comitatum in Græciam proficisci, ut illam ferro et igne popularetur v. 471,

Ξὺν σοὶ στρατεύειν γῆν ἐπ' Ἀργείων (MS.) θέλω,
Καὶ πᾶσαν ἐλθὼν Ἑλλάδ' ἐκπέρσαι δορί.

Græcorum fortitudinem in alieno quoque solo pugnantium decem annorum experimentis edoctus Hector, cum arroganter dicta refutasset philosophica moderatione, Thracem tandem interrogat, qua parte velit cum suis in prælio collocari : hic redit ad ingenium Rhesus ; ad Hectoris regnum tutandum facere se velle ceteris otium significat, et solum pugnare : quod si sibi minus illud decorum judicaret Hector, adversus Achillem ceterosque Græcos se unum collocaret in prima acie : jam ante dixerat v. 451,

Ὑμῶν δὲ μήτις ἀσπίδ' αἴρηται χερί.

(sic MS. Flor. pro αἰρέτω·) hic v. 488,

Μόνος μάχεσθαι πολεμίοις, Ἕκτορ, θέλω·
Εἰ δ' αἰσχρὸν ἡγῇ μὴ συνεμπρῆσαι νεῶν

1 Ῥίπτεις legendum pro Πίπτεις, monuerunt Claudius Sallierius ' dans l'Histoire de l'Académ. des Inscr.' T. v, p. 125, et Ti. Hemsterhusius ad Schol. in Aristoph. Π. p. 205. Nollem vir clariss. F. L. Abreschius hanc quoque rejecisset conjecturam, quam jure ' felicissimam' vocat Benj. Heathius. Unam in v. 449 literam mutavi ex MS. Flor. in quo deerat vs. 400, ab alia forsan manu ex vicinis factus. vs. 404, servandum quod vulgatur Σὺ δ' ἐγγενὴς ὤν, — sed vs. 413 scribendum puto, Οἱ δ' οὐδὲν ἡμῖν ἐν γένει πεφυκότες· ut in Eurip. Alc. v. 903. Dicæogeni in Stob. Grot. p. 261, &c. — Meliora dat vulgatis Cod. MS. vs. 416, Οἱ δ' ἔν θ' ὅπλοισι, καὶ παρ' ἱππείοις ὄχοις. v. 421, κατ' ὄμμα σὸν λέγω. vs. 431, φόνος. vs. 442, Ξὺν τοῖσδ' ἄϋπνος οἶδα τλὰς πορπάσμασιν, (de hoc versu miror eruditorum virorum judicia : subjecta τελείᾳ στιγμῇ voci ὁρίσματα, scriberem : Οὐδ', ὡς σὺ — Οὔτ' ἐν) vs. 455, μόνον. vs. 477, νομὸν τὸν Ἑλλάδος. vs. 479, ἀριστεῖς. vs. 493, λόγος γ' ἦν. vs. 496, Τί δαί ; vs. 506, πυλῶν παραστάτας. vs. 512, κλωπικὰς ἕδρας. vs. 514, ἀμπείρας. vs. 561, εἰσπαίσας.

Πρύμνας, πονήσας τὸν πάρος πολὺν χρόνον,
Τάξαι μ' 'Αχιλλέως καὶ στρατοῦ κατὰ στόμα.

Ajace tum Hector, Diomede, Ulysse collaudatis, Rhesi plenum arrogantiæ sermonem silentio refutans ab exercitu reliquo separatum Thracibus locum assignat, ubi castris positis noctem istam exigerent quieti.

Quartum dramatis Actum, conditum non sine artificio, quod attigit R. P. Brumœus dans son Theatre des Grecs, T. iv, p. 401, dedecorant interventu suo Minerva et Alexander, ut recte Sam. Petito fuit animadversum Miscell. iii, p. 192, 193. Neque Euripides, nedum Sophocles, Deam in scenam introduxisset in Paride decipiendo tam turpiter mendacem; Minervæ Homericæ, et Sophocleæ in Ajace dispar est ratio. Hujus dramatis Poëta Minervam non mendacem tantum repræsentat, sed muliebriter enarrantem illius hostis formidandi virtutes, (quibus dicta hominis non conveniunt;) tandem, quibus favebat, Ulyssi et Diomedi, nec mirum, adjutricem in obtruncando Rheso, carissimæ sibi Musæ filio unico.

Indice Dea non egentes heroës apud Homerum adventum Rhesi sedemque separatam ab exercitu cognoverant ex Dolone; Tragici vero Dolon ante castris jam exierat, quam Rhesus ab alia parte venisset ad Hectora. Illud autem, sæpe ferendum in his antiquis poëmatis, non adeo plerisque mirum videbitur, pauxillo temporis momento, quo Minerva, Veneris faciem mentita, cum Alexandro loquebatur, confectam a Tydide fingi Rhesi comitumque cædem; equos ab Ulysse abductos. Alexandrum fraudibus suis amolita Dea, mox amicos retrahit ab incœpto,

(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri,

Virgil. Æn. ix, 354,) his verbis usa:

[1] *'Υμᾶς δ' ἀϋτῶ, τοὺς ἄγαν γ' ὁρμωμένους,*
Λαερτίου παῖ, θηκτὰ κοιμίσαι ξίφη·

1 In his dubitanter *ὑμῖν*, sed persuasus *ὁρμωμένους* restitui, pro *ἐρωμένους*· quod hinc alienum in his rebus exercitati fatebuntur, qui norunt *ὁρμώμενον* et *ὡρμημένον* in talibus aliquoties reperiri: ubi recte vulgatur in Eurip. Hippol. v. 1152, *πρὸς δόμους ὁρμώμενον*· MS. Flor. præfert *δρώμενον*· quantillum hoc differt ab *ἐρώμενον*; — Ex hoc quoque loco liquet, Diomeden Ulysse comitatum equos

Κεῖται γὰρ ὑμῖν Θρῄκιος στρατηλάτης,
Ἵπποι τ' ἔχονται.

Hic subito Dea vigilum adventus admonitos amicos suos destituit: nec mirarer, ex Dolone cognita tessera istius noctis militari, Ulyssem solum præsentissimo se periculo potuisse liberare: sed vix intelligerem quomodo manibus vigilum elabi potuerint ambo, dum equos Rhesi albedine ardentes illinc averterent, nisi Deæ potentissima machina ad omnia sufficeret.

Versum Dramatis 686, vigilum partim semichoro, partim Ulyssi contribuendum,

Ἡμιχ. Ἦ σὺ δὴ Ῥῆσον κατέκτας; Ὀδ. ἀλλὰ τὸν κτανοῦντά σε.

tantum Rhesi in sua castra avertisse, non currum: Scaligerum fefellit, notis in Culicem p. 31, versus Rhesi 798, quo dicuntur ὄχημα πωλικὸν λαβόντες ἵππων· sed his quoque, more scribendi Euripideo, 'equos' solos designari ostendit clar. Heathius. De curru cogitantem Tydiden retraxit Homeri Minerva Il. K, 504—509, cui probabiliter fingitur Ulysses equos arcu propellens, quia ne scuticam quidem ex Thracico curru rapere cogitaverat,

In sua captivis castra revectus equis,

Sabini Ulysses v. 17. Nusquam 'equitatus' fit apud Homerum mentio; et ne hos quidem heroas nisi Minervæ monitu equis Rhesi velut equites usos contendit doctiss. Nicolaus Freretius dans les Memoires de Litterature de l'Acad. des Inscript. T. vii, p. 287, 288. — In Iliadis Epitome, Pindari quæ dicitur, v. 735, 'multo candore nitentes (versus interjectus recte omittitur in MS.) Thraces (L. *Thracis*) equos rapiunt, quos nec præcederet Eurus, (sic MS.) Nec posset volucri cursu superare sagitta.' Homero pinguntur Il. K, 437,

λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras,

Virgilio Æn. xii, 84. sed secundum Homeri Schol. χιόνος δύναταί τι λευκότερον γίνεσθαι, ἀνέμου θᾶσσον οὐδέν. Neque, opinor, inveniemus in Iliade Homeri vel Odyssea, 'Vincentem pedibus ventos,' Manilii v, 79; 'cursuque pedum prævertere ventos,' Virgil. Æn. viii, 807. xii, 345. Ipsius Achillis equi Homero ἅμα πνοιῇσι πετέσθην, Il. Π, 149, ἀελλάδες et ἀελλόποδες ἵπποι, Lucian. vid. T. ii, p. 500. Callimachus scripserat, ut puto, — ἀλλὰ θεόντων Ἰσανέμων· vel Ἰσ' ἀνέμοις. non Ὡς ἀνέμων, ut vulgatur in Fragm. cxxxv. Achillem ἰσάνεμον ποδοῖν dat Eurip. Iphig. in Aul. v. 206. In ejusdem tamen Callim. h. Dian. v. 94, Pan Deæ dedit venatrici Θάσσονας αὐράων κυνοσουρίδας. Quos ventis velociores dicere noluit Homerus, equos dixit Θάσσονας ἰρήκων, Il. N, 819. Solis equos ventis, credo, velociores dixerat qui hymnum Soli scripsit, inter istos qui velut Homeri vulgantur, p. 106, Ed. nuperæ, quam debemus Clariss. Ernesto,

καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἔσθος
Λεπτουργὲς πνοιῇ ἀνέμων· ὑπὸ δ' ἄρσενες ἵπποι.

Solis etiam ἄρσενες ἵπποι sunt sane notissimi; sed ista, πνοιῇ ἀνέμων, dum quis nobis interpretetur, suspicabor equidem dedisse Poëtam:

ἔσθος
Λεπτουργές· πνοιῆς δ' ἀνέμων ὑπὸ θάσσονες ἵπποι.

His lectis, ὑπὸ in πολὺ quoque mutandum eleganter suspicabatur Jo. Luzacius. Nihil ista faciunt ad Rhesi drama, in cujus Actu quarto destituit nos Codex Florent.

Petito non optime tentatum p. 196, probabiliter interpretatur Clar. Heathius: sed vigilibus, si noverant obtruncatum in tentorio Thracum Regem, versus quomodo convenit 691?

Ἀλλὰ συμμάχους ταράσσειν δεινὸν ἐν νυκτῶν φόβῳ.

Noverant quidem, prope castra Græcos venisse speculatores; ignorasse tamen truncum Rhesi sanguine singultantem, manifestum est ex vss. 745, (quod vidit etiam Petitus,) et v. 755, quibus respondent ad lamenta Thracis aurigæ.

Hic, graviter ipse quoque vulneratus, Actu quinto [1] sic suum infortunium et domini cædem lamentatur, ut primum de cladis auctore dubitasse videatur, quam Græcis imputat exploratoribus Chorus v. 804,

[2] Ἡνίοχε Θρῃκὸς, τοῦ κακῶς πεπραγότος,
Μηδὲν δυσοίζου πολεμίους δρᾶσαι τάδε.

Sed cum vigilibus propter officium neglectum mortem Hector minaretur, omnem auriga Rhesi modum exsuperat, in ipso Hectore velut auctore facinoris palam accusando;

1 Quinti actus initium recte figit in v. 727, Hardionius dans les Memoires de Litterat. &c. T. x, p. 328.

2 Si scripsit Poëta πολεμίους, quod additur, Μηδὲν δυσοίζου nequit explicari: verbo rarissimo speciem conciliat δυσοίζων, 'moleste ferens,' supra positum v. 724; quodque præbet Hesychius, Δυσοίζου. huc Rhesi locum, dubitanter tamen, viri docti retulerunt, et multo magis alienum Clementis Romani. Si lenissima mutatione refingas Hesychianum, in Δυσοίστου, οἰωνιζομένου, καὶ ἄγαν ὑποπτεύοντος· nihil aliud desideres: duplicem in talibus significandi vim sæpius attigit Thomas M. vid. T. H. in Lucian. p. 179. isto sensu Δύσοιστος dici potuit cautus ille dux Atheniensium Nicias, καὶ φύσει δεισιδαίμων, ut dicitur Diodoro Sic. xii, c. 12, f. Thucyd. p. 478, 2. Scripserat, opinor, Schol. in Aristoph. Eq. v. 357, δυσοιώνιστος (pro δυσώνητος) γὰρ ὁ Νικίας. quam vocem adhibet in Lysistr. v. 506. Lucian. ii, p. 355. Nusquam nobis lectum verbum Δυσοιωνεῖν ex Phrynichi Sophist. Appar. mihi suppeditavit Clar. Ruhnkenius: Δυσοιωνεῖν, inquit Phryn. τὸ δυσφήμως καὶ ἀπαισίως ἐπί τινι πράξει μελλούσῃ διαλέγεσθαι.—Nihil horum quadrat in hunc Rhesi locum, ubi nescienti famulo, quis herum obtruncasset, sinistri tamen aliquid de sociis suspicanti, hos nisi memoraverint, respondere debuerunt vigiles: 'dubitare omnino noli, quin hostes hoc facinus patraverint:' scripseratne itaque Poëta, Μηδὲν δοιάζου, aut, quod malim,

Μήδ' ἐνδοιάζου πολεμίους δρᾶσαι τάδε.

In τοιοῦτος, ποιεῖν, corripitur et a Tragicis interdum οι, multo tamen rarius ab Euripide, quam a ceteris. Ἐνδοιάζειν et ἐνδοιάζεσθαι est ἐν δοιῇ εἶναι, vel ἑστηκέναι· 'dubitare:' Thucyd. i, p. 28, 75. p. 78, 84. ἐνδοιάζων τῇ γνώμῃ Sylla Plutarchi i, p. 457. B. Herod. vii, p. 589, 99, οὐδ' ἔτι ἐνδοιαστῶς. Parthen. π. Ἐ. Π. c. ix, p. 363, φράζειν ἐκέλευε τοῖς ἀδελφοῖς, μὴ (μήδ') ἐνδοιᾶσθαι, ὡς τῆς πράξεως ἐπὶ τέλος ἀχθησομένης, εἰ μὴ ἐκεῖνοι ἐνδοιασθεῖεν.

Hectora dicit ipso Paride fratre magis sceleratum; quippe qui suum hospitem obtruncaverit, turpi motus equorum ejus adipiscendorum cupidine: hoc quibuscunque poterat argumentis auriga Rhesi demonstrare conatur v. 835—855.

Ne his quidem dictis Hectoris exardescit violentia: dixisse saltem potuerat, qualia Virgilii Turnus in Drancen Æn. xi, 408,

> Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri,)
> Amittes.

Sed ad ista vix ferenda convitia mitissime respondet Hector Tragici, de Dolone, quem miserat exploratorem, multo magis solicitus, quam de fama, castrisque suis, Rhesi Regis, et socii, hospitisque, tristi cæde turpiter violatis. Cumque vulneris dolore Thrax irritatior impudenter instaret criminationi, Hectora dicentem facit v. 868,

> *Σὺ δ' οὖν νόμιζε ταῦτ', ἐπείπερ σοι δοκεῖ.*

Illo saltem, si sibi moriendum esset, in patria terra mori desiderante, Sithonia nive frigidior est versus, (Hecubam non dedecet in dramate Eurip. cognomine v. 277, *Μηδὲ κτάνητε· τῶν τεθνηκότων ἅλις·*) quo respondet Hector:

> *Μὴ θνῆσχ'· ἅλις γὰρ τῶν τεθνηκότων ὄχλος.*

Quo se verteret domini tutela destitutus, nescienti famulo vide quam benigne Hector dicat,

> *Οἶκός σε κεύθων οὑμὸς ἐξιάσεται.*

Fabulæ conditoris,

> Credo,—
> Sic maternus avus dixerit, atque avia.

Hoc humanitatis officium auriga Rhesi propterea repellente, quod manibus curari nollet homicidis; mansuetus instar ovis, qui semet ipse supra v. 58 satis absurde Leonem dixerat, Hector,

> *Ὅδ' αὖ τὸν αὐτὸν μῦθον οὐ λήξει λέγων.*

Ad tot convitia, impudenter jactata, qui ne gemitum qui-

dem dederat indignabundus, quid mirabimur si suis iste vigilibus facile fuerit placatus, quibus paulo ante, cœlo teste, mortem minabatur v. 817,

> Ἤτοι μάραγνά γ', ἢ καρανιστὴς μόρος,
> Μένει σε δρῶντα τοιάδ', ἢ τὸν Ἕκτορα
> Τὸ μηδὲν εἶναι καὶ κακὸν νομίζετε.

His duo dat Hector mandata; primum ut aurigam Rhesi vulneratum in ædes suas ('tentorium' dicere potuerat,) deducant, atque illic affatim omnia curent ipsi necessaria subministrari, ut ne haberet scilicet! quod amplius criminaretur, v. 877,

> [1] Λάζυσθ' ἄγοντες αὐτὸν εἰς δόμους ἐμοὺς,
> Οὕτως θ', ὅπως ἂν μὴ 'γκαλῇ, πορσύνετε.

Alterum Hectoris mandatum Priamum spectat et senatum, quibus urbem ingressi cadavera honorifice sepelienda præciperent v. 880, νεκροὺς

> Θάπτειν κελεύειν λεωφόρους πρὸς ἐκτροπάς.

Sed tot jam versibus agitata lis ne maneret indecisa, Dea erat ex machina evolvenda, quæ cladis auctores indicaret. Jam ante cœlo Junonem devocaverat et Minervam, ἀνθρώπινα φρονούσας. Hic una de Musis in aëre apparuit: Euterpe fuerit, an Calliope, vel Terpsichore Rhesi mater, Poëtæ non satis constitit. Apparuit autem in ulnis gestans cruentum filii cadaver, hoc minus miserabile spectaculum, quod superba magniloquentia sibi vivus auditorum odium conciliaverat. Visa Dea Chorus v. 885,

> [2] Ἐὰ, ἐὰ, ὢ, ὢ,
> Τίς ὑπὲρ κεφαλῆς θεὸς, ὦ βασιλεῦ,

1 Λάζυσθ'.—Οὕτως θ' optime restituit Reiskius: Eurip. Phœn. v. 1654, Λάζυσθε τήνδε, κεὶς δόμους κομίζετε.—Πορσύνετε, quod perperam acceperunt, significat 'subministrate.'—Paulo post, pro λαοφόρους, alteram formam hic aptiorem prætuli, λεωφόρους πρὸς ἐκτροπάς. huic sæpe vulgarem substituerunt: Μενέλεων, pro Μενέλαον positum, in oraculo quod ex Œnomao dat Euseb. Præp. Ev. v, p. 223. B, versum vitiatum emendabit: apud Harpocr. in Ἀργαῖος, Ἀρχέλεων scripsisse Theopompum monstrat Aldinum ἀγγέλεων.

2 In his vulgari solet versus 887 vitiosus: Τὸν νεόδμητον ἐν χεροῖν· elidi potuit a vicinis nomen Ῥῆσον, et explet versum anapæsticum: Ῥῆσον χειροῖν itaque posui pro ἐν χεροῖν· ἔνι χεροῖν scribens, Heathius vocem ξεῖνον vel si-

Τὸν νεοδμητον [Ῥῆσον] χειροῖν
Φοράδην πέμπει;
Ταρβῶ λεύσσων τόδε πῆμα.

Musa cædis auctorem designat Ulyssem, et, more cœlestium, vindictæ cupida, hoc punito se sperat animum expleturam. Diris etiam devovet Diomeden, et, primam malorum causam, Helenam. Tum satis frigide suos uni Strymoni mutatæ virginis amores, ereptamque adeo sibi virginitatem spectatoribus enarrat, suamque pro filio solicitudinem, quem fati non nescia frustra mater ab hac studuerit expeditione avertere. Hoc alienissimo loco captavit occasionem Tragicus dicendi, quæ placitura noverat ingeniis Atticis. Velut oblita Dea priorum, hic nihil Ulyssem, nihil adeo fecisse fatetur Tydiden; omnem facinoris culpam in unam conjicit Minervam, v. 938,

[1] *Καὶ τοῦδ', Ἀθάνα, παντὸς αἰτία μόρου,*
(Οὐδὲν δ' Ὀδυσσεὺς, οὐδ' ὁ Τυδέως γόνος
Ἔδρασε, δράσας·) μὴ δόκει λεληθέναι.

Deam Diva criminatur velut immemorem beneficiorum,[2] quibus urbem Palladi dilectam sorores Musæ semper honorassent; suæ se arguit in Athenas benevolentiæ

milem excidisse suspicabatur.—Πέμπει versu seq. vitiosum puto: πενθεῖ forte non displicebit? 'quæ Dea manibus gestans Rhesum luget?' Sed hos versus qui proximi præcedunt, partim cum Reiskio et Heathio, sic opinor restituendos:

Τίς ποτ' εὐτυχίας
Ἐκ τῆς μεγάλης Τροίαν ἀνάγει
Πάλιν εἰς πένθη
Δαίμων ἕτερόν τι φυτεύων;

Sic veteres ἕτερον et ἕτερόν τι per εὐφημισμὸν dicebant τὸ κακόν. quique 'causa mali' Pythagoreis, Philolao, Timæo, Archytæ, ἁ κακοποιὸς ἀρχὰ, Plutarcho ὁ τῶν φαύλων δημιουργὸς, dicebatur et ἕτερος δαίμων. Plutarch. de Is. et Os. Ed. Squir. p. 116, οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα, Θεὸν, τὸν δὲ ἕτερον, Δαίμονα καλοῦσιν, ὥσπερ Ζωροάστρης·—(Zoroastris de Deo magnifica dabit Euseb. Præp. Ev. i, p. 42. A.) hinc calamitates et infortunia ἕτερος δαίμων Phalaridi Epist. xii. Καλῶς et ἑτέρως opponuntur Demostheni de Cor. p. 150, §. 150. Platonem in Theæteto scripsisse p. 173. D. εὖ δὲ ἢ ἑτέρως τι γέγονεν ἐν πόλει· suspicor ex Jamblichi Protr. c. xiv, p. 84, 25. Miror quæ scripsit Bentleius ad censuram Boylei p. 129.

1 Hæc posui, prout eleganter a S. Musgravio fuere collocata Exercit. in Eurip. ii, c. 9.—In versu 958, hic quidem scribere ausus sum ἐφήδομαι pro συνήδομαι· narrat quidem Pollux iii, 101, Isocratem συνηδόμενοι scripsisse, ἀντὶ τοῦ ἐφηδόμενοι. quo nihil aliud conficias, quam Codicem Grammatici hac in voce fuisse vitiatum: ἐφησθησόμενοι recte nostræ præferunt Edd. (p. 176. c.) hoc verbum, non illud, in talibus adhibebant veteres.

2 Istam partem dramatis vs. 941 et seqq. docte Jac. Hardionius interpretatur p. 335; quodque putat Socratem obscure Poëtæ designatum mihi minus displicet, quam Heathio.

præmium referre, quod gestaret, cruentum filii cadaver.—Qui tam solicitam famuli Thracis curam gesserat paulo ante Hector, hic ne verbo quidem debita matri dedit

solatia luctus
Exigua ingentis.

Indicat non obscure, se, vel absque Dea indice, cædis auctorem habuisse cognitum v. 952. Legerat hic Tragicus Homeri verba in Od. *T*, 331, Teucri Sophoclei Aj. v. 1008, sententiam Archilochi,

Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσιν.

Animi turpissimi vitium ne sibi Dea imputaret, Hector Tragicus a se suspicionem removet, quæ nemini, nedum Deæ, poterat in mentem venire, v. 958,

Οὐ μὴν θανόντι γ' οὐδαμῶς ἐφήδομαι.

Hæc mea qui sibi sumserit examinanda, si voluerit ista per figuram λιτότητος tueri, quid proximis faciet, ubi se Deæ narrat Hector paratum ad honorem tumuli mortuo deferendum? Sed hoc officium aspernata Dea quos filio duraturos pararet honores indicat; neque ipsa muliebriter mortuum lamentata Thetidis, filii casum multo gravius laturæ, semet ipsa solatur exemplo v. 974,

[1] *Ῥᾷον δὲ πένθος τῆς θαλασσίας θεοῦ*
Οἴσω· θανεῖν γὰρ καὶ τὸν ἐκ κείνης χρεών.

Unius tandem filioli Musa mater in locum excurrit communem, et vitam sterilem, quia vacat istiusmodi solicitudinibus, fœcundo præponit matrimonio. Hector denique, curis istis solutus, Rhesi sociorumque Thracum immemor, redit ad ingenium; ignes in Græcorum se naves jaculatu-

1 Pro Βαιὸν δὲ πένθος—hic quoque recepi S. Musgravii conjecturam ex ejus Exercit. in Eurip. p. 95, legentis Ῥᾷον δὲ πένθος τῆς θαλάσσιας θεοῦ Οἴσω. Humanissimo viro non ingratum fore puto, si dixero, mihi dudum id ipsum in mentem venisse; qui cum Musgravio noveram, 'moderate ferentes luctum, injuria, morbos, calamitates alias,' ista dici ῥᾷον et ῥᾷστα φέρειν· Euripidi Hipp. v. 205, Ῥᾷον δὲ νόσον—οἴσεις. Dictye, βλέπουσα δ' εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ Ῥᾷον φέροις ἄν. Helenæ v. 261. Elec. v. 72. Soph. Œd. T. v. 693. Timocli Stobæi Grot. p. 511. Xenoph. Κ. Π. viii, p. 136, 6. Adrastum sic solatur Crœsus Herodoti i, c. 35, συμφορὴν ὡς κουφότατα φέρων κερδανέεις πλεῖστον.

rum pollicetur, atque isthoc die bello finem impositurum v. 991.

Hæc in sua luce collocata qui non putat indigna pleraque Æschylo, Sophocle, vel Euripide, hunc equidem existimabo cum istiusmodi ingeniis nondum satis consuevisse familiariter. Eum etiam in finem hæc scripsi, ne φιλευριπίδειος, Euripidis, ut Tragici, nimius viderer admirator, cui verum videtur Aristotelis judicium, de Poët. c. vi, ἐάν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἠθικὰς, καὶ λέξεις καὶ διανοίας εὖ πεποιημένας, οὐ ποιήσει ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον. In Euripidem etiam sæpe dici potest, quod Plutarchi Leonidas (T. i, p. 52, B.) ἀκαίρως τινὸς περὶ πραγμάτων οὐκ ἀχρήστων διαλεχθέντος, ὦ ξένε, ἔφη, οὐκ ἐν δέοντι χρέῃ τῷ δέοντι.

CAPUT XXIII.

De eloquentiæ abusu in Attica Republica.

Euripides morum erat magister. Eloquentia cur unis Athenis tot oratores valuerint. Illam alibi in Græcia fuisse neglectam. Abusus eloquentiæ Ciceroni agnitus et Quintiliano. Secundum illos etiam Athenas perdidit. De demagogis atque oratoribus disputatur. Omnes Δημαγωγοὺς fuisse ῥήτορας· non contra. Δημαγωγοῦ honesta principum in civitate virorum olim appellatio. Locus tractatur Eupolidis nunc primum editus. Postea sic dicti quicunque gererent et quomodocunque remp. aliis etiam appellationibus designati. Corruptis moribus Demagogi pessimi fuerunt adulatores, ornate dicentes speciosa. Euripides illos et abusum damnat eloquentiæ. A demagogis diversi ῥήτορες, in tribunalibus bonorum accusatores et malorum patroni, flagitia verborum obscurantes ornamentis, Athenis venales. Mercenariis patronis exemplo suo præivit Antiphon. Socrate fingit Aristophanes indigna. In hos etiam rabulas Euripidis quædam, cui vindicatur ex Clemente dictum. Εὔγλωσ-

σίᾳ adversarium in foro vel quomodocunque Νικᾷν· cui contrarium ἡττᾶσθαι. Εὔγλωσσος· εὐεπής, εὐέπεια.

Socratis exemplum secutus, istac jam ætate corruptos civium suorum mores emendare studuit Euripides, ἄξιος ὡς ἀληθῶς Σωκρατικῆς διατριβῆς, ut vere Clementi dicitur Alex. in Protrept. p. 65, 12. si præstare non adeo potuit, facere tamen conatus est, quod Poëtam decere dicit Agathon in Aristoph. Ran. v. 1041. Pro istius ævi licentia malos cives nominatim insectabatur Aristophanes, quorundam etiam optimorum irrisor maledicentissimus. Humanitatis amans, Euripides sub heroicis personis, antiquis certe, vitia civitatis Atticæ plurima modeste notavit; nullum frequentius, quam bonis civibus et civitati perniciosum eloquentiæ studium. Vim ornate dicendi florente Republica rebus omnibus pæne anteponebant Athenienses, quique illa pollerent, omni honoris genere cumulabant; ut minime mirandum sit, Athenis, vigente libertate, tot oratores eminentissimos prodiisse, pæne nullos extra Athenarum ambitum. Hanc in rem dignissima lectu sub finem Libri primi Hist. Rom. scribit Velleius Paterculus. In nonnullis Græciæ civitatibus facultatem bene dicendi nec profiteri licebat neque exercere. Cretensium hac de re legem, expressam Lycurgo Spartano, memorat ex Academicorum scriptis Clitomachi et Charmidæ Sextus Empiricus Ἀντιῤῥ. ii, περὶ ῥητορικῆς, (§. 20, 21,) quo libro protulit pleraque Sextus, quæ dicta fuerant in abusum eloquentiæ, Romanorum etiam disertissimis agnitum, Ciceroni et Quintiliano. Cicero de Off. ii, c. 14, ‘quid est tam inhumanum,’ inquit, ‘quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum—datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere.’ Idem Cicero apud Ammian. Marcellin. xxx, c. iv, ‘Mihi,’ ait, ‘hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit: quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest; dicendo potest.’ Quintilianus I. O. xii, c. i, ‘si vis,’ ait, ‘illa dicendi malitiam instruxerit, nihil—publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia.’ Quæ scribit eam in rem plura Quintilianus, illa pleraque congruunt Atticis hujus ætatis oratoribus, sive populo

quid suaderent dissuaderentve; seu sceleratis nebulonibus causas orantes patrocinarentur; aut innocentes in judicio capitis arcesserent, omnibus certe modis vexarent immeritos. His 'rerum natura' (verba sunt Quintiliani,) 'non parens, sed noverca, facultatem dicendi, sociam scelerum, adversam innocentiæ, hostem veritatis' invenisse dicenda est. Nihil horum in Atticos oratores dixit Cicero, nihil adeo Quintilianus; ea tamen uterque, ex quibus ista conficias. Cicero pro L. Flacco, c. vii, 'illa,' inquit, 'vetus [Græcia] quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum.' Concionum temeritas concionantibus est imputanda; a quorum ore pendebant in theatro homines imperiti, rerum saltem publicarum 'rudes ignarique:' atque hinc malorum repetit originem Quintil. Declam. cclxviii, p. 509, 'Civitatum status scimus ab oratoribus esse conversos: sive illam Atheniensium civitatem, quondam late principem, intueri placeat, accisas ejus vires animadvertemus vitio concionantium.' De temporibus etiam vigentis adhuc Reipublicæ dici potuit, quod scribit de recentioribus Livius xxxi, c. 44, 'nec unquam ibi desunt linguæ promtæ ad plebem concitandam: quod genus, cum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur.' Illic Dukero, eximio sane viro, laudatus H. Stephanus, Dialogo de Græcorum moribus, 'linguas promtas ad plebem concitandam' potius τὰς τῶν δημαγωγῶν fuisse censet, quam τὰς τῶν ῥητόρων. Hoc idcirco miror, quod mihi liquet ex istoc etiam libello, ad hanc partem Atticæ Reipublicæ non indiligenter attendisse hominem inter paucos Linguæ rerumque Græcarum peritissimum, Henr. Stephanum. Non omnes quidem Ῥήτορες Athenis erant δημαγωγοὶ, sed omnes δημαγωγοὶ, ut erant, dicebantur etiam ῥήτορες. Recte Gellius N. A. iii, c. xiii, 'Is Callistratus,' (inquit, quem sectari cœperit Demosthenes,) 'Athenis orator in republica fuit: illi δημαγωγοὺς appellant.' Ubi ῥήτορες aliquot ἔνδοξοι καὶ μεγάλοι, qui ante claruerint, quam ipse ad rempublicam accesserit, memorantur Demostheni de Cor. p. 177, primus comparet Καλλίστρατος ἐκεῖνος. Hi quidem boni consiliarii populum uti-

liter ducebant, erantque adeo optimi *δημαγωγοί*· nec enim natura sua nomen illud odiosum est, sed honesta primum fuit magnorum in civitate virorum appellatio; qui, sapienter populares, moribus nondum corruptis, speciosis utilia præferenti populo placebant. Tales fuere Solon,[1] Miltiades, Aristides, Themistocles, Pericles, alii, populares iidem, et Senatores, et Imperatores optimi, *προστάται τῆς πόλεως καὶ στρατηγοί.* quam in rem legi poterunt Isocrates p. 170. c. 262. c. d. Demosth. (usus Editione sum Parisina Benenati) p. 24, §. 30, 31. Æschines c. Tim. p. 4, 23. Talis ad exemplum Solonis, Aristidæ, Periclis, fuit apud Athenienses Phocion, pace rector civitatis prudentissimus, bello quinque et quadraginta vicibus designatus Imperator: vid. Plutarchi Phocion p. 744. f. 745. a. Talis apud Romanos M. Cato, quo, teste Cicerone de Orat. iii, c. 33, 'nemo apud populum fortior, nemo melior senator: idem facile

1 Eupolis in Comœdia quadam sua (*ἐν Δήμοις*, ut suspicor ob narrata Plutarcho in Pericle p. 153. e. conf. Eupolidea Stobæi p. 239, 49 &c.) Miltiadem et Periclem excitabat ab inferis, qui imperium abrogarent sui temporis Imperatoribus, adolescentulis luxuriosis, quique virtutes Imperatorias non in mente haberent, sed in pedum malleolis repositas. Ad ista Aristidæ T. iii, p. 374, *τῶν Κωμικῶν τις ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας*· hæc leguntur in Scholiis ineditis, quæ Clar. Petri Burmanni Secundi perinsignem ornant Bibliothecam, quæque dignissimi Possessoris mecum humanitas communicavit: *Εὔπολις ἐποίησεν ἀναστάντα τὸν Μιλτιάδην, καὶ Ἀριστείδην, καὶ Γέλωνα,* (corrigo, *Σόλωνα,*) *καὶ Περικλέα. ἐν τούτοις οὖν ἔνεισι δύο φησὶ Περικλῆς καὶ Μιλτιάδης. λέγει δὲ Εὔπολις οὕτως, Καὶ μηκέτι ἄναξ Μιλτιάδου καὶ Περικλεεῖ, ἐάσα τ' ἄρχειν μειράκια κινούμενα Ἐν τοῖσι σφυροῖσιν ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν.* Eupolidis sic mihi scribendi videntur versus:

Καὶ μηκέτ', ὦ 'ναξ Μιλτίαδες, καὶ Περίκλεες,
Ἐάσατ' ἄρχειν μειράκια κινούμενα,
Ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν.

Sensum arbitror expressisse me Comici paulo superius; et verbis minus invidiosis turpe vitium obvolvisse notatum Comico, dum *μειράκια* dixit *κινούμενα*· quo sensu Euripidis Macareus apud Aristophanem, *ἐκίνει Ἀδελφὸς—τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.* Respexisse mihi videtur in his Eupolis Archilochi Trochaicos,

Οὐ φιλέω μέγαν στρατηγὸν, οὐδὲ διαπεπλιγμένον,
Οὐδὲ βοστρύχοισι γαῦρον, οὐδ' ὑπεξυρημένον,
Ἀλλά μοι μικρός τις εἴη, καὶ περὶ κνήμας ἰδεῖν
Ῥοικὸς, ἀσφαλέως βεβηκὼς ποσσὶ, καρδίης πλέως.

Hæc nobis Archilochi servarunt Dion Chrys. Or. 33, p. 399. et Galenus in Hippocrat. T. v, p. 630, 30. et 618, 8. quibus formam indidit trochaicorum D. Heinsius Lect. Theocr. c. 8, p. 323. in una voce errantem corrigit T. H. in Hesych. T. i, p. 959. Hi autem Eupolidis versus Hegesippo mihi videntur obversati, seu quicunque orationem inter Demostheneas scripsit de Haloneso, cum hæc in ultima scriberet oratione p. 53, §. 53. *εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε.* de quibus, Longino quoque tractatis, Sect. 38, 1, Hermogeni p. 294, A. Dounæo in Demosth. p. 74, 75, dici possent, quæ hujus esse loci non viderentur.

optimus Imperator.' Notatu dignissima verba sunt Solonis apud Diogen. Laërt. i, 64, *τὸ θεῖον καὶ οἱ νομοθέται οὐ καθ' ἑαυτὰ δύνανται ὀνῆσαι τὰς πόλεις, οἱ δὲ ἀεὶ τὸ πλῆθος ἄγοντες* (atque adeo *οἱ δημαγωγοὶ*) *ὅπως ἂν γνώμης ἔχωσιν· οὕτω δὴ καὶ τὸ θεῖον καὶ οἱ νόμοι, εὖ μὲν ἀγόντων, εἰσὶν ὠφέλιμοι, κακῶς δὲ ἀγόντων, οὐδὲν ὠφελοῦσιν.* dicti veritatem Attica demonstrat historia: salutares ante, post mortem Periclis nihil amplius civitati profuere Solonis leges, mutandarum legum libidine, quæ demagogos agitabat, morumque depravatione in contemptionem adductæ. Honestam olim bonorum civium appellationem fuisse *δημαγωγοῦ* monstrant vel Aristophanis ex Equit. ista v. 191,

Ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
Ἔτ' ἐστὶν ἀνδρὸς, οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους·

olim itaque fuerat. Pericles, bonis omnibus laudatus, *δημαγωγὸς* Isocrati p. 184. D. Princeps ille consilii publici, dicitur *ἄγων τὴν πολιτείαν* Thucydidi p. 32, 11. Plutarcho in Nicia p. 524. D. *ἀπό τε ἀρετῆς καὶ λόγου δυνάμεως τὴν πόλιν ἄγων.* *Ἔπαινος ῥήτορος καὶ δημαγωγοῦ* legi poterit apud Pollucem iv, 34.

Moribus mutatis, ut erant bonis civibus invisi plerique qui male rempublicam gerebant, debuit etiam odiosum fieri nomen *Δημαγωγῶν.* Sic tamen omnes, sive bene rem administrarent, seu male, dicebantur Athenis, qui verba faciebant in concione populi, *οἱ λέγοντες* Demostheni, *οἱ λέγοντες ἐν τῷ δήμῳ* Lysiæ, qui decreta condebant; qui fœdus, bellum, pacem vel suadebant vel dissuadebant; quique adeo in universum personam gerebant *συμβούλων,* ut dicuntur sæpe Dinarcho c. Dem. p. 99, 22. p. 102, 36, 39. haberi volebant populares, et 'consiliarii;' dici amabant et 'patroni civium,' *προστάται,* Aristoph. *Εἰρ.* v. 683. *Ἐκκ.* v. 176. Thucyd. viii, c. 65. Qui gerebat rempublicam, *λέγων καὶ γράφων* Demostheni de Cor. p. 150, § 151, Plutarcho in Phocione p. 744. F. 751. A. est *γράφων ψηφίσματα·* in Alcib. Plutarchi p. 200. B. *ἔγραψε τῶν ῥητόρων Δημόστρατος καὶ εἶπεν.* ubi de se Critias ad Alcibiadem p. 209. F.

Γνώμην δ', ἥ σε κατήγαγ' ἐγὼ ταύτην ἐν ἅπασιν
Εἶπον, καὶ γράψας τοὔργον ἔδρασα τόδε.

Οἱ λέγοντες καὶ τὰ ψηφίσματα γράφοντες demagogi sunt apud Athen. xii, p. 532. c. in verbis Theopompi, qui partem historiæ Philippicæ dicavit moribus enarrandis *τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν*, Athen. iv, p. 166. d. in qua certe parte potuit ingenio Theopompus obsequi. Ubique *δημαγωγοὶ* dicti, dicuntur et *ῥήτορες καὶ δημαγωγοὶ*, Isocrati p. 185. b. Duas proponit in Hesychio conjecturas Clar. Jo. Toupius Emend. iii, p. 279, quarum alteram jam dederat Jo. Meursius, altera vereor ut probari possit. Dicuntur *οἱ δημαγωγοῦντες ῥήτορες*, Sexto Empir. p. 297. sæpenumero simpliciter *ῥήτορες*, Aristophani, Andocidæ, Lysiæ, ceterisque; dicuntur et *πολιτευόμενοι·* sive *τὰ κοινὰ* vel *τὰ πολιτικὰ* vel *τὰ τῆς πόλεως πράττοντες·* scripsisse Lysias videtur p. 118, 10. *παρασκευάζεται τὰ πολιτικὰ πράττειν καὶ ἤδη δημηγορεῖ·* conf. 307, 15. 309, 13. 423, 6. Demosth. p. 221, §. 192. cui p. 144. §. 104. junguntur *πολιτεύεσθαι καὶ δημηγορεῖν*. Andocides c. Alcib. p. 32. a. *στρατεύονται μὲν οἱ πρεσβύτεροι, δημηγοροῦσι δὲ οἱ νεώτεροι.* Callistratum *τὸν δημηγόρον* Iphicrates adjungebat sibi, teste Xenoph. *Ἑλλ.* vii, p. 344, 34.

Cum Solonis leges nihil amplius proficiebant, hi demagogi blanda oratione decipientes adulabantur populo: vere Sextus Empir. *Ἀντιῤῥ.* ii, §. 41, *ὁ δημαγωγὸς*, inquit, *κακοδιδασκαλεῖ τοὺς πολλοὺς τὰ κεχαρισμένα λέγων, καὶ διαβολαῖς αὐτοὺς ἐξαλλοτριοῖ πρὸς τοὺς ἀρίστους.* Pravæ hujus *δημαγωγίας* temporibus antiquissimis Theseo Rege jam præbuerat exemplum Menestheus Petei filius, *πρῶτος (ὥς φασιν) ἀνθρώπων ἐπιθέμενος τῷ δημαγωγεῖν, καὶ πρὸς χάριν ὄχλῳ διαλέγεσθαι*, ut scribit Plutarch. in Theseo p. 15. b. Aristophanis et Oratorum dicta de demagogis proferri possent plurima; sed nostro nunc sufficiet instituto dixisse, præsertim his temporibus demagogo, qui populo placeret, vim ornate dicendi fuisse necessariam. Duas sibi res confidentiam et vocem defuisse confitetur Isocrates quominus ad rempublicam accesserit Orat. ad Philipp. p. 98. c. *πρὸς μὲν τὸ πολιτεύεσθαι πάντων ἀφυέστατος ἐγενόμην τῶν πολιτῶν· οὔτε γὰρ φωνὴν ἔσχον ἱκανὴν οὔτε τόλμαν*, &c. et in Panathen. p. 234. e. Legitur in Ciceronis Catone Maj. c. v, [Isocrates] 'cum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur.' Ciceronem vero hoc in loco

posuisse, non quod vulgatur, sed, 'scripsisse se dicit,' quod et in uno Cod. Palatino repertum fuit, liquebit Isocratem comparanti p. 288. E. Neque vox tantum sonora, verum eloquentia requirebatur in demagogo, qua mellitos verborum globulos in aures animosque auditorum insinuaret. Aristoph. Equit. v. 215,

τὸν δῆμον αἰεὶ προσποιοῦ,
Ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς·
Τὰ δ' ἄλλα σοι πρόσεστι δημαγωγικὰ,
Φωνὴ μιαρὰ, γέγονας κακὸς, ἀγοραῖος εἶ.

Qui hæc et centena similia Comicorum non illibenter audiebant, quos habebant despicatui, iisdem utebatur populus, *ἐπιθυμῶν προπηλακίζειν τοὺς ἐν ἀξιώματι καὶ συκοφαντεῖν·* ut de Hyperbolo loquens in Alcibiade scribit Plutarch. p. 197. A. Semper autem populo in concione placebant *οἱ λόγῳ τέρποντες ῥήτορες*, ut Cleoni dicuntur Thucydidæ iii, c. 40, qui tribuit ipsis *τὸ εὖ εἰπεῖν*, ipsemet hac re populo commendabilis et impudentissima confidentia. Andocidæ dicitur Alcibiades *τοὺς μὲν λόγους δημαγωγοῦ, τὰ δὲ ἔργα τυράννου παρέχων.* Isocrates Or. de Pace p. 159. D. *αὐτοὶ*, inquit, *πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾶν καὶ φιλοσοφεῖν οὐ τὰ μέλλοντα τῇ πόλει συνοίσειν, ἀλλ' ὅπως ἀρέσκοντας ὑμῖν λόγους ἐροῦσιν.* Hæc et similia qui habuerit in numerato, ne dubitabit quidem, quin sui temporis demagogos, atque hanc Atticæ civitatis pestem sæpenumero suis in tragœdiis respexerit Euripides; velut in his, quæ facit Hecubam ad Ulyssem dicentem in Hec. v. 253,

Ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
Ζηλοῦτε τιμὰς, μηδὲ γινώσκοισθέ μοι·
Οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
Ἢν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

Ubi nuntium facit in Oreste narrantem quid evenerit in Argiva populi concione, post primum oratorem illic v. 900,

ἀνίσταται
Ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει,
Ἀργεῖος, οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος,

Θορύβῳ τε πίσυνος, κἀμαθεῖ παῤῥησίᾳ,
Πιθανὸς ἔτ' ἀστοὺς (sic l.) *περιβαλεῖν κακῷ τινι.*
Ὅταν γὰρ ἡδὺς τοῖς λόγοις, φρονῶν κακῶς,
Πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα·
Ὅσοι δὲ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεὶ,
Κἂν μὴ παραυτίκ', αὖθίς εἰσι χρήσιμοι.

his ultimis utilia speciosis præferentes populo commendatos voluit; cumque supra dixisset Orestes v. 770,

Δεινὸν οἱ πολλοὶ, κακούργους ὅταν ἔχωσι προστάτας·

subjicit Pylades,

Ἀλλ' ὅταν χρηστοὺς λάβωσι, χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεί.

In his Cleone non meliorem Cleophontem demagogum obversatum Tragico, quod suspicatur Scholiastes, verisimile reddit quod ex Philochoro nobis narrat, firmatum a Diodoro Siculo xiii, c. 53. ubi de homine seditioso notatis a Wesselingio multa possent addi. Perniciosam hanc civitati facundiam non dubito quin respexerit dum ista scribebat sub Phædræ persona Tragicus noster in Hippol. v. 486,

Τοῦτ' ἔσθ' ὃ θνητῶν εὖ πόλεις οἰκουμένας
Δόμους τ' ἀπόλλυσ', οἱ καλοὶ λίαν λόγοι.
Οὐ γάρ τι τοῖσιν ὠσὶ τερπνὰ δεῖ λέγειν,
Ἀλλ' ἐξ ὅτου τις εὐκλεὴς γενήσεται.

istorum versuum loco suspicor in Editione prima dramatis lectos, quos nobis asservavit Stobæus:

Φεῦ, φεῦ, τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
Φωνὴν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.
Νῦν δ' εὐρόοισι στόμασι τἀληθέστατα
Κλέπτουσιν, ὥστε μὴ δοκεῖν ἃ χρὴ δοκεῖν.

sic istos versus esse scribendos alibi jam fuit monitum.

Quos habet ex ejus Archelao Stobæus Gesneri p. 215, 5, pro λέγε, scribendo λέγ' εὖ, facile sanari poterunt:

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος, μὴ λέγ' εὖ· τὸ γὰρ λέγειν
Εὖ δεινόν ἐστιν, εἰ φέροι τινὰ βλάβην.

Huc etiam spectasse dictum videtur in Troasin v. 967, sic, ni fallor, emaculandum:

> Πειθῶ διαφθερεῖ σε τῆσδ', ἐπεὶ λέγει
> Καλῶς κακοῦργος οὖσα. δεινὸν οὖν τόδε.

Vulgatur, Πειθὼ διαφθείρουσα τῆσδ'. In Bacchabus quæ dicit in Penthea Tiresias conveniunt in malos demagogos Atticos v. 268,

> Σὺ δ' εὔτροχον μὲν γλῶσσαν, ὡς φρονῶν, ἔχεις,
> Ἐν τοῖς λόγοισι δ' οὐκ ἔνεισί σοι φρένες.
> Θρασὺς δὲ δυνατὸς, καὶ λέγειν οἷός τ' ἀνὴρ
> Κακὸς πολίτης γίγνεται, νοῦν οὐκ ἔχων.

Sed nusquam hoc malorum civium genus clarius expinxit quam sub persona Thebani præconis in Supplicibus v. 412 et seqq. civitas, inquit, a qua missus huc venio,

> Ἑνὸς πρὸς ἀνδρὸς, οὐκ ὄχλῳ κρατύνεται.
> Οὐδ' ἔστιν αὐτὴν ὅστις, ἐκχαυνῶν λόγοις,
> Πρὸς κέρδος ἴδιον ἄλλοτ' ἄλλοσε στρέφει·
> Οὐδ' αὐτίχ' ἡδὺς, καὶ διδοὺς πολλὴν χάριν,
> Εἰσαῦτις ἔβλαψ', εἶτα διαβολαῖς νέαις,
> Κλέψας τὰ πρόσθε σφάλματ', ἐξέδυ δίκης.

Ista nobis ratione locum emendavit Jer. Marklandus, quem, in Atticis quoque Scriptoribus exercitatissimum Criticum, latere veritas non poterat. "His, inquit, versibus describit Euripides, sub persona Præconis Thebani, mores Rhetorum et δημαγωγῶν sui temporis."

Hi Demagogi sæpe bonos cives accusabant in judicio; sed et a demagogis diversi rabulæ, sive ῥήτορες, in tribunalibus dominabantur: hoc quoque genus pessimorum civium notavit Euripides, qui sua vi dicendi turpiter abutebantur ad judices corrumpendos; sive ipsi pro se verba facientes scelera sua speciosis argumentis defenderent, seu patrocinarentur aliis, qui quidem essent indigni patrocinio: nam 'nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere—patitur consuetudo, fert etiam humanitas,' judice Cicerone de Off. ii, c. 14. Indignabatur Euripides, insontes in judicio toties vexari; justitiam et leges perversis

interpretamentis violari; resque turpissimas orationis ornamentis velari; non adeo, quamvis hoc quoque noluerit, ‘pulcra vocabula pigris Prætendi vitiis,’ ut loquitur Claudianus in Eutrop. ii, v. 206, ‘verbisque decoris Obvolvi vitium,’ ut Horatius Serm. ii, Ecl. vii, 41. Hoc qui faciebant Ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν, in Aristoph. Pluto v. 159. Sed in Atticos istos oratores potius congruit illud Musonii apud Stobæum p. 597, 54, τὰ δεινὰ καλλωπίζουσί τε καὶ ἐπισκιάζουσιν ἑτέροις ὀνόμασιν, et S. Joannis Chrysost. T. iii, p. 27. B. στωμυλία ῥητόρων τοῖς κατευγλωττισμένοις λόγοις ὑποκλέπτουσα τὴν ἀλήθειαν. In judicio sæpenumero,

Καὶ τὰν ἀλάθειαν τὸ δοκεῖν βιάζεται·

quæ Simonidis sententia turpiter vitiata in Scholiis ad Eurip. Orest. v. 225, sincere scripta prostat ad v. 780. Scripsisse mihi Menander videtur,

Τὸ ψεῦδος ἰσχὺν τῆς ἀληθείας ἔχει
Ἐνίοτε μείζω, καὶ πιθανωτέραν ὄχλου.

non quod vulgatur in Stobæi Titulo xii Florileg. περὶ ψεύδους· Τὸ πιθανὸν ἰσχὺν— Dinarchus c. Demosth. p. 97, 1, εἶτ' οὐ δεινὸν ὅτι—ἴσχυσεν ἂν τὸ ψεῦδος τῆς ἀληθείας μᾶλλον. v. 6, νῦν τὰ νόμιμα—καὶ τὰ δίκαια καὶ τἀληθῆ ἀσθενέστερα γενήσεται τῶν Δημοσθένους λόγων; καὶ ἰσχύσει μᾶλλον τῆς ἀληθείας ἡ—διαβολή; Æschines c. Ctesiph. p. 55, 21, εὕρηνται κρείττονες λόγοι τῶν νόμων. p. 67, 2, dicitur ipsi Demosthenes καλλίστοις ὀνόμασιν αἰσχίστας πράξεις γράφων.

Ob scelera periclitantibus quam facile fuerint patroni venales Athenis, ex variis liquet Aristophanis e Nubibus dictis: vid. v. 1034, et seqq. ubi se gloriatur Ἄδικος,

Αἱρούμενον τοὺς ἥττονας λόγους ἔπειτα νικᾷν.

illic v. 444 et seqq. rabulis istis dignæ leguntur appellationes. Pluti versus est 379,

Τὸ στόμ' ἐπιβύσας κέρμασιν τῶν ῥητόρων.

Lycurgus c. Leocratem p. 167, 23, ἐκπέπληγμαι, inquit, μάλιστα ἐπὶ τοῖς—μισθοῦ συναπολογουμένοις ἀεὶ τοῖς κρινομένοις. Ceteris patronis mercenariis exemplum jam præbuit An-

tiphon, cujus quidem, teste Philostrato, p. 499, Comici meminerunt *ὡς δεινοῦ τὰ δικανικὰ, καὶ λόγους κατὰ τοῦ δικαίου ξυγκειμένους ἀποδιδομένου πολλῶν χρημάτων αὐτοῖς μάλιστα τοῖς κινδυνεύουσι.* nec frustra populo suspectum Antiphontem fuisse *διὰ δόξαν δεινότητος* quod scribit Thucyd. viii, c. 68, eventus docuit. Illud minime protritum est, quod in Procemio librorum de Vitis Soph. narrat Philostratus p. 483, f. Sophistas tribunalibus exclusos Athenis, *ὡς ἀδίκῳ λόγῳ τοῦ δικαίου κρατοῦντας καὶ ἰσχύοντας παρὰ τὸ εὐθύ.* Romæ quidem notum est quid legato Atheniensium Carneade audito censuerit Cato censorius. Sed mendacissima malevolentia Strepsiadi dat in Nubibus suis Aristophanes magistrum Socratem, unum omnium maxime alienum ab oratoriis artibus. Is causæ suæ fretus justitia ad judices initio Platonis Apologiæ, Ex me, inquit, audietis *πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, οὐ μέν τοι—κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὥσπερ οἱ τούτων, ῥήμασί τε καὶ ὀνόμασιν, οὐδὲ κεκοσμημένους.*

Nunc ponam Euripidea quædam, quibus malos Oratores, *καλλιεπουμένους*, sive *καλλιλεκτοῦντας*, respexisse videtur, speciosa oratione jus et leges violantes. In ejus Hecuba cum sceleri suo Polydorus honestam causam prætexuerat, illamque verbis ornatissimis commendaverat, ad judicem Hecuba v. 1169,

Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτὲ
Τῶν πραγμάτων τὴν γλῶσσαν ἰσχύειν πλέον·
Ἀλλ' εἴτε χρήστ' ἔδρασε, χρήστ' ἔδει λέγειν·
Εἴτ' αὖ πονηρὰ, τοὺς λόγους εἶναι σαθροὺς,
Καὶ μὴ δύνασθαι τἄδικ' εὖ λέγειν ποτέ.
Σοφοὶ μὲν οὖν εἰσ' οἱ τάδ' ἠκριβωκότες,
Ἀλλ' οὐ δύναιντ' ἂν διὰ τέλους εἶναι σοφοί.

ultimum sic versum exhibet Cod. Ms. Leid. sequentem 1201 (ed. King.) si Codicibus abesset, nemo, credo, requireret.

Ad Eteoclis impiam orationem sui muneris memor Chorus in Phœniss. v. 529,

Οὐκ εὖ λέγειν χρὴ μὴ 'πὶ τοῖς ἔργοις καλοῖς,
Οὐ γὰρ καλὸν τοῦτ' ἀλλὰ τῇ δίκῃ πικρόν.

In Ione senex v. 832,

> *Οἴμοι, κακούργους ἄνδρας ὡς ἀεὶ στυγῶ,*
> *Οἳ, συντιθέντες τἄδικ', εἶτα μηχαναῖς*
> *Κοσμοῦσι.*

Suam, ut sæpe, sententiam Euripides Medeæ tribuit, in Med. v. 579,

> *Ἦ πολλὰ πολλοῖς εἰμι διάφορος βροτῶν·*
> *Ἐμοὶ γὰρ ὅστις, ἄδικος ὢν, σοφὸς λέγειν*
> *Πέφυκε, πλείστην ζημίαν ὀφλισκάνει.*
> *Γλώσσῃ γὰρ αὐχῶν τἄδικ' εὖ περιστελεῖν*
> *Τολμᾷ πανουργεῖν. ἔστι δ' οὐκ ἄγαν σοφός.*

Hæc qui legerit non dubitaturum confido, quin sint Euripidis ex perdito dramate versus, quos ex Tragœdia servavit Clemens Alex. Strom. i, p. 340, 341, quosque Grotius ut incerti Tragici posuit in Excerptis. Sic versus isti leguntur apud Clementem minus emendate scripti:

> *Ὦ παῖ, γένοιντ' ἂν εὖ λεγόμενοι οἱ λόγοι*
> *Ψευδεῖς· ἐπῶν δὲ κάλλεσιν νικῷεν ἂν*
> *Τἀληθές· ἀλλ' οὐ τοῦτο τἀκριβέστατον,*
> *Ἀλλ' ἡ φύσις καὶ τοὐρθόν· ὃς δ' εὐγλωσσίαν*
> *Εἰ καὶ σοφὸς μὲν, ἀλλά γε τὰ πράγματα*
> *Κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε.*

Primorum versuum deteriorem vulgata lectionem dedit Grotius, veram, ut arbitror, aut veræ proximam Marklandus in Eurip. Suppl. v. 109, nam virum arbitror humanissimum suæ hanc etiam prælaturum:

> *Ὦ παῖ, γένοιντ' ἂν οἱ λελεγμένοι λόγοι*
> *Ψευδεῖς·*

propter hæc Euripidis in Suppl. v. 333. *Ἐμοὶ λόγοι μὲν, μῆτερ, οἱ λελεγμένοι Ὀρθῶς ἔχουσ'.* Iphig. in Aul. v. 402, *Οἵδ' αὖ διάφοροι τῶν πάρος λελεγμένων Μύθων*, &c.—Ultima recte constituit, ante Grotium, Sylburgius,

> *ἀλλ' ἐγὼ τὰ πράγματα*
> *Κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε.*

in hanc sententiam Thucydides iii, c. 67, [ἔργων] ἀγαθῶν μὲν ὄντων, βραχεῖα ἡ ἐπαγγελία ἀρκεῖ· ἁμαρτανομένων δὲ λόγοι ἔπεσι κοσμηθέντες προκαλύμματα γίγνονται. ἀλλ' ἢν ἡγεμόνες, &c.—ἧσσόν τις ἐπ' ἀδίκοις ἔργοις λόγους καλοὺς ζητήσει. De armis Achillis judicaturos jubet Ajax Antisthenis p. 181, 28, μὴ εἰς τοὺς λόγους σκοπεῖν, περὶ ἀρετῆς κρίνοντας, ἀλλ' εἰς τὰ ἔργα μᾶλλον. (τἄργα σκοπεῖν Sophocles.) et Palamedes Gorgiæ p. 191, 18. Dion Chrys. Or. lxix, p. 622. A. ἄτοπον, inquit, ἀπὸ (sic scribendum pro ὑπὸ) τῶν λόγων μᾶλλον, οὓς λέγοι τις, ἢ ἀπὸ τῶν ἔργων εἰδέναι καὶ τεκμαίρεσθαι τὸν ἑκάστου βίον.

Sed in istis Euripidis versibus vitiosa,

ὃς δ' εὐγλωσσίαν
Εἰ καὶ σοφὸς μὲν

minus attendenti videri poterit recte Grotius sanasse, corrigendo,

ὃς δ' εὐγλωσσίαν
'Ασκεῖ, σοφὸς μὲν

qui quidem verbi noverit ἀσκεῖν usum, et meminerit, Isocratis esse phrasin, τὴν δεινότητα τὴν ἐν λόγοις ἀσκεῖν. ego tamen jam dudum plane mihi persuasi, in vitiatis εὐγλωσσίαν εἰ καὶ latere voces sinceras, εὐγλωσσίᾳ νικᾷ· atque adeo Euripidem hic scripsisse:

ὃς δ' εὐγλωσσίᾳ
Νικᾷ, σοφὸς μὲν, ἀλλ' ἐγὼ τὰ πράγματα
Κρείσσω νομίζω τῶν λόγων ἀεί ποτε.

'qui facundia dicendi victor est in judicio, hujus ille quidem rei peritus est; sed facta verbis semper equidem anteponenda judico.'

Qui sententiis judicum liberabatur etiam in foro Νικᾷν, qui causa cadebat dicebatur ἡσσᾶσθαι. Scripserat Isæus, non quæ vulgantur in ejus Orat. de Agniæ Hæred. p. 86, 3, τὸν μὲν νικᾶσθαι, τὸν δὲ ἡττᾷν· quorum hoc illis ne usitatum quidem; sed scripserat, τὸν μὲν ἡττᾶσθαι, τὸν δὲ νικᾷν. quod harum rerum scientes verum esse fatebuntur; aliis nunc commode demonstrari non potest, ubi sufficient Euripidea quædam emendationi versus Euripidei firmandæ. In Oreste legitur v. 942,

Ἀλλ' οὐκ ἔπειθ' ὅμιλον, εὖ δοκῶν λέγειν,
Νικᾷ δ' ἐκεῖνος ὁ κακὸς ἐν πλήθει λέγων.

Ubi præcesserant in Supplicibus ista v. 433,

Γεγραμμένων δὲ τῶν νόμων ὅ, τ' ἀσθενὴς
Ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει.

sequitur v. 437,

Νικᾷ δ' ὁ μείων τὸν μέγαν δίκαι' ἔχων.

Ubi vulgatur in Hecubæ v. 292,

Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν
Πείσει.

A. Gellius præbet τὸ σὸν Νικᾷ, N. A. xi, c. 4. In Aristoph. Ran. v. 1521,

Ἔκρινα νικᾷν Αἰσχύλον·

ut de Alcibiade, qui tantum valuit dicendo, ut 'nemo ei potuerit resistere,' Andocides p. 31, 42, Judices, inquit, νικᾷν ἔκριναν αὐτόν. Incertum scripseritne Comicus in Vesp. v. 579, δίκην νικᾷ, an δίκῃ νικᾷ. nam in Equit. v. 93.—νικῶσι δίκας. alibi legitur usitatior structura, qua hic in Euripideis εὐγλωσσίᾳ Νικᾷ. In Equit. Aristophanis v. 833, Ζηλῶ σε τῆς εὐγλωττίας, 'Laudo linguæ tuæ volubilitatem,' qui quidem Reipublicæ sis præfuturus. Suaviloqui Nestoris eloquentiam τὸ Νεστόρειον εὔγλωσσον μέλος vocat Eurip. ap. Athen. initio L. xv, quocum dicto comparari possunt Eurip. Alcest. v. 357. Iphig. in Aul. 1211. Εὔγλωσσος est εὐεπὴς, εὐγλωσσία dicitur et εὐέπεια· quorum hoc Procopio restitui debet in Iesaiæ xliii, 20, p. 492, per Σειρῆνας παρίστησι τῶν ἔξω τινὰς σοφοὺς ἐπεία (imo εὐεπείᾳ) κεκοσμημένους, πρὸς θεὸν ἐπιστρέφοντας. illud, ni fallor, scripserat Menander, si Menandri sunt versus apud Stobæum p. 217, 23,

Αἰσχρόν γ' ὅταν τις, εὐεπὴς γλώσσῃ φυεὶς,
Γλώσσῃ ματαίους ἐξακοντίσῃ λόγους.

pro vulgato ἐπὶ, ἤπιος edidit, p. 145, Grotius.

CAPUT XXIV.

De Phœnicis Euripidei Dramatis Argumento.

Phœnicis Euripidei unde erui possit argumentum, viris doctis incognitum. De Phœnice juvenilia Homero narrata, in versibus etiam Aristarcho male rejectis. Homerei loci monstratur elegantia. Juvenis Phœnicis πταῖσμα. Secundum Eustath. Euripidi fingi Phœnicem ἄπταιστον, immunem omnis culpæ; qualis laudatori Sophistæ fingitur Agesilaus ἀναμάρτητος. Ἄπταιστοι quinam Judæis Hellenistis. De Eustathio, qui in Homerum raro loca profert librorum S. S. Enniani Phœnicis de Græcis facti versus. Amyntorides Homereus et Euripideus moribus pinguntur diversis. Ex Hieronymo de Poëtis et aliunde Dramatis firmatur argumentum. Ad illud accommodantur fragmenta quædam. De rei moribus judici potius spectandis quam accusantis testibus. Non omnibus laudatum dictum, Patriam esse ubicunque bene sit. Πικρὸν νέᾳ γυναικὶ γέρων. ΙΔ. ΔΙ. ΑΙ. et Μ. permutantur a librariis. Δμῶς vox etiam Euripidea. Uxoribus ancillari pecuniosis pauperes, vetulos juvenibus. Seni cœlibi prolem desideranti datum a Deo Delphico, docti Poëtæ ministerio, consilium non absurdum, Ἱστοβοῆϊ γέροντι νέαν ποτίβαλλε κορώνην.

Admirator Homeri Sophocles in argumentis ex isto fonte petitis si sæpenumero fuit ausus, Cyclicos veteres aliosque secutus, ab Homero tradere diversissima, de Euripide hoc minus est mirandum. Quid in multis novaverint Tragici plene cognosceremus, ut arbitror, si pervenissent ad nos Asclepiadis Τραγῳδούμενα, et librorum Hieronymi Rhodii de Poëtis ea pars, qua de Tragicis egerat. Sed vel ex reliquiarum antiquitatis lenta comparatione multa possunt detegi. Præbeat hanc in rem ultimum nobis exemplum Euripidis Phœnix. Ex ista Tragœdia

Græci tantum versus pauci supersunt; et de his, quos Barnesius dedit, aliquot videntur ejiciendi, quorum loco decem ex Ennii Phœnice superstites collocari poterunt, de Græcis conversi.

Nihil admodum his inesse fateor ex Phœnice notis reliquiis, ex quo conficias argumentum dramatis. Aliunde tamen illud erui poterit; inter se comparatis Æschine contra Timarch. p. 21, 32, Suida in *Ἀναγυράσιος·* et Eustathio in Hom. Il. *I*, p. 667, 35. Adhibuit Eustathii verba, sed in his ceterisque longius a vero aberravit, Hieron. Columna ad Ennii fragm. p. 276. Ad verba Eustathii, *καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοίνικι ἄπτιστον τὸν Ἥρωα συντηρεῖ·* "hoc est, ait, et in Phœnice Euripides indivisum (ab Achille scilicet) conservat heroem. Hunc, — cum matris Hippodamiæ precibus impulsus Clytiam patris pellicem stuprasset, cumque id rescisset Amyntor, odiosum atque invisum jam inde habuit." Non mirum profecto patri Phœnicem odiosum fuisse, si patris filius pellicem stupravit.

Error est in his Columnæ verbis non unus: *ἄπτιστος* hoc sensu non potuit ab Eustathio poni, Græcis inusitatum. Phœnix in Euripidis dramate nihil habuit commune cum Achille, quippe qui Peleo nondum esset natus, cum evenirent istoc in dramate narrata. Secundum Homerum quidem, matris non injustis precibus expugnatus, Amyntorides ad patri delectam puellam paulo propius accessit, *ἆσσον ἦλθε Κλυτίας*, non ut cupidinem expleret; sed ut illa, suum juvenis experta vigorem, senilem patris aversaretur amplexum, suæque adeo matri minus esset odiosa. Pondus illa juvenile non experta Phœnicis, *ἄπειρος* et prorsus *ἀταυρώτη*, potuerat forsan Amyntoris esse contenta *συκίνῃ ἐπικουρίᾳ·* sed *ἥτις ἀνδρὸς ἦν γεγευμένη* vetulum profecto debuit *ἀθερίζειν*. Amyntor Homeri, puellam ubi sensit doctiorem quam ante, facile suspicatus palæstram, in qua fuerat exercita, filio diras imprecatus eam vovet partem infructuosam, qua in se peccaverat. Cum non irrita caderent vota; (malis enim precibus[1] parentum Dii libenter morem gerebant ista-

[1] Nollem his exemplis etiam Amyntoris et Thesei Platonem usum L. xi de LL. p. 931. B. De his antiquis Patrum imprecationibus extant observata quædam Clariss. Claudii Francisci Fraguierii in Hist. Acad. Reg. Inscript. T. v, p. 24, et seqq.

rum regionum) hanc indignatus Phœnix sibi factam contumeliam, accensus ira, impium facinus videtur meditatus in patrem, quod Deus benignior averterit. Iisdem in ædibus cum irato patre versari postea noluit Phœnix; seque contulit exul ad amicum æqualem Pelea, qui partem regionis primum dedit, postea filium ipsi commisit regendum. Hæc sua juvenis peccata narrat Achilli, non ille severus minoris castigator, Homeri Phœnix Amyntorides.

Prorsus hinc diversam in suo Phœnicis dramate scenam instruxit Euripides; tametsi rem narraverit eodem articulo temporis, quo contigere Homero tradita, atque inter eosdem, gestam. Sed ab Homero nondum ausim secedere, ne quis hæc mea conferens ad illius carmina finxisse me dicat quæ ne Homerus quidem confinxerit; humanum Homero juvenis commemorari Phœnicis peccatum, at nullum facinus impium, quod fuerit in patrem meditatus. Hæc itaque legat Homerei Phœnicis:

Τὸν μὲν ἐγὼ βούλευσα κατακτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ·
Ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ
Δήμου θῆκε φάτιν, καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων·
Ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην.

Per multa sæcula, fateor, hi versus abfuere ab oratione Phœnicis in Il. *I*; ab Aristarcho, ne lecti nocerent juvenibus, ejecti carminibus Homeri: hoc nos docet Plutarchus T. ii, p. 26. F. 27. A. et simul quam apte fuerint ab Homero atque utiliter, secus ac Grammaticus arbitrabatur, scripti: quod plenius demonstrat Plutarchus de Adulat. et Amici Discr. p. 72. B. Laudo Jo. Henr. Lederlinum, cujus, narrante Steph. Berglero, consilio versus isti sunt in Editionem Westenianam recepti; Barnesium quoque, qui sedem illis in Edit. Cantabrigiensi restituit, ut arbitror, suam post versum 457 Iliadis *Ἰῶτα*. Locorum Plutarchi viris doctis prior tantum innotuisse videtur. Hoc exemplo disci poterit, quanta fuerint etiam in Homeri poëmatis grassati licentia; ut minime mirandum sit si postea idem in aliis multo frequentius fecerint. Præbebit aliud exemplum hæc eadem historia.

Superius a me narratis conveniunt plerisque versus Ho-

meri ex Il. *I*, 448, &c. Qui mea legunt patienter ne hic quidem Phœnicis Homerici versus aliquot elegantissimos relegere recusabunt:

Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο,
Ὅς μοι παλλακίδος περιχώσατο καλλικόμοιο,
Τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν,
Μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
Παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα·
Τῇ πιθόμην, καὶ ἔρεξα. πατὴρ δ' ἐμὸς, αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς,
Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
Ἐκ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαρὰς,
Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.

ultimo horum versuum proximos quatuor illos Poëta subjecerat, quos Aristarchus inconsiderate voluit ejectos quam occupabant sede.

In his suavissimus senex suam quidem juvenis in amatore patre, patre tamen, irritando culpam fatetur; atque adeo sibi puellæque, quam pellicis loco Pater haberet, πραχθῆναι, quæ Theocriti Simæthæ (Eid. ii, 143) videbantur τὰ μέγιστα. Juvenile peccatum Poëta verbis quantum potuit imminuit aptissimis. Uxorem Amyntor ἀτιμάζεσκε· hæc, optimi juvenis mater, non tantum λισσέσκετο, sed filium αἰὲν λισσέσκετο γούνων· et quid adeo obsecrabat mater Phœnicem? non ut in eodem cum patre se inquinaret volutabro; non μιγῆναι, sed Παλλακίδι προμιγῆναι· antequam adeo senex, qui sibi pellicem destinaverat, cum ea rem habuisset: ἵν' ἐχθήρειε γέροντα. Eustathius veterum Criticorum exhibet observationem non ineptam, qua nititur quod dicebam de verbo προμιγῆναι· τὴν Κλυτίαν Ἀμύντωρ (p. 667, 3) οὔπω μὲν ἔγνω, καθὰ οἱ παλαιοὶ φασὶν, εἰς τοῦτο δὲ ἀνέτρεφε. διὸ οὐδὲ μιγῆναι φησὶν ὁ Φοῖνιξ τῇ παλλακίδι, ἀλλὰ προμιγῆναι, ἤτοι πρὸ ἐκείνου μιγῆναι, ἵνα ἐχθήρειε τὸν γέροντα. Matris, non injusta petentis, expugnatum se Phœnix fatetur precibus fecisse, quod illa tam cupienter cupierat:

Τῇ πιθόμην, καὶ ἔρεξα·

Hoc si peccatum erat in patrem, et πταῖσμα juvenile Phœ-

nicis, hominum ille more fecit; *πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες,* Jacobus inquit in Epist. iii, 2.

Ἄνθρωπος ὢν ἔπταικε·

Liceat mihi verba hic adhibere Comici veteris sensu diverso posita apud Stobæum p. 530, 9. ut vel hinc intelligantur Columnæ non intellecta Eustathii verba, de Euripidis Phœnice p. 667, 35, *καὶ Εὐριπίδης δὲ ἐν Φοίνικι ἄπταιστον* (sic vulgatur) *τὸν Ἥρωα συντηρεῖ.*

Sed valde notabilia sunt quæ hæc verba proxima præcedunt apud Eustathium. Ut præceptor Achillis vitiis etiam juvenilibus caruisse censeretur, Nyssæensis Aristodemus, Rhetor et Grammaticus, Homerea sic *μετέγραψεν*, ut dixisse videretur,

Τῇ οὐ πιθόμην οὐδ' ἔρεξα· sive potius, *οὐδ' ἔρξα.*

atque adeo negaret se fecisse, quod fatetur. Qui hoc tradit apud Eustathium Apion laudatores mutati versus Aristodemum ait invenisse: *εὐδοκιμήσας ἐτιμήθη, ὡς εὐσεβῆ ποιήσας τὸν Ἥρωα.* miror quod addit de Sosiphane, fortasse Tragico: *πρὸ δὲ αὐτοῦ Σωσιφάνης τὴν τοιαύτην εὗρε γραφήν.* minime miror ista: *καὶ Εὐριπίδης δὲ ἐν Φοίνικι ἄπταιστον τὸν Ἥρωα συντηρεῖ.* 'Euripides in Phœnice heroa suum servat sic lapsus et offensionis immunem,' ut nullius insimulari possit culpæ, atque adeo omni careat reprehensione: hæc mihi vocis *ἄπταιστος* isto loco vis esse videtur: Judæis Græciensibus, Sacrisque Scriptoribus nostris, quos tamen nominatim nusquam [1] memorat in suis ad Homerum commentariis Eusta-

1 Partim verum est, quod in Gnomolog. Homerica p. 278 scribit Jacobus Duportus: "Eustathius, — in tam vastis Commentariis (in Homerum) Sacros Scriptores raro admodum citat; Sacram Scripturam, quod scio, nunquam." — Illud ubi merito miratum Duportum dixerat J. A. Fabricius B. G. L. ii, c. iii, 10, quam hujus dat silentii vir eximius rationem vereor ut illis sit approbaturus, qui commentarios Eustathii legerunt. Per Sacros Scriptores, dum Sacram Scripturam distinguit, Duportus Ecclesiasticos voluit intellectos. Verissimum autem est, in tam vasto opere Homeri commentatorem, quo centenos laudat Scriptores Profanos, ne unicum quidem nominatim citasse Scriptorem Sacrum libri Novi Fœderis aut Antiqui; neque etiam nominatim ullum veterem Scriptorem Ecclesiasticum. Quinimo ne narrata quidem in libris nostris Sacris attigit, ubi commoda se præberet occasio. Hæc quamvis vera sint; parce quidem, nonnunquam tamen verba quædam profert de libris Sacris petita. Ex libris N.F. sunt quæ præbet in Il. Γ, p. 289, 39 [*κονιάω — ἐξ οὗ*] *τοῖχος κεκονιαμένος.* in Il. E, p. 443, 33 [*ὁποῖον καὶ τὸ,*] *βάλε σεαυτὸν κάτω.* Antiqui Fœderis loca quædam obscurius designata reperientur in Hom. Il. B, p. 178, 48. p. 234, 21, *τὸ αἷμα σταφυλῆς τὸν οἶνον λέγειν, ἐντεῦθεν ἤρτηται.* Il. Γ . . . . *φῶς ἀναβαλέσθαι ἱματίου δίκην.* [Psalmi ciii, 2, verba

thius, supra captum sæculi sui perdoctus ille antiquitatis admirator, Judæis, inquam, Græce loquentibus· ἄπταιστοι sunt pæne iidem qui dicuntur illis ἀπρόσκοποι, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχοντες· et μηδενὶ σκανδάλου ἀφορμὴν παρέχοντες. In Epistola Judæ §. 24, φυλάξαι ἀπταίστως· Vulgatus reddidit 'conservare sine peccato:' huc spectat in Glossario Gr. Lat. Ἄπταιστος, 'impeccatus,' 'irreprehensibilis.' Qui sub nomine Xenophontis Agesilaum laudavit, talem illum finxit. In Ed. Hutchinsoni p. 80, ἀναμάρτητος, inquit, ἐτελεύτησε, quem Xenophon in Hellenicis ut virum egregium miratus, hominis tamen atque Imperatoris peccata commemorare non prætermisit: ut unum de multis attingam, vid. Ἑλλ. L. v, p. 333, 29, quæque illic sequuntur et p. 334.

Talem quoque fecit in hoc suo dramate Phœnicem Amyntoriden Euripides, non qualem se Homeri senex juvenem fuisse fatebatur, juvenilia passum atque ἀνθρώπινα ἁμαρτόντα. Habuit hac etiam in re probabiliter Euripides Pherecyden, aut Hellanicum, vel Pisandrum, vel Epicum ex Cyclo, quem imitaretur; neque ab Aristophane, nec ab aliis propterea reprehensus. Τὸν ἄπταιστον, Phœnicem, opinor, Euripidis ipsum, audiamus Ennii verbis loquentem, servatis ex hujus Phœnice A. Gellio N. A. vii, c. 17.

Sed virum vera virtute vivere animatum addecet;
Fortiterque cum vacare adversus adversarios:
Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat;
Aliæ res obnoxiosæ nocte in obscura latent.

proferuntur et in Schol. ad Theocrit. vi, 21.] Il. Z, p. 486, 20, ὁ ὡς ἄνθος ἀγροῦ θάλλειν γνωματεύων τὰ ἡμέτερα. in Il. I, p. 693, 33, ὡς ἐν τῷ, σελήνην καὶ ἀστέρας, ἃ σὺ ἐθεμελίωσας· eadem ex Ps. viii, 4, præbet in Il. Ξ, p. 977, 28. in Il. Φ, p. 1342, 36. ὡς ἐν τῷ, ἀνῆκεν ἡ γῆ βοτάνας, ex Genes. i, 12. Libri Jobi Scriptor ipsi dici videtur in Il. Φ, p. 1316, 30, τὶς τῶν θείων καὶ πάνυ μεγάλων, qui ἐν οἰκείῳ λόγῳ meminerit Σειρίου καὶ Ὠρίωνος. et designari Jobi xxxviii, 31, ubi nostris in libris Græcis Πλειάδος fit et Ὠρίωνος mentio.—Sed disciplinæ, quam vir eruditissimus profitebatur, alia quoque in istis ad Homerum commentariis quædam indicia reperientur in Il. A, p. 86, 13. p. 94, 40. Δ, p. 357, 3. Θ, p. 595, 30. M, p. 867, 18. in Odyss. Θ, p. 323, 11. I, p. 340, 4. Λ, p. 416, 37. In Il. A, p. 73, 25, οἱ τῆς ἡμετέρας, ait, θείας αὐλῆς Μέροπας τοὺς ἀνθρώπους ἐπικληθῆναι φασὶν ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ — τῆς ὀπὸς, ἣν ἔπαθον μετὰ τὸν τῆς Χαλάνης πύργον, διαμερισθέντες ἁπανταχοῦ τῆς γῆς. hunc tamen locum observatum quoque Duporto fuisse liquet ex ipsius in Theophr. Prælect. p. 225. Qui dicitur ipsi in Od. x, p. 785, 15, σοφὸς πάμμεγας καὶ ἱερὸς, Gregorius est Nazianzi Episcopus, cujus ex altera in Julianum Oratione verba cum Eustathianis attulit P. Leopardus Emend. x, c. ix, f. Sed Imperatoris ille Juliani scripta libentius legit quam Gregorii; certe sæpius ipsi citatur Julianus, semper tamen, opinor, appellatione, qua οἱ τῆς θείας αὐλῆς fuerant usi, τοῦ παραβάτου.

Hos quoque versus ex Phœnice, Columnæ collectos et Scriverio, ipsius arbitror herois esse Phœnicis, atque ex eadem oratione:

Sæviter suspicionem ferre falsam, futilum est.

Ut quod factum est futile, amici, nos feramus fortiter.

Plus miser sim, si scelestim faxim: quod dicam fore—

Ultimi trochaici pendet a perditis sententia: fac amicos, quos ex Homero quoque liquet habuisse juvenem fidelissimos, auctores ipsi fuisse, ut quomodocunque vindictam de patre sumeret injusto: respondere potuit:

Plus miser sim, si scelestim faxim,

Innoxium pater ira cœcus cœcaverat: fortiter tulit calamitatem:

Ut quod factum est futile, amici, nos feramus fortiter.

'Falsam suspicionem' non ille 'sæviter,' sed tulit, ut,

qui pectus purum et firmum gestitat,

atque adeo velut *ἄπταιστος*.

Nihil est horum, quod non scenæ conveniat Euripidis, eundem in hac historia secuti, quem Apollodorus iii, p. 191, ubi *Φοῖνιξ*, inquit, *ὁ Ἀμύντορος* —— *ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐτυφλώθη, καταψευσαμένης* (*αὐτοῦ* videtur inserendum) *φθορὰν Κλυτίας τῆς τοῦ πατρὸς παλλακίδος*. illic etiam oculorum aciem Phœnici dicitur restituisse Chiron; et 'sanavit,' ipso Propertio teste,

Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.

2 El. 1, 62. Sed hoc nihil ad Euripideum hujus diei Phœnicem, qui, jam exul abiturus ab injusto patre, ut erat, veste lacera cœcus in scenam prodiit: Euripides Aristophanis, *Ἀχ.* v. 417, 420. *Τὰ ποῖα τρύχη;* —— *Τὰ τοῦ τυφλοῦ Φοίνικος*; absurdum est Joannis Tzetzæ commentum ad Lycophr. Alex. in v. 421,

Τὸν πατρὶ πλεῖστον ἐστυγημένον βροτῶν.

Ne ceteros nominem; Homeri Phœnici, qui culpam juvenilem confitetur senex, pater diras fuerat imprecatus. Euripidis Phœnix, prorsus insons et ἄπταιστος, ob falsam suspicionem ab Amyntore patre fuit excœcatus: ob pœnam, quam memorat Homericam, nihil est cur censeremus de Phœnice dicta in Or. xxvii, p. 362. c. d. Themistium ex Euripidis perdita sumsisse Tragœdia: non is unicus est error Jo. Harduini in istum Themistii locum. Periit Hippolytus 'Credulitate patris, sceleratæ fraude novercæ.' Eadem sæpe fuit mutatis nominibus fabula. Pellex Amyntoris, a Phœnice juvene secundum Euripidem passa repulsam, credulum senem falsis facile criminibus impulit, ut castum juvenem cœcaret.—Pellex hoc in dramate quomodo dicta sit, ista monstrant Hesychii: Ἀμνήστευτος γυνὴ, ἡ παλλακή. Εὐριπίδης Φοίνικι. hinc nonnihil diversa, quæ Sophoclis ex Phœnice, multo rarius laudato dramate, memoratur Φορβὰς γυνὴ, Eustathio in Hom. Il. *Π*, p. 1117, 12.

In Ἀνάγυρον κινεῖν, et in Ἀναγυράσιος δαίμων, alia narrant Parœmiographi: nova quædam traduntur ex Ms. Cod. Biblioth. Coislin. p. 604, N°. 6. sed qui fecit ista Latina non intellexit Græcam phrasin αἰτίαν ἔχοντα ἐξυβρίζειν· 'parvamque insulam sterilem,' λυπρὸν νησίδιον, convertit in insulam Lypron, omnibus aliis inauditam. Solus Suidas in Ἀναγυράσιος testem laudans idoneum egregia nobis tradidit, atque ad Phœnicis Euripidei argumentum demonstrandum utilissima: memoratur illic etiam Ἀνάγυρος ἥρως, cujus nomen pro ἄνθρωπος (ἀνος) ἥρως reddi poterit Zenobio Cent. ii, Pr. 55. Istius Anagyri rusticus ex isto demo dicitur lucum violasse, qui propterea, ut erant heroës isti facile irritabiles, τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐπέμηνε τὴν παλλακήν· ἥτις, μὴ δυναμένη συμπεῖσαι τὸν παῖδα, διέβαλεν ὡς ἀσελγῆ τῷ πατρί. ὁ δὲ, inquit, ἐπήρωσεν αὐτὸν καὶ ἐγκατῳκοδόμησεν. ἐπὶ τούτοις καὶ ὁ πατὴρ ἑαυτὸν ἀνήρτησεν· ἡ δὲ παλλακὴ εἰς φρέαρ ἑαυτὴν ἔῤῥιψεν. his ista subdit Suidas: Ἱστορεῖ δὲ Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ Τραγῳδοποιῶν, ἀπεικάζων τούτοις τὸν Εὐριπίδου Φοίνικα. In his ἐγκατῳκοδόμησεν, id est, καθεῖρξεν εἰς οἴκημα, Erasmo non intellectum, transumsit Hieronymus ab Æschine contra Timarch. p. 26, 7, (Ed. Taylori p. 78, 3.) crudelissimum Atheniensis Hippomenis

innominati facinus narrante: Kustero notata dedit et plura H. Vales. in Harpocr. p. 106. conf. Duker. in Thucyd. p. 216, 217. Cui sua Suidas debet, Hieronymum si quis aliunde habet incognitum, ut habebat Erasmus in Adag. 'Anagyrum commoves,' adeat Jo. Jonsium de Script. Hist. Phil. ii. c. 3, §. 6.

Nulla remanebit amplius super Euripidis Phœnice dubitatio, hæc ubi fuerint Oratoris Æschinis rite spectata ex eadem Orat. c. Tim. p. 21, Ed. Cl. Taylori p. 66. Primum illic de virtutis amore duo versus exhibet Euripidis (ex ejus Œdipo petitos) qui dicitur ipsi *οὐθενὸς ἧττον σοφὸς τῶν ποιητῶν.* Paulo post, *πάλιν,* inquit, *ὁ αὐτὸς ποιητὴς ἐν τῷ Φοίνικι ἀποφαίνεται* (infra legitur recte, v. 43, *γνώμας—ἀποφαίνεται·* hic requiri videtur, *φαίνεται—ἀπολογούμενος·*) *ὑπὲρ τῆς γεγενημένης αὐτῷ πρὸς τὸν πατέρα διαβολῆς ἀπολογούμενος, καὶ ἀπεθίζων τοὺς ἀνθρώπους μὴ ἐξ ὑποψίας μηδὲ ἐκ διαβολῆς ἀλλ' ἐκ τοῦ βίου τὰς κρίσεις ποιεῖσθαι.* Sequuntur tum novem versus Euripidis, in dramate ab amico pro Phœnice dicti, quos, una alterave voce mutata, hic etiam ponam:

Ἤδη δὲ πολλῶν ᾑρέθην λόγων κριτής,
Καὶ πόλλ', ἁμιλληθέντα μαρτύρων ὕπο,
Ἐναντί' ἔγνων, συμφορᾶς μιᾶς ὕπερ·
Κᾀγὼ μὲν οὕτω, χ' ᾥστις ἔστ' ἀνὴρ σοφὸς,
Λογίζομαι τἀληθὲς, εἰς ἀνδρὸς φύσιν
Σκοπῶν, δίαιταν ἥντιν' ἐμπορεύεται.
Ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ,
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γινώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐσθ' οἷοισπερ ἥδεται ξυνών.

Latina sunt Grotii, propter quæ Barnesii laudat sagacitatem Clar. Jo. Taylor in Æschin. p. 104. Versu tertio vulgatur *Τἀναντί' ἔγνων σ. μ. πέρι* vel *πάρα·* sequenti, *οὕτως, ὅστις·* *χ' ᾥστις* est in Ione v. 786. Æschini respondens Demosthenes Or. de Falsa Legat. *Τὰ ἰαμβεῖα ἐκ Φοίνικος Εὐριπίδου,* tres saltem ultimos ex istis versibus acriter in adversarium retorquet p. 252; adhibitos Diodor. Sic. xii, c. xiv, ad Charondæ quam dicebat *κακομιλίας δίκην.* Præter Plinium

iv Epist. 27, laudatum Gatakero in Antonin. iii, 4, ultima transtulit in contrarium sensum Libanius Epist. 430, Ὅστις γὰρ ὁμιλῶν Εὐριπίδῃ ἥδεται· scripsisse videtur: Ὅστις δ' ὁμιλῶν (κατ' Εὐριπίδην) ἥδεται Θεμιστίῳ, Οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι τοῦ ζῆν ὡς ἄριστα ποιεῖται λόγον.

Quæ cum istis novem versibus posuit in Exc. e Phœnice Grotius p. 415 versum efficiunt trochaicum:

Τἀφανῆ τεκμηρίοισιν εἰκότως ἁλίσκεται.

Clemens ista servavit Alexandr. et similis sententiæ multa Strom. vi, p. 747, 4. a Clemente sumsit cum vicinis Theodoretus Therap. vi, in fine: sed apud hunc perperam scribitur, ἐν Φοινίσσαις· ubi vulgari debebat ἐν Φοίνικι. sic loco ex Phœnice, quem dat Stobæus p. 222, 39, in Codice Ms. Leid. ascribitur, Εὐριπίδου Φοινίσσαις.

Quæ versibus ab Æschine custoditis subjecta sunt in Editione Barnesii:

Ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος·
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πόλις:

nihil habebat causæ Barnesius cur huc referret. In Grotii Stobæo Tit. xl, p. 158, loco subjiciuntur ex Euripidis Phœnissis; in Stobæo Gesn. p. 234, 39, versus isti duo leguntur a Musonio laudati. Sententia, quæ potuit et in Phœnice locum invenire, Philosophis placuit et Poëtis: vid. Gataker. in M. Antonin. vi, 44. Eleganter Athenienses ætate Themistoclis πατρίδα dicuntur τὴν ἐλευθερίαν νομίσαντες, Isocrati in Archid. p. 124. D. Patriam esse reputantes, ubicunque bene sit, μὴ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὑτοῖς ἡγεῖσθαι, Lysiæ dicuntur in Orat. xxxi, p. 487. b. explanavit Lysiæ mentem eleganter M. A. Muretus V. L. ii, c. 3.

In istis ex Euripidis Phœnice Stobæi Gesn. p. 226, 31, Grot. p. 155,

Σὺ δ' ὦ πατρῴα χθὼν ἐμὴ γεννητόρων,

tormento forte quodam adhibito defendi poterit ἐμή· mihi leve vitium videtur sic corrigendum, ut scribatur:

Σὺ δ' ὦ πατρῴα χθὼν ἐμῶν γεννητόρων
Χαῖρ'· ἀνδρὶ γάρ τοι, κᾂν ὑπερβάλλῃ κακοῖς,
Οὐκ ἔστι τοῦ θρέψαντος ἥδιον πέδον.

et, ne dubitemus, ex Cod. Paris. Ms. *ἐμῶν* enotavit in margine libri sui Grotius, quem servat Bibl. Lugd. Bat.

In senem amatorem et suspicacem Amyntora dici potuit in Phœnice versus e Stobæo Gesn. 592, 17,

Ὦ γῆρας, οἷον τοῖς ἔχουσιν εἶ κακόν.

ubi scribi poterit et *τοῖς σ' ἔχουσιν*, ut placebat Marklando in Suppl. v. 1108.

Occasione pessimæ pellicis, cujus fraudulenta libidine Phœnix a patre fuit oculorum lumine privatus, potuit osor mulierum Euripides ingenio suo morem gerere; atque in ista oratione versum etiam collocare, quem habet ex illius Phœnice Stobæus Gesn. p. 434, 26, paulo aliter scriptum quam Grot. p. 312, et forte rectius,

Γυνή τε πάντως ἀγριώτατον κακόν.

qualia multa dixit in mulieres præter ceteros *ὁ μισογύνης* Euripidis Hippolytus; cui dramati simillimum fuit quod ad rei summam Phœnicis argumentum: bene proinde junguntur Arriano Diss. Epict. i, c. 28, p. 149, *ποία τραγῳδία ἄλλην ἀρχὴν ἔχει;—Φοῖνιξ* [*τί ἐστι;*] *τὸ φαινόμενον. Ἱππόλυτος; τὸ φαινόμενον.*

Mirarer, cum toties pudicus laudetur Hippolytus, tam raram Euripidei factam Phœnicis mentionem, nisi dixisset apud Homerum:

Τῇ πιθόμην, καὶ ἔρεξα·

atque in his etiam prævalere debuerit omnibus aliorum narrationibus auctoritas Homeri.

Sed non erant omnino versus hic a me prætermittendi, quos ex Phœnice petitos quatuor continuos exhibet Editio Barnesii. Sub titulo Stobæi, *Ὅτι ἐν τοῖς γάμοις τὰς τῶν συναπτομένων ἡλικίας χρὴ σκοπεῖν*, primum p. 429, Grot. p. 293, tres versus isti locantur ut ex Eurip. Phœnice; quos valde

vitiatos reliquit Grotius, quales invenerat in Edd. et Codd. Mss.

Μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα
Δίδωσιν ὅστις, οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ.
Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

sub finem Tituli versus legitur itidem ex Phœnice:

Πικρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ.

Senex maritus fœminæ ingratissimus.

Talis in hoc dramate pellici juvenculæ videri debuit Amyntor, Phœnicis etiam juvenis amore percussæ secundum Euripidem. Neque ignorabat Homerica materfamilias Hippodamia, suum vetulum despicatui futurum pellici, 'tauri ruentis in Venerem' si semel illa 'pondus' tolerasset; idcirco filium orabat juvenem Phœnicem,

Παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα.

ad quem versum Eustathius in Il. *I*, p. 667, 1, *ἀφίσταται γὰρ*, inquit, *γέροντος νέα γυνὴ, πειραθεῖσα ἡβῶντος* (et *σφριγῶντος*) *ἀνδρός*.

Γυναικί τ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ,

Euripidis ex Danaë versus iste legitur ibidem apud Stobæum; alterum ex Phœnice, voce mutata, transsumsit in perditam nobis comœdiam Aristophanes, si hujus est versus,

Αἰσχρὸν νέᾳ γυναικὶ πρεσβύτης ἀνήρ,

ut esse dicitur Clementi Alex. Strom. vi, p. 747, 12; qui Theognidis sententiam nobilem v. 458—460, multo rectius, quod fecit Athenæus xiii, p. 560 A, et hunc secutus Jo. Taylor Lect. Lys. c. 2, comparasset cum Theophili Comici versibus ex Neoptolemo, qui quidem ex Theognideis accurate sunt expressi:

Οὐ σύμφορον νέα 'στὶ πρεσβύτῃ γυνή.
Ὥσπερ γὰρ ἄκατος οὐδὲ μικρὸν πείθεται

Ἐνὶ πηδαλίῳ· τὸ πεῖσμ' ἀποῤῥήξασα δὲ
Ἐκ νυκτὸς ἕτερον λιμέν' ἔχουσ' ἐξευρέθη.

in συμφέρον literam mutavi; vocemque τὸ πεῖσμ', in τὰ δέσμ' immutatam Grotio p. 707, restitui.

Sed quid reliquis versibus faciemus velut ex Phœnice prolatis? Primi sententia, si separetur a reliquis, in universum sumta, falsa est; nec cum vicinis jungi potest. τέκνα Δίδωσιν ὅστις absurdum est. Laudo Heathium, qui monuerit primum a reliquis separandum: in altero pro Δίδωσιν corrigere tentat Δείλαιος· huic ille pro suo candore meam anteponet conjecturam legentis ex literarum ductu (nam [1] ΙΔ et Μ sæpe fefellere librarios, ἐστιν uno ductu scribentes,) Δμώς ἐστιν, ὅστις—

Primo versui de tribus hanc restituo sententiam:

Μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ νέα [Γυνὴ]

ex τῇ νέα ubi natum esset τέκνα, versus alterius omitti debuit initium. Sequentis loci, qui potuit alibi in Phœnice poni, hæc mihi scriptio pro Δίδωσιν legitima videtur:

Δμώς ἐστιν, ὅστις οὐκ ἔθ' ὡραῖος γαμεῖ·
Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

horum versuum secundus ut Euripidis legitur in Aristoph. Thesm. 420. Hujus 'dominæ' meus ille Δμὼς apte, ni fallor, respondet. Vox est Homerica Δμώς, non illa tamen evitata Xenophonti, neque Tragicis; in Euripidis una quoque Tragœdia Electra sæpe repetita vss. 628, 631, 799, 814, 822, 844, 851, 960. Δμωΐς legitur in Euripideis, quæ nusquam alibi reperiri suspicor, quam in Alexandri Rhetoris libello (p. 28,) sic fere emendata Laur. Normanno p. 175.

1 Literæ ΙΔ. ΔΙ. ΛΙ. et Μ. a librariis permutatæ, frequenter errores pepererunt: in verbis Perictiones apud Stobæum p. 487, 48, pro ἠμφιᾶσθαι εἵματα, male vulgatur ἢ διαφᾶσθαι εἵματα. ut alterius generis quid adjiciam, legitur in Evangelio Marci viii, 1. vox παμπόλλου· Græcis quidem πάμπολυς adhibetur; sed nusquam alibi cum occurrat in N. F. aut in Antiqui Fœderis Alex. Vers. Codicum Mss. lectio, πάλιν πολλοῦ ὄχλου ὄντος, caput Marci vi, 34, comparanti fortasse genuina videbitur.

Ἀλλ' ἥδε μ' ἐξέσωσεν· ἔστι δέ μοι τροφὸς,
Μήτηρ, ἀδελφὴ, δμωῒς, ἄγκυρα, στέγη.

Commodum recordor, in hoc ipso dramate, Phœnice, vocem adhibitam Euripidi: hæc nobis valde vitiata (quod multis evenit in isto libello Tragœdiarum fragmentis) prostant in Erotiani Lexico Hippocrat. *Διϊπετὴς ὁ γόνος*] *Ἀντὶ τοῦ διαυγὴς καὶ καθαρός. ὡς καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοίνικι,* (sic Clar. Jo. Alberti ad Hesych. i, p. 993, 3,) *λέγων, Δμωσὶ δ' ἐμοῖσιν εἶπον ὡς ταυτηρίαις πυρίδες καὶ διηπέτη κτεῖναι.* Quando per duo secula nihil opis allatum est ex Codicibus, et *φαγέδαιναν* licet medicis *ἀποκόψαι·* in hoc quoque cancro vix medicabili licebit adhibere medicinam periculosam. Quid si dixerit Amyntor in Phœnice?

Δμωσὶν δ' ἐμοῖσιν εἶπον, ὡς καυτήρια
Ἐς πῦρ ἔδει καὶ [ταῦτα] δὴ διϊπετῆ
Θεῖναι.

Voluitne ferro candente oculos exurere filio sævus ille senex furiis amoris accensus? quo cœcatus mulieri servæ Rex tum temporis 'ancillabatur' Amyntor, *Ὁ τῆς γυναικὸς* (vid. Eurip. Elec. v. 931) velut *Δμώς,*—ut Comico 'Titinnio dotibus deleniti' dicebantur 'uxoribus ancillari,' præsertim si vetulis nupserant mulieribus; *Ἢν γὰρ, πένης ὢν,* nempe *γαμῇ,* secundum Comicum Anaxandriden apud Stobæum p. 419, 26,

Ἢν γὰρ, πένης ὢν, τὴν γυναῖκα, χρήματα
Λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι,
Ἧς ἐστι δοῦλος.

Eadem est ex Euripidis Melanippe sententia. Ex ejus Phaëthonte quæ veteres Homeri dederant interpretes ista nobis servavit Eustathius in Od. *N*, p. 502, 33,

Ἐλεύθερος δ' ὢν δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους,
Πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φερνῆς ἔχων.

Ultima non intellecta latent apud Plutarchum T. ii, p. 498. A. Veterum sapientum simillima prostant ea de re monita Cleobuli, Pittaci, Ocelli Lucani, Callicratidæ, ce-

terorumque: Callicratidæ Laconis ista: *ἁ τῷ πλούτῳ καὶ τῷ γένει καθυπερέχοισα τἀνδρὸς ἄρχειν προαιρέεται·* addit Ocellus, *παρὰ τὸν τᾶς φύσιος νόμον.* Ad ultima Euripidea videbuntur aptiora Plautini verba Megadori Aulul. iii, v, 60,

> Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri:
> Dotatæ mactant et malo et damno viros.

sed et hinc nostra distant ex Phœnice:

> *Δμῶς ἐστιν, ὅστις οὐκ ἔθ' ὡραῖος γαμεῖ·*
> *Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.*

Ut ut autem hæc vera sint, et severa legantur in istiusmodi nuptias dicta, ex. gr. Plutarchi in Solone p. 89. D. E. minime tamen absurdum erat Dei Delphici consilium Ergino datum, seni cœlibi, *Παιδῶν τ' ἐραστῇ*, quo sensu se fuisse dicebat Iphis in Eurip. Suppl. v. 1088. Consilium illud divinum, præter Pausan. ix, p. 785, nobis exhibet Œnomaus Eusebii, Præp. Evang. v, p. 215, his suavissimis versibus expressum:

> *Ἐργῖνε Κλυμένοιο πάϊ Πρεσβωνιάδαο,*
> *Ὀψ' ἦλθες γενεὴν διζήμενος, ἀλλὰ καὶ ἔμπης*
> *Ἱστοβοῆϊ γέροντι νέαν ποτίβαλλε κορώνην.*

Œnomaus infrequens ille Deorum cultor, nimis pæne severe, ore suo liberrimo, *Γέροντι*, inquit, *νέαν συνοικεῖν* (imo *συνοικίζειν*,) *εἰ παίδων ἐπιθυμεῖ, οὐ μάντεως οὐδὲ τοῦτο, ἀλλὰ φύσιν ἐπισταμένου.* quasi vero non multa Dii hominesque dederint divini, quæ absque ope cœlesti 'fruges consumere nati' forsan adinvenissent. Cujuscunque sint isti versus Poëtæ, Delphico sacrario inservientis; istiusmodi ingeniorum, ut habemus nonnulla, vellem plurima ad nos oracula pervenissent. Probabiliter Deum ille suum 'virilitatem' et 'mulieris naturam' facit nominibus designantem non ex humana petitis dialecto, sed quibus eam in rem nemo mortalium, tametsi multa sanequam excogitaverint, ante fuisset usus, tanquam ex Deorum dialecto; quam ab humana diversam multis docet exemplis Diogenes Dionis Chrys. p. 149, et noveramus ex testimoniis Homeri, Pherecydæ, Epicharmi,

Sannyrionis, Philoxeni, Platonis, aliorumque, quorum primus ut multa sic sibi quoque licere credidit *Διαστὶ διαλέγεσθαι*, ut scribit Dion p. 157, B. sed si, *Διαστὶ* locuta, interpres Apollinis Delphici versum dederit,

Ἱστοβοῆϊ γέροντι νέαν ποτίβαλλε κορώνην,

dolendum est voces divinas tam diu turpiter latuisse depravatas in his apud Diogenianum Cent. ii, Prov. 72, *Ἀεὶ γέροντι νέαν ἐπιβάλλειν κούρην*] *Τοῖς πρεσβυτέροις νέαν συνευνάζειν.* Illinc in Suidæ Lexicon corrupta transierunt; ad veram rationem nostri versus redintegrata jam dudum in Epist. Critica ii, p. 67, ab amicissimo D. Ruhnkenio.

GRÆCÆ TRAGŒDIÆ PRINCIPUM,

ÆSCHYLI, SOPHOCLIS, EURIPIDIS,

NUM EA, QUÆ SUPERSUNT, ET GENUINA OMNIA SINT, ET FORMA PRIMITIVA SERVATA, AN EORUM FAMILIIS ALIQUID DEBEAT EX IIS TRIBUI.

SCRIPSIT

AUGUSTUS BOECKHIUS,

PROFESSOR HEIDELBERGENSIS.

CAPITA EXCERPTA QUÆDAM.

AUGUSTUS BOECKHIUS

DE

TRAGICIS GRÆCIS.

CAPUT IV.

Eumenides Æschyli iterum data. Quando primum in scena commissa sit. Diminutio chori quando lege sancita. Num mulieres Athenis tragœdias spectaverint. Utram Eumenidum habeamus editionem.

INDAGANTI mihi, num in iis, quæ supersunt, Æschyli tragœdiis ulla sit, quam repetito productam dicere possim, oblata est Eumenides fabula: de qua quid invenerim, ordine exponam: et spero effecturum me, ut primum Athenis ab ipso, posthac ibidem ab alio credatur docta esse. Acta est Æschyli tetralogia Orestia (Aristoph. Ran. 1155. et ibi Schol.), Agamemno, Choëphori, Eumenides, Proteus satyrica, Philocle Archonte Ol. LXXX, 2. Veteres didascaliæ Argum. Agam. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Ἄρχοντος Φιλοκλέους, Ὀλυμπιάδι εἰκοστῇ ὀγδόῃ (voluit ὀγδοηκοστῇ) ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ. Hinc Scaliger in Olymp. descript. Cf. Casaub. de Satyr. Poes. i, 5, p. 172. Petit. Legg. Att. p. 67. Primus fuit Æschylus, aiunt; hoc ne intelligas, 'primus commisit;' est potius, 'vicit, primas retulit,' πρωτεῖα ἔλαβεν. Ælian. V. H. ii, 8, Ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης· καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ὅστις ποτὲ οὗτός ἐστιν, Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι σατυρικῷ· τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Παλαμήδει καὶ Τρωάσι καὶ Σισύφῳ σατυρικῷ. γελοῖον δὲ, οὐ γάρ; Εὐριπίδην μὲν ἡττᾶσθαι, Ξενοκλέα δὲ νικᾶν, καὶ ταῦτα τοιούτοις δράμασιν. Vicit Hippolytus, quæ superest, Euripidis: de ea Argum. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἀμείνονος Ἄρχοντος Ὀλυμπιάδι πζ' ἔτει δ'. πρῶτος Εὐριπίδης, δεύτερος Ἰοφῶν, τρίτος Ἴων.

Argum. Aristoph. Ran. *Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα, Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις, Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι.* Argum. Eqq. *Πρῶτος ἐνίκα ('Αριστοφάνης), δεύτερος Κρατῖνος Σατύροις, τρίτος 'Αριστομένης 'Ολοφύροις.* Argum. Vesp. *Καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης προάγων, Γλαύκων Πρέσβεσι τρίτος.* Ita, qui didascalias perreptare velit, omnibus locis reperiet: minus usitatum est, quod *δευτερεῖα* victoriam vocat Auctor Argum. vi, Nub. Aristoph. p. 7, ed. Herm. *τριτεῖα* ignobilia, quæ et Sophocles nunquam accepit, teste vitæ Auctore, licet *δευτερεῖα* aliquoties, cujus rei exemplum habes Argum. Eurip. Med. Verum hæc sunt nota et a plurimis recte intellecta, ut a Barnesio Vit. Eurip. p. 25, ed. Beck. Barthelemio Anachars. T. vii, p. 251. Bip. etc. Nunc modo demonstrare possim, Eumenidas semel in scena non stetisse, jam concedendum erit, bis editam esse. Auctor vitæ Æschyli: *Τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὥστε τὰ μὲν νήπια ἐκψύξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι*: eareqve dicit in Siciliam profectum. Simile narrat Pollux iv, 15, *Τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντων συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Tum cum fierent hæc, non potest fabula stetisse: ergo, sint modo vera illa, necesse est iterum producta sit. Et plures sunt iique egregii viri, qui nugas hic a grammaticis narrari non modo sibi sed aliis persuaserint: tamen magis opinionibus suis, quam argumentis testimonia infirmant; nulla est objectio, vicisse Æschylum cum doceret Eumenidas: nam altera vice stetisse, altera potest cecidisse: graviora opposuit Böttigerus libro vernacula scripto, de Furiarum Persona p. 3. sed ne is quidem talia, quæ fidem veterum infringant. Nam et falso commentus est mulieres Athenis tragœdias non spectasse, quod qui credere nolet, adeat is Platonem nostrum Gorg. p. 502. D. ubi tragœdiam vocat *ῥητορικήν τινα πρὸς δῆμον τοιοῦτον οἷον παίδων τε ὁμοῦ καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν καὶ δούλων καὶ ἐλευθέρων*, ac præterea Legg. ii, p. 658. D. vii, p. 817. C. quibus locis omnis ista ratio exploditur: et comparationibus utitur talibus, quibus, ut diversissima conferre solet ingeniosissime, non omnes non diffisuri fuerint; neutiquam

fidem ea narratio superat, dum reputes, non metu solo spectatarum e longinquo furiarum, sed facto inde tumultu atque hominum compressione accidisse tam ſunesta, quemadmodum et his temporibus theatrorum incendio exorto fieri videmus. Inde est illud ap. Suid. v. *Αἰσχύλος* : *Φυγὼν δὲ ἐπὶ Σικελίαν διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἴκρια ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ* : quæ verba non significant, quod putabat Jos. Scaliger et Stanleius ad Æschyl. T. ii, p. 711, ‘victoria eum excidisse,’ quanquam et hoc factum contra Barnes. vit. Eurip. p. 25. contendo, sed ‘cecidisse tabulata caveæ.’ Suidas de Pratina : *Ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου συνέβη τὰ ἴκρια, ἐφ᾽ ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταὶ, πεσεῖν, καὶ ἐκ τούτου θέατρον ᾠκοδομήθη Ἀθηναίοις* (l. *Ἀθήνῃσιν*). Ad hoc cf. Schol. Aristoph. Thesm. 402. Hesych. et Suid. v. *ἴκρια*. Factum pono circiter Ol. LXX. cum Böttigero Prolus. de Quat. Ætat. Rei Scen. quod ex Suida fit verisimile: sed etiam posthac tabulata in theatro fuerunt, auctore Aristoph. l. c. Quibus accedit hoc. Æschylum novimus reum factum impietatis ex Ælian. V. H. v, 19. id quod Musgravius in utilissima collectione sed parum accurata, Chronol. scenic. T. iii, p. 6, ed. Eurip. Lips. refert ad idem tempus, quo propter Eumenidas in odium populi incurrit: quin ob hanc ipsam fabulam putat susceptam esse eam accusationem. Sane qui Atheniensium pronos ad lites movendas animos cognorit, Eumenidas hoc nomine accusari a quopiam potuisse non negabit; et fortasse ab hac impietatis actione non differunt ea, quæ proferuntur ab Aristot. Eth. Nicom. iii, 2. Eustratio ad h. l. et Clem. Alex. Stromm. ii, p. 387 coll. Meurs. Eleusin. c. XX.: multis sæpe capitibus causæ constiterunt, ut similis Socratis secundum Xenoph. Mem. i, 1, 2. et Platonis Apologiam : alii ob aliud intentam Æschylo litem dicunt; ii falluntur, qui conciliari ea non posse arbitrantur: et quis nescit, quam acerbe theatri violatam libertatem ulcisci soliti sint, vel ex nobili illa Phrynicho imposita multa? His igitur perpensis, cum conveniant omnia, quo fides habeatur grammaticis, semel Eumenidas non stetisse persuasum habeo. Itaque edita bis est: et vicit quidem Ol. LXXX, 2 : quærendum jam, quando exacta sit. Cum caderet, primum docta est: tum enim Æschylus Athenis

habitabat; at post Ol. LXXX, 2. dudum fuit in Sicilia: huc enim, si ulla scriptoribus est fides, ante Ol. LXXVIII, 2. concessit, quod demonstrabo capite sequenti. Jam nonnulli, teste Auctore vitæ, Æschylum post Eumenidas infelici successu actam venisse in Siciliam narrabant: *Ἐλθὼν τοίνυν* (post Eumenidum casum) *Σικελίαν Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος*, et quæ addit. Verum idem paulo ante: *Ἀπῆρε δὲ*, inquit, *εἰς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον, κατὰ τινὰς μὲν ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ, κ. τ. λ.* Accedit Plutarchus Cimon. p. 483. F. *Νικήσαντος τοῦ Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνῃσι διάγειν, εἶτ᾽ οἴχεσθαι δι᾽ ὀργὴν εἰς Σικελίαν.* Sophoclis victoria significatur, quæ contigit Ol. LXXVII, 4. de quo infra. Conciliatur utraque discrepans opinio, ubi ipsa Enmenidum commissione victum Æschylum statuas: quem, ut acrioris ingenii virum, non dissimile veri est hoc ægre tulisse, in summa præsertim, quæ tum fuit secundum Plutarchum, populi contentione. Dicas hac via diversissima posse conciliari: ut, quod post adversum cum Simonide certamen dicatur Æschylus Athenas reliquisse, potuisse me pari jure cum Eumenidum editione componere, si ex re mea fuisset, eam ut Ol. LXXIII, 1. assignarem, et ni sic apertus foret error. Ego vero tantum abest, ut in meum, quæ dixi, commodum vertere velim, ut etiam aliter esse posse largiar, licet maximam probabilitatem ea sententia habeat. Quæ si vera est, Eumenides acta primum Ol. LXXVII, 4: sin minus, certe ante poëtæ peregrinationem. Simul evincitur his rationibus, haud demum Ol. LXXX, 2. lege cautum fuisse, ne chorus esset ultra quinquaginta homines, quod suo tum jure putabat Petitus Legg. Att. p. 66. sed factum id aliquot ante annis. Jam autem semel cum displicuerit fabula, iterata editio retractata fuerit necesse est: certe chorus diminutus est: nec dubium quin et alia poëta novaverit; atque etsi tum in Sicilia fuit, (nisi redierit, de quo nihil proditum,) tamen et emendare ipse et emendatam transmittere Athenas potuit, ubi ederetur ab amico, aut, quod cap. iii. conjeci, a cognato, ut passim factum esse Aristophanis Dætalenses ostendunt: dudum Athenienses, apud

quos post obitum summo in honore esset, poterant rediisse in gratiam; neque enim erant eorum diuturnæ iræ: hodie trucidant Socratem, venerantur perendie. Nunc indagemus, utra supersit editio. In Agamemnone Æschyli chorus fuit personarum 15, teste Schol. Aristoph. Eqq. 586, *Συνεστήκει δὲ ὁ μὲν κωμικὸς (χορὸς) ἐξ ἀνδρῶν ἤδη καὶ γυναικῶν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἐκ παίδων κδ´, ὡς καὶ οὗτος ἀπηρίθμησεν ἐν Ὀρνίσιν, ἄῤῥενας μὲν ὄρνις ιβ´, θηλείας δὲ τοσαύτας· ὁ δὲ τραγικός ιε´, ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.* Ad hæc Petitus l. c. 'Neque idem tamen numerus usurpatus postea ab eodem Æschylo in constituendo choro:' (quippe in Eumenidibus majorem fuisse:) 'Agamemnonem autem,' inquit, 'in scenam produxit Æschylus ante Eumenidas, quanquam eodem anno.' Quid istuc est? Nempe scriptor putabat non uno eodemque die tetralogiam Orestiam peractam esse, sed diebus pluribus, immo diversis anni temporibus, quod licet etiam Lessingius, vir immortalis, videatur credere, Vit. Sophocl. p. 383. Opp. T. xiv, ex intellecto male Diog. L. iii, 35. (cf. Casaub. de Satyr. Poës. i, 5, p. 160.) haud minimæ est inscitiæ, nec absimile eorum hallucinationi, qui Terentiani Heautontimorumenου priores binos actus vespere datos dicunt, reliquos proximo mane. Potius ita res habet. Uno die exhibita est Orestia tota: itaque, si ante Eumenidum casum nunquam minor quam 50 personarum chorus prodierit, tum cum caderet Eumenides, non potest acta una cum ea fabula Agamemnone esse, quæ chorum minorem habuerit. Atqui superstes Agamemno ea ipsa est, quæ choro instructa fuit minus frequente 15 personarum, id quod didici ex amico egregie Hermannum invenisse e vss. 1336—1363. Relinquitur igitur alterutrum: aut ante datam Eumenidas tragœdiæ cœptæ sunt minore chori frequentia doceri, ipsa ut Agamemno hæc, tali choro 15 hominum produci potuerit eodem die una cum Eumenidibus frequentiorem chorum habente, pro poëtæ arbitrio; aut quæ ætatem tulit Agamemno, demum cum repetita Eumenidum recensione commissa erit Ol. LXXX, 2. Alterum hoc cum fuerit, probabiliter eandem, quæ cum superstite Agamemnone data sit, Eumenidum editionem, hoc est, alteram, superstitem dixeris atque adeo, quod volumus,

jam fuerit effectum. Verum est quod me commoveat, ut ante Eumenidas doctam minore choro distinctas fabulas prodiisse putem; sic concidit tota ratio. Nam primus Æschylus, inquit Aristoteles Poëtic. c. 4. *τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσεν*: ita vix dixisset, si lege coactus primum Æschylus hoc fecisset: quapropter jam ante latam eam censeo poëtam minuisse choreutarum numerum, nisi ubi multitudine vim et effectum dramati addere vellet, veluti in Eumenidibus, quo et Grammatici verba ducunt, *ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορόν*; donec, quod Pollux significare vult, populi decreto major ille numerus tandem interdictus tragicis est. Hac igitur via, priorne an posterior Eumenidum recensio supersit, cum discerni nequeat, age alia ingrediamur. In Erinnyum habitu utraque editio haud dubie plurimum discriminis habuit. Doctissimus et elegantissimus Böttigerus de Fur. Person. p. 48. sqq. in nostra Eumenidibus faces choro nullas fuisse demonstrat; has in priore commissione, cum truci aspectu tantopere consternati spectatores essent, non habuisse furias censes? Solebant tragicæ Erinnyes ardentibus tædis armari; ut Aristoph. Plut. 424,

A. Ἴσως Ἐρινύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας·
Βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.
B. Ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾷδας.
A. Οὐκοῦν κλαύσεται.

Ubi præter alia Schol. *Ἐπισκώπτει τὴν διὰ τῶν Ἐρινύων Αἰσχύλου ὑπόθεσιν. παρεισάγονται μετὰ λαμπάδων δεινοπαθοῦσαι.* Verisimillimum igitur videtur hoc: cum primum fabula committeretur, ne his quidem terroris instrumentis caruerunt Eumenides: iterata editione facibus usus non est, partim in populi gratiam, partim rationibus artis: sed recentiores Æschyleorum dramatum editores aliique tragici repetierunt tædas. Similiter Nubes Aristophanis comœdia in priore recensione faces habuit: in altera quod absint ipse laudat. V. Herm. Præf. p. 27. sqq. Hæc hactenus. Præterea, quod amicus monuit, fœdus factum cum Argivis memoratur vs. 281. sqq. ubi v. Schol. et cf. Thucyd. i, 102. idque incidit in Ol. LXXIX, $\frac{3}{4}$. V. Dodwell. Annal. Thu-

cyd. T. ii, p. 635, ed. Thucyd. Beck Et notante Musgravio (Chronol. scenic. p. 6, Eurip. Beck.) vss. 675—696. dedita opera laudes Areopagi celebrantur: quod tamen vir ille colligit inde, secundum ea quæ hactenus dicta sunt, probari neutiquam potest: at profecto respicitur minuta per Ephialten hujus judicii dignitas atque auctoritas (Diodor. xi, 77. et ibi Wesseling.), ut ingeniose ostendit Böttigerus l. c. p. 100. sqq. Hoc actum est Ol. LXXX, 1. Postremo in nostra fabula tres actores sunt: tertium autem Sophocles demum invenit, teste Aristotele Poëtic. c. 4, Thrasyllo ap. Diog. L. iii, 55. Suida v. Σοφοκλῆς, et Script. vit. Sophocl. igitur et Eumenides et Choëphori, quæ supersunt, dudum post Ol. LXXVII, 4. scriptæ, quo anno Sophocles docere cœpit, id quod et Dacierius vidit ineptissime refutatus a Bothio, negligentissimo homine, ad Sophocl. T. ii, p. 7. cujus imperitiam satius erit posthac silentio transmittere. Notes autem nostram Eumenidas non posse absque Choëphoris editam fuisse, quod huic fabulæ arctissime junctum est Eumenidum principium, nec apte intelligi poterat nisi ea prægressa. Quæ qui in unum collegerit, non ambiget, quin ipsa, quæ Ol. LXXX, 2. vicit, Eumenidum recensio ad nostram ætatem pervenerit.

CAPUT V.

De temporibus Æschyli, inprimis de Sicula profectione. Ejusdem Σικελισμός. De chronologia dramatum suorum Alia nonnulla de Æschyli fabularum historia.

EORUM, quæ capite præcedenti exposui, cum aliquid nitatur haud prorsus vulgari sententia de anno suscepti in Siciliam Æschyli itineris, haud abs re fore duxi, si ad mea tuenda adjicerem accuratiorem, quæ mihi quidem videretur, explicationem. Ejus rei gratia vitæ termini primum constituendi sunt. Natales poëtæ quem in annum incidant, magna inter doctos est lis. Si Musgravium audimus Chro-

nologiæ scenicæ p. 5. tempore Salaminiæ pugnæ Ol. LXXV, 1. annos habuit circiter 40, ut natus esset Ol. LXV, 1. primum quod secundum vitæ Scriptorem Pindaro *συνεχρόνισε*, Pindarum autem hoc ipso anno natum statuunt: secundum quod idem Grammaticus tradat, eum 62 annos habuisse, cum migraret in Siciliam: hoc autem factum esse post actam Eumenidas, id est, post Ol. LXXX, 2. Poterat etiam hoc addere. E vita exiit Æschylus secundum Grammaticum annos natus 65: hoc accidit Ol. LXXXI, 1. aliis testibus: ergo Ol. LXXX, 2. annos habuit 62. Hæc tamen omnia parum me movent. Etsi enim aliquot annis ante Pindarum natus Noster fuerat, nonne vel sic ejus æqualis dici potuit? Sed Thomas Magister in vita Pindari dicit de hoc: *Γέγονε δὲ κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου, καὶ συγγεγένηται αὐτῷ, καὶ τέθνηκεν ὅτε τὰ Περσικὰ ἤκμαζεν.* Etiam hoc parum curo: nempe qui ita turpiter lapsus fuerit, ut Pindarum Persici belli temporibus florentem dicat tam mature defunctum esse, (quod saltem non accidit ante Ol. LXXX.) is ne in natalibus quidem ejus fidem meretur. Quid vero quod de natalibus ipsis non constat? Nam si Corsinum audimus Fast. Att. T. iii, p. 122. non contemnendo argumento usum ex Plutarch. Symposs. Quæstt. viii, 1. natus fuit Pindarus Ol. LXV, $\frac{3}{4}$, jam ut Suidæ atque Eudociæ parum tribuendum esset tradentibus Lyricum tempore Salaminiæ pugnæ quadraginta fuisse annos natum. Qua de re qui plura desideret, adeat Fabricii B. Gr. T. ii, p. 57, ed. Harles. Hoc unum notes, ipsum Suidam, cum anno vitæ 55. obiisse Pindarum dicit, tradidisse id ex sententia eorum, qui natum Ol. LXV, 3. putarent, defunctum autem Archonte Bione Ol. LXXX, 3. ut est ap. Thom. M. licet perperam. Alterum vero argumentum cap. iv, eo infirmavimus, quod Æschylus tum, cum propter Eumenidas solum verteret, non vicerit: atqui vicit Ol. LXXX, 2. itaque alio tempore Athenas reliquit. Postremo nimium probat Auctoris vitæ testimonium, propterea quod is Æschylum putabat ne attigisse quidem annum Ol. LXXX, 2. sed ante defunctum esse: in Siciliam enim profectum anno 62, adhuc superstite Hierone, (qui obiit Ol. LXXVIII, 2.) et obiisse anno 65: itaque haud certe post Ol. LXXIX, 1. fato func-

tum statuebat; a quo non multum dissentit Lessingius Vit. Sophocl. p. 285. ideo contendens Orestiam editam fuisse post fata Æschyli Archonte Philocle, sed id perperam. Tantum igitur abest, ut Musgravius ex Vitæ Scriptore, quod collegit, colligere potuerit, ut etiam non post Ol. LXII, 4. natum debuerit inde statuere. Sed tertio quoddammodo argumento hoc Musgravius utitur paullo post. De Sophocle Scriptor Vitæ ejus: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη δεκαεπτά, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος εἰκοσιτέσσαρα.* Idem habet Schol. Aristoph. Ran. 75. emendatus a Lessingio l. c. p. 386. Verum hoc est plane falsum: Sophocles enim natus Ol. LXXI, 2. Euripides Ol. LXXV, 1. ex calculis maxime probabilibus. Quapropter Musgravius et Lessingius emendant: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιτέσσαρα, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκαεπτά*: nec multum ille a veritate abire hanc supputationem dicit. Nempe si Æschylus luce frui cœpit Ol. LXV, 1. hinc ad Sophoclis natales Ol. LXXI, 2. sunt anni 25; inde ad Euripidis, Ol. LXXV, 1. sunt anni 15: duplex igitur, si accurate computaveris, discrepantia est, unius ibi, hic duorum annorum. Pergit Musgravius: 'Quod si cum Fabricio et Marmore Arundel. Æschylum Ol. LXIII. anno ultimo natum statuas, error multo gravior erit nec ulla facile medela sanabilis.' Hoc minus caute pronunciavit. Æque bene scribas: *Αἰσχύλου μὲν νεώτερος ἔτη εἰκοσιεπτά, Εὐριπίδου δὲ παλαιότερος δεκατέσσαρα.* Posterius minimum tantum a vero distat: prius Musgravii quidem rationibus contrarium est, a Marmoris autem Parii traditione tantum duos tres annos differt. Nihil tamen inde colligo, nisi Musgravii ratiocinationem habere speciem haud majorem quam nostram. Jam quid obstat, quominus multo accuratiori Parii Marmoris testimonio fidem habeamus, quod Æschyli obitum ponit Ol. LXXX, 1. consentiente Schol. Aristoph. Acharn. 10, *Ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ Ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον*, qui aliis est Mnesithides; tum fuit annorum 69 secundum Marmor: itaque natus dicitur Ol. LXIII, 4. cui ne Suidæ quidem illud contradicit ab Is. Casaubono de Satyr. Poes. i, 5. p. 173. restitutum, docentis Æschylum Ol. LXIX. annos natum fere 25 primam fabulam dedisse. Nam Æschyli vitæ Scriptorem tam parum accuratum, qui

anno ætatis 65 obiisse, anno vero 62 in Siciliam ad Hieronem venisse tradit, his perlectis nemo postulabit ut aut distinctius refutemus, aut ejus in subducendo calculo rationem habeamus præcipuam.

Hæc præmittenda duxi partim ob rei ipsius et gravitatem et difficultatem, partim ut hac via quædam dubitationes removeantur a sententia, quam prolaturi sumus: quæ quales sint, viderint lectores. Jam quando poëta in Siciliam profectus sit, præter ea, quae superiori capite diximus, exponamus accuratius. Scriptor Vitæ: *Ἀπῆρε δὲ εἰς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον κατὰ τινὰς μὲν ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ· κατὰ δὲ ἐνίους ἐν τῷ εἰς τοὺς ἐν Μαραθῶνι τεθνηκότας ἐλεγείῳ ἡσσηθεὶς Σιμωνίδῃ.* Et deinde: *Ἐλθὼν τοίνυν Σικελίαν Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος ἐπεδείξατο τὰς Αἴτνας, οἰωνιζόμενος βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικοῦσι τὴν πόλιν. καὶ σφόδρα τῷ τυράννῳ καὶ τοῖς Γελῴοις τιμηθεὶς, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος, ὢν ἐτῶν πέντε πρὸς τοῖς ἑξήκοντα, τοῦτον ἐτελεύτα τὸν τρόπον.* Concinit etiam Pausanias i, 2. *καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν.* Hiero fato functus Ol. LXXVIII, 2. Lysistrato Archonte. V. Diod. xi, 56. et lepidus est Casaubonus l. c. p. 175. quum post Orestiam datam Ol. LXXX, 2. ad Hieronem venisse Æschylum scribit. Ad quem, ut poetarum amantissimum, venisse Nostrum est satis probabile: si qua simultas ei cum Simonide fuerat, non ea obstare poterat post hujus obitum Ol. LXXVII, 4. (sec. Petr. Ger. Duckerum de Simonide Ceo c. 2.) aut Ol. LXXVIII, 1. (sec. Larcher. Chronol. Herodot. p. 568.) Deinde, quod de fabula Ætnis narratur, ita definite pronunciatum est, ut confictum esse nequeat. At condita Ætna fertur Ol. LXXVI, 1. V. Diod. xi, 49. itaque Ol. LXXVI, ½. venisse eum ad Hieronem censeas. Verum Ol. LXXVII, 4. quum vinceretur a Sophocle, adhuc Athenis fuit certissime: ergo post hoc demum tempus, opinor, deductis nuper colonis gratulatus est novas sedes: nisi quis in Siciliam bis venisse statuat, semel Ol. LXXVI, ½. iterum post Ol. LXXVII, 4. Et licet id veri simile non videatur in veterum silentio, tamen vel hoc concesso stabit sententia de Eumenidum duplice editione, cujus causa computus hic susceptus est. Sed est, quare vellem ad liquidum ea res

perduci posset. Etenim Æschylus, etsi non est Siculus (Fabric. B. Gr. Vol. ii, p. 134. ed. Harl.), Siculis vocibus utitur multis: ex Meleagro et Phorcidibus exempla Athenæus profert ix, p. 402. c. et fortasse, qui de industria quæsiverit, etiam in dramatis, quæ supersunt, aliquot Sicula idiomata deprehendat: quinam tamen hoc factum sit, nemo, quod sciam, accurate indagavit, et nescio an omnino decerni quidquam nequeat. Num ab Epicharmo duxit hoc, num ab illis multis scilicet Siculis fabularum poëtis, quos ante Atticam tragœdiam floruisse in Sicilia plures credunt? Sed id hariolis quibusdam relinquamus; nobis placet Athenæi sive conjectura sive testimonium: *Ὅτι δὲ Αἰσχύλος*, inquit, *διατρίψας ἐν Σικελίᾳ, πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς, οὐδὲν θαυμαστόν.* Hoc judicium si verum est, de quo quidem non dubito, haud parum intererit ad Æschyleorum dramatum historiam, sitne bis an semel in Siciliam profectus: tragœdiam fac habeamus, quæ quando acta sit, ignoretur: reperiantur tamen in ea voces Siculæ: jam scriptam post Siculum iter affirmes. Simul, ubi posthac Athenas non redierit, aut non erit acta Athenis, sed tantum in Sicilia, aut inde missa Athenas, ibi ut absente poëta produceretur ab alio, mutatis fortasse Siculis nonnullis idiomatis, aliis relictis correctoris incuria, aut quod putaret intellectu facilia. Actam in Sicilia unam novimus Ætnas, de qua Macrobius Saturnal. v, 19, 'Ita et dii Palici in Sicilia coluntur, quos primum omnium Æschylus tragicus, vir utique Siculus' (a commoratione dictus, ut recte Stanleius ad Æschyl. T. ii, p. 703.) 'in literas dedit.' Et mox: 'Æschyli tragœdia est quæ inscribitur Ætna; in hac quum de Palicis loqueretur, sic ait' (cf. Holsten. ad Steph. Byz. v. *Παλική*):

Τί δῆθεν αὐτοῖς οὔνομα τίθενται βροτοί;
Σεμνοὺς Παλίκους Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.
Ἦ καὶ Παλίκων εὐλόγως μένει φάτις;
Πάλιν γὰρ ἥκουσ' ἐκ σκότους τόδ' ἐς φάος.

Jam si semel tantum Æschylus venit in Siciliam neque inde rediit umquam, Meleager quoque Phorcidesque in Sicilia

scriptæ sunt, et ceterarum quidquid peregrinum hunc sermonem sapiat. Sed nunc, incerta itineris ratione, ne hoc quidem certo ponere licet: sic in singulis caute versati speramus fore, ut, quod volumus, ab omni cupiditate amoti, nisi malevolis, habeamur omnibus. Unum hoc omnes concedent, qui veterum loca probe perspexerint, ex profectione suscepta post Ol. LXXVII, 4. quum victus esset a Sophocle, non rediisse Æschylum. At præter Eumenidas etiam Supplices fabula post hoc tempus scripta est: nam et eadem ibi, quæ in Eumenidibus, Argivorum laus est, unde amicus sæpius jam laudatus post Ol. LXXIX, $\frac{3}{4}$. editam colligit, et firmius etiam argumentum afferri potest. Supplicum enim chorus fuit tantum quindecim personarum, ut cap. VI. demonstrabitur: sua sponte in hac quidem fabula minuere chorum non potuit, quod multo aptior erat chorus plenus quinquaginta Danaidum: lege coactus fuerit necesse est: adeoque post Eumenidas scripta nostra Supplices est, hoc est, in Sicilia, sed data haud dubie Athenis, choro diminuto. Quid si in Supplicibus præcipue Siculus sermo inveniatur, in aliis aut nulla aut levissima vestigia? Sed hoc et altioris indaginis est nec meæ provinciæ. Quid autem? Nonne in ea tot Dorismi sunt, quot, ni fallor, vix reperias in alia quacunque Æschyli tragœdia, tot præterea obscura, insolentia, peregrina, ut difficillima semper habita sit? Et Siculas quidem voces nescio an peritiores inventuri sint plures præter unam, quam novi, *βουνὸς* sive *βοῦνις*, de qua v. Stanlei. ad vs. 126. et Valck. ad Herodot. IV, p. 351. Dorice vero tot dicta sunt, ut idem Valckenarius ad Theocr. Adoniaz. p. 383. ad id confugiat, Danaidas fuisse Peloponnesias. Unde quæso? Num quod ab Ione Inachi descendunt? Potius enim sunt Ægyptiæ: nec tragici est, patriam personarum linguam in scena exprimere, sed comici: nusquam hoc factum video in tragœdia: bene video in fabulis Aristophanis. Quam apte vero Supplices, argumentum Peloponnesiacum, in quaque adeo Peloponnesiacis vocibus usus est (v. Valck. l. c.), non modo in Sicilia, sed Ætnæ præsertim doceri potuerit, ostendent verba Diodori de condenda urbe ea, XI, 49. *Ἱέρων δὲ τούς τε Ναξίους καὶ τοὺς Καταναίους ἐκ τῶν πόλεων ἀναστήσας,*

ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν, ἐκ μὲν Πελοποννήσου πεντακισχιλίους ἀθροίσας, ἐκ δὲ Συρακουσῶν ἄλλους τοσούτους προσθείς. Præterea num et alias superstitum fabularum ex Sicilia Athenas miserit, ex earum temporibus dijudicandum est: Euphorio filius in scena ibi committere poterat, ut cap. 3. conjeci ex verbis illis: ὃς καὶ τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκησεν: quod fortasse vivo ac vidente patre factum est, tumque illud nondum de Athenis solis intelligendum erit. Parum tamen proficias in harum rerum perscrutatione. 'Persæ' edita Athenis jam Ol. LXXVI, 4. Sic Argum. Ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ, nempe Ignifero; post quam demum 'Prometheum Vinctum' scriptam esse, argumentum persuadet: illa enim continuatur hac, et vs. 7. adeo respici videtur: tamen hujus tempus nequit accuratius definiri. 'Septem adversus Thebas' item post Persas producta. Schol. Aristoph. Ran. 1021. Οἱ δὲ Πέρσαι πρότερον εἰσὶ δεδιδαγμένοι, εἶτα οἱ Ἕπτα ἐπὶ Θήβας. Si fides est Plutarcho in Apophthegmm. Regg. Aristides interfuit, quum doceretur, qui quidem quatuor annis post ejectum Themistoclem, hoc est, Ol. LXXVIII, 2. obiit. Nep. Aristid. c. 3. Non multum tamen tribuo huic famæ, qui sciam, simillimum quiddam de Palamede Euripidis narrari post Socratis supplicium edita, sed valde illud dubium. Postremo de Orestia non est, quod dicamus, quum præter ea, quæ supra exposui, nihil liceat afferre.

CAPUT VIII.

Sophoclis fabulæ quot fuerint. Ejusdem familia.

POST fastidiosum numerorum computum vellem jam te, benevole lector, possem ducere in lucidum sermonum pratum, iis variatum floribus, qui in hacce critica silva merus fucus essent, ut oculi, contemplandis veluti subtilibus geometrarum descriptionibus hebetati, refrigerarentur in viridi herba: verum denuo multa mihi patientia exoranda est:

quodsi quid hactenus vere pronunciavi, hæc, ni fallor, venia dabitur; neque enim consulto novas turbas moveo; ipsa huc oratio deduxit, nec reluctari ausus sum memor illius, Quo fata trahunt retrahuntque sequamur. Æschyli exemplo ostendi, veterum tragicorum opera varias antiquitus mutationes passa esse, et factas eas in Æschylo ab ipsius inprimis familia. Sic, ut de Platone taceam, Aristotelis opera serius eruta e tenebris et criticis tradita, sunt quidem maximam partem ab ipso profecta, nonnulla tamen adjecere sectatores et discipuli; sic Coi Hippocratis scripta sunt Asclepiadarum familiæ, pluribus illa divini medici cognominibus viris ejusdem et gentis et sectæ tributa jam a veteribus. Quid vero loquor de pedestris sermonis scriptoribus reconditiores artes tractantibus? Alia res est, inquit, tragici in publica positi luce, alia umbraticam sapientiam docentis philosophi aut medici. Sed in Græcorum veterum securitate et criticæ doctrinæ neglectione nec multum interesse concedo, et si concesserim, tamen, quæ dixi, eo valent ut videas, quando semel capitalia ingenia novam viam aperuerint, ingredi plures nec homines infacetos, qui laudem illorum, ac, si verbis detur audacia, personam adeo participent apud ignaram posteritatem, præsertim adjuvante sectæ, gentis, nominis communione. Hoc post Æschylum in Sophocle nunc monstrabo: inde ducemur ad Euripidem, reversi eo, unde profecti sumus, principio. Erunt qui perhorrescant hanc temeritatem, si temeritas est investigationis audacia, cui tempore adsuescimus adeo, ut, quæ ante quinquaginta annos apud nostrates in theologia, poësi, philosophia fuerint audacia usque ad nefas, ea nunc jam trita sint ac, prope dixerim, lippis et tonsoribus nota. Sed judicii severitas et acre studium veri ne pro temeritate vel nova procudendi cupiditate frivola habeatur: dum ab isto crimine tuti simus, audaciam cum principibus criticis communem habeamus; temeritas imperitorum est et ineptorum, quibus ne audacibus quidem licet esse; hos vero poëta judice, in omnibus, credo, rebus ipse deus adjuvat. Atque equidem sententiam explicabo nulla arte fucatam: argumentis contendam: auctorem nequeo producere, nisi quem Kusterus, ne ipse quidem princeps

criticus, criticum vocat, si quis alius, infelicem, Sam. Petitum (v. Annott. ad Aristoph. Ran. p. 64.). Eum adhuc nemo audivit, negligentia nescio an religione: de eo Brunckius, cui hoc incumbebat, de eo Valckenarius, harum rerum et amator et acerrimus judex, quantum scio, ne γρῦ quidem: unus assensum patefecit Jo. Alb. Fabricius B. Gr. Vol. ii, p. 203. in editione doctissimi Harlesii, qui et ipse rem silentio premit. An vero quod plurimæ Petiti observationes criticæ falsæ sunt, erunt idcirco omnes et omnino? Res nobis et rationes, non auctoritates spectandæ: et ipsis rationibus ego cessi nonnisi invitus.

Sam. igitur Petitus Legg. Att. p. 70. sqq. demonstrare conatur, multa dramata falso Sophocli adscribi: estque hæc etiam nostra sententia, quam persequemur nunc, etsi aliter quam Petitus. Quod ut fiat, primum inquiramus, quando Sophocles primam fabulam docuerit. Hieronymus in Chronico Ol. LXXVII, 1. 'Sophocles,' ait, 'tragœdiarum scriptor, primum ingenii sui opera publicavit.' Sed Eusebius Ol. LXXVII, 2. *Σοφοκλῆς τραγῳδοποιὸς πρῶτον ἐπεδείξατο.* Petitus Misc. iii, 18. ponit Ol. LXXVII, 3. Archonte Demotione eum primum tragœdias edidisse: quod plenissime refutat Lessingius Vit. Sophocl. p. 325. sqq. statuens factum Ol. LXXVII, 4. magistratu Apsephione, qui minus bene Aphepsio vocatur: idque inscio præiverant Rich. Bentleius de Orig. Tragœd. p. 308. ed. Lips. Opuscc. et Dodwellus Annal. Thucyd. p. 265. ed. Lips. Thucyd. ubi nollem tam confidenter ipsum festum determinatum esset: et hoc ex illorum rationibus stat firmissimum. Eum enim annum designat Plutarchus Vit. Cimon. p. 483. E. his verbis: Ἐφ' ᾧ (reportata Thesei ossa dicit ex Scyro insula) *καὶ μάλιστα πρὸς αὐτὸν ἡδέως ὁ δῆμος ἔσχεν, ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην· πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος Ἀψηφίων ὁ ἄρχων φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος, ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατηγῶν προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδὰς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν ἀλλ' ὁρκώσας ἠνάγκασε καθίσαι καὶ κρῖναι δέκα ὄντας ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον.* Et in Marmoribus Oxoniensibus diserte scriptum est vicisse Sophoclem Archonte Apsephione Ol. LXXVII, 4. anno

vitæ duodetricesimo. Quippe natus poëta Ol. LXXI, 2. Archonte Philippo, secundum Vitæ Scriptorem, unde habet Scaliger in Ol. Descr. cui definitioni convenit Diodorus Sic. xiii, 103. defunctum Sophoclem tradens nonagenarium Ol. XCIII, 3. et illud, quod Ol. LXXV, 1. post Salaminiam pugnam nudus (erat enim καλὸς τὴν ὥραν) cum lyra et unctus circum tropæa saltavit et epinicia auspicatus est, jam tum musicen doctus et orchesticen perfectissime. V. Auctor. Vit. et Athen. i, p. 20. F. Tamen Palmerius Exercitt. p. 202. et Lessingius Vit. Sophocl. p. 341. opinantur obesse verba Plutarchi, Σοφοκλέους ἔτι νέου. Ita et Vit. Æschyl. ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ, de eadem victoria. Putabant igitur Plutarchum Sophoclis natales posuisse Ol. LXXIII, 3. ut tradi ait Scaliger, credo ex Suida natum scribente Ol. LXXIII. simpliciter. Verum in eo errant. Νέος dicitur Sophocles, quod et natu minor Æschylo et primum atque ante constitutam lege ætatem in scenam prodierat. Num lex fuit, quæ tenuit et poëtas et histriones (a quibus poëtæ tum non differebant, ut qui suarum ipsi fabularum primas partes agere solerent), lex inquam fuit, μὴ εἰσελθεῖν τινὰ εἰπεῖν μήπω τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες τριάκοντα. Schol. Aristoph. Nub. vs. 526. Minus bene ad solos histriones refert Petit. l. c. p. 74. Ideo Dætalenses Aristophanes per alium introduxit, ut testatur ipse l. c. Eandemque ætatem etiam choragus habere debebat. V. Hemsterh. ad Plut. p. 332. Cf. Auger. ad Demosth. T. ii. P. ii, p. 661. Sed in Sophocle videtur facta exceptio esse, ut in Æschylo, qui annos natus quinque et viginti primum fabulas docuit, ut legimus ap. Suid. atque idem de Euripide narrat Thom. M. Igitur de Æschylo quoque Vit. Script. dicit: Νέος ἤρξατο τῶν τραγῳδιῶν. Plato etiam tetralogiam edere voluit multo ante legitimam ætatem, tum quum nondum penitus sese tradidisset Socrati. V. Appulei. de Habit. Doctr. p. 2. Elm. Diog. L. iii, 5. Ælian. V. H. ii, 30. Olympiod. vit. Plat. Eustath. ad Il. Σ, p. 1149. Rom. Agatho, cum vinceret tragœdia, a Platone Sympos. p. 198. A. dicitur νεανίσκος, aut jocose aut similem quandam ob causam. Hæc quum ita sint, neque Sophocles natus est Ol. LXXIII, 3. neque prima ejus victoria, ut Petitus putat, Ol. LXXVII, 3. sed Ol.

LXXVII, 4. contigit. Idem pergit Legg. Att. l. c. 'Et tunc tetralogiam edidit, ut et alii tragici: quo labore perterritus ceteris insequentibus annis nonnisi unum drama quotannis in scenam produxit.' At hæc singillatim demonstranda erant. Primo quidem anno Sophocles tetralogiam edidit haud dubie; fuit enim hoc solemne, nec potuit prima vice leges scenæ mutare. Deinde hoc anno acta Triptolemus, ostendente Lessingio Vit. Sophocl. p. 356. (cf. ejusdem Laocoon p. 296.) ex Plinii H. N. xviii, 12. qui habet hoc: 'Hæ fuere sententiæ Alexandro Magno regnante, cum clarissima fuit Græcia atque in toto terrarum orbe potentissima; ita tamen ut ante mortem ejus annis fere 145, Sophocles poëta in fabula Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudaverit, ad verbum translata sententia: Et fortunatam Italiam frumento canere candido.' Alexander diem supremum obiit secundum calculum accuratissimum Ol. CXIV, 1. V. Ideler de Astronom. Obss. Veterum p. 340. Hinc retro annis computatis efficitur Ol. LXXVII, 4. quo anno primum docuit Sophocles. Ita rationes subduxit et Fabricius a Lessingio reprehensus, quod primam hanc tragœdiam esse non viderit. In quo male fecit Lessingius. Est potius satyrica fabula prima, id quod fragmenta ostendunt et posuit Brunckius. Cf. Jacobs. Additt. ad Sulzeri Theor. T. iv. P. i, p. 146. Eo igitur anno necesse est tetralogiam ediderit, quoniam tum nulla absque tribus tragœdiis commissa est satyrica fabula, notante jam Casaubono de Satyr. Poës. i, 2, p. 55. 4, p. 131. ne plura nunc afferam. Sed quod Petitus addit, labore perterritum poëtam posthac hoc omisisse, id nusquam reperio traditum, sed est ex mera viri conjectura profectum, de qua quid exponam amplius? Et quod dicit, singulas tragœdias singulis annis esse a Sophocle editas, hausit ex Suida v. Σοφοκλῆς· *Καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν.* Quæ verba incredibile est quantas Lessingio p. 381. sqq. turbas crearint. Nempe is putabat, teste Suida, inde a Sophocle jam neminem certasse tetralogiis, quod non inest ejus verbis: sed cum ante nostrum tragicum numquam nisi tetralogiis certassent, ille Suida auctore effecit, ut partim his par-

tim singulis tragœdiis contendere liceret, neque alterum excludebatur altero. Fallitur igitur Petitus cum aliis in eo, quod colligit e verbis Grammatici, multoque egit cautius peritissimus Eichstadius de dram. comico-satyr. Additamm. ad p. 29. Immo certum est, etiam post primam actionem tetralogiis dimicasse Sophoclem, quod præter Triptolemum docuit Nausicaam satyricam et alia satyrica dramata; idemque apparet e didascalia Byzantii Aristophanis Argum. Eurip. Med. *'Εδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου Ἄρχοντος* (Ol. LXXXVII, 1.) *κατὰ τὴν πζ' Ὀλυμπιάδα. Πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης· Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτυς, Θερισταὶ Σάτυροι· οὐ σώζονται.* Hinc est quod Bentleius Epist. ad Mill. p. 462. ed. Lips. dicit: ‘Scimus tamen ex didascaliis non ex omni parte verum hoc esse. Vide modo Aristophanem Grammaticum in Argumento Medeæ Euripidis.’ Nempe et Bentleius eodem, quo alii, errore nimis generatim cepit Suidæ verba, quum tamen hoc exemplum una editorum quaternorum dramatum ejus testimonii fidem ex antiquis fontibus derivatam neutiquam infirmet. Rursus non desunt singillatim productarum tragœdiarum exempla. Huc refero secundam Antigonæ editionem, de qua mox dicam, huc primam etiam; hac enim sola, non integra tetralogia præturæ honorem poëta sibi dicitur parasse. Errorem de trilogia sive tetralogia, ad quam Antigona pertineret, in Epist. ad Mill. l. c. proditum, Benleius agnovit ipse ibid. p. 528. Œdipus Rex quum a Philocle victa traditur esse, nullis aliarum fabularum additis nominibus, videtur singillatim producta fuisse. De Philocteta didascaliæ: *'Εδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίππου· πρῶτος ἦν Σοφοκλῆς.* V. Argum. Philoctet. Sic, credo, scriptor non locutus esset, nisi Philoctetam voluisset doctam singulariter significare. Huc etiam pertinet illud Platonis Sympos. princ. ubi Agathonem dicit vicisse *τῇ πρώτῃ τραγῳδίᾳ,* singulari numero, quod factum est Lenæis, Euphemo Archonte Ol. XC, 4. V. Athen. v, p. 217. et inde habentem Scaligerum Ol. descr. Jam ut revertar ad Petitum, is ut firmaret calculum suum de edita quotannis singulari fabula, ratiocinium instituit hoc. Antigona docta circiter Ol. LXXXIV, 3. teste Aristophane Byzantio Argum. Antig. *Φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας*

εὐδοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς Ἀντιγόνης. Sophocles præturam gessit cum Pericle Ol. LXXXIV, 4. Timocle Archonte. V. Petit. Misc. iii, 18. Musgrav. Chronol. Scenic. h. a. Bentlei. Epist. ad Mill. p. 528. Lessing. Vit. Sophocl. p. 391. Cf. Strab. xiv, p. 446. Justin. iii, 6. Val. Max. iv, 3. ext. 1, 2. Jam si Sophocles primum docuit tetralogiam Ol. LXXVII, 3. Demotione Archonte, et insequenti tempore edidit singulas quotannis fabulas, Antigona fuit drama tricesimum alterum. Ecce vero Aristophanes Grammaticus Argum. Antig. continuo post verba modo recitata: Λέλεκται, inquit, τὸ δρᾶμα τριακοστὸν δεύτερον. Inde colligit Petitus singulis annis singulas a poëta fabulas editas esse. Ego vero ne quid cupide videar egisse, speciosa hæc argumenta ipse infirmabo, quibus ille vir satis ostendit, quam bene sibi scenicæ rei apud veteres ratio fuerit perspecta. Etenim quid Sophoclem cogebat, ut nullo anno intermisso tragœdias doceret? Annon alio anno nullam, alio plures et pluribus festis edere licebat? Annon novas promiscue cum correctis dare poterat, ita ut necesse non sit tot illum fabulas scripsisse, quoties docuerit? Accedit quod primo prodiit Ol. LXXVII, 4. non 3. ne, quod levius est, de Auctore vitæ dicam, qui accedente Scaligero in Ol. Descr. præturam poëtæ Ol. LXXXV, 3. ponit: in hoc enim nolo nunc altius inquirere. Sed Aristophanis testimonio stat confirmatum, Antigonam circa Ol. LXXXIV. exeuntem probabiliter commissam, Sophoclis fabulam esse tricesimam alteram, id quod ex vetere traditione fluxisse vel tempus λέλεκται ostendit; nec de alio quam chronologico ordine numerus hic intelligi debet, judice etiam Casaubono ad Athen. p. 415. Ergo Sophocles ab anno ætatis duodetricesimo ad quinquagesimum circiter sextum, per Olympiadas septem præter repetitas aliquot fabulas scripsit non ultra triginta duas. Repetitæ sunt Tyro, Phineus, Lemniæ; sed quando quæque acta sit, ignoratur. Alias autem duplices editiones, ut Athamantis et Thyestæ, nunc prætermitto, quod eæ habendæ sunt pro fabulis plane diversis.

Pergamus nunc exquirere Petiti rationes, quæ redeunt huc. Sophocles, quum docere cœperit Ol. LXXVII, 3. et defunctus sit Ol. XCIII, 3. dedit fabulas per 64 annos; et primo quidem anno quaternas, posthac singulas quotannis,

exceptis annis duobus, quibus propter præturam docere non potuit, ut adeo solas 66 fabulas produxerit per omnem vitam. At iisdem hic, quibus prior, vitiis calculus laborat; sed ceciderint licet Petiti rationes, tamen illud probabile mansit et credo mansurum est, qui ab anno duodetricesimo ad annum quinquagesimum sextum ediderit triginta duas fabulas, eum ab hoc ad nonagesimum non editurum fuisse nonaginta vel centum. At erit istud, si Sophoclis sunt omnes, quæ tributæ ei fuerunt et tribuuntur adhuc. Ediderit intra tempus hoc circiter quadraginta; satis amplus numerus fuerit comparatione prioris, amplus comparatione senis quamvis vegeti cum juvene et viro. Adde repetitas aliquot post annum ætatis, quem dixi: sic, etiamsi tantum quadraginta ediderit, tamen aliquot potest tetralogias dedisse, id quod factum demonstravi Ol. LXXXVII, 1. quodque nescio an sæpius contigerit. Verum et sic correctum numerum excedit Sophoclearum fabularum numerus, qui vulgo perhibetur. Suidas: *Ἐδίδαξε δὲ δράματα ρκγ', ὡς δέ τινες, καὶ πολλῷ πλείω.* Vit. Sophocl. *Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, δράματα ἑκατὸν τριάκοντα. τούτων δὲ νοθεύεται δεκαεπτά.* Hæc verba Petitus emendat ad Suidæ normam, factum ex *ρκγ'* putans esse *ρ' καὶ λ'*: non tamen tot, quot recensentur hic, Sophoclem dramata scripsisse, sed ex iis tantum 66 fuisse majoris Sophoclis, septendecim fuisse spuria, quæ putat ab Iophonte potissimum profecta esse, postremo quadraginta minoris fuisse Sophoclis: tot enim hujus innotuerant: sic fieri 123, quot dicit vitæ Scriptor; quique longe plura numerassent, eos addidisse alia filii Iophontis, patri vulgo adscripta. In hac numerorum congruentia multum Petito ponderis inesse videtur; sed falsæ ac fallaces Galli rationes sunt. Falso inventus numerus dramatum majoris Sophoclis, ut modo demonstravi: falso numerus 130 apud vitæ Scriptorem disertis verbis expressus corrigitur ex Suida, ubi numerus 123 tantum siglis scriptus multo est incertior: nec solent 130 scribere ita, *ρ' καὶ λ'*; potius apud Suidam corrigendum est: *ἐδίδαξε δὲ δράματα ριγ'.* 'Docuit,' ait, '113; sed alii numerarunt multo plura,' intellige 130, annumeratis spuriis, qua certissima correctione corruunt cetera Petiti commenta. Viderit lector, hæcne meliora sint an Petr. Wesselingii

notata ad Petiti locum ex Suida vitæ Auctorem corrigentis. Ibi enim vir egregius habet hæc: ‘Cur tandem? Suidas esse ait, qui plus 123 Sophocli tribuant, et collegerunt Isaac. Casaubonus et Jo. Meursius titulos fabularum Sophoclis plures 150. Quidni ergo grammaticus Aristophanes numerum Suidæ potuit excedere? Multa Petitus ait ex arbitrio suo, et quia opinioni commodum videtur, ut mox, quum Sophocli juniori quinquaginta et unam fabulam obtrudit et Suidæ numerum auget nemine jubente.’ De fabularum titulis pluribus 150 nihil est quod Wesselingium refutem post Brunckium: de minore Sophocle dicam paulo post: eorum vero, quæ Petito jure exprobravit, in nostras rationes nihil quidquam cadit.

Hæc quum ita sint, non omnes, qui feruntur, Sophoclearum fabularum tituli genuinarum possunt esse, sed ad summum pauca ultra septuaginta dramata fecit major ille et celeber Sophocles. Sed unum fortasse et alterum offendet id, quod numerus multo major ‘antiquitus traditur:’ ut igitur appareat, quam mature in rebus his errores insederint, pauca addam non in eorum commodum, qui in criticis causis probe versati sunt, quorum quidem non ea est imperitia nec superstitio tanta, ut nostra hac ope indigeant, sed in minus exercitatorum et nimium timidorum hominum. Nempe in Platonis operibus, qui diu post Sophoclem floruit, spurius dialogus est Minos, quem nemo jam pro genuino philosophi fœtu habebit: is tamen etiam a Byzantio Aristophane habitus est in Platonicis. V. Diog. L. iii, 62. Cujusmodi exempla cumulari possent ex Græcis Latinisque litteris, nisi unum sufficeret. Utinam vero in tres tragœdiæ auctores tam eximia superessent scholia, quam in Homerica carmina! Ex quibus quid harum litterarum cognitio lucratura esset, auguramur ex iis, quæ in manibus sunt, tenuibus fragmentorum fragmentis. Ita de dramatum numero in poëtis ambigi et in Æschylo vidimus, et licet videre in Euripide quoque, cujus fabulas 92 Thomas Mag. 75 vero statuit Varro ap. Gell. xvii, 4. utriusque traditionis mentionem facientibus Suida et Manuele Moschopulo. Cf. Valck. Diatr. c. 2. Euripidis tria dramata inque iis, credo, Rhesum veteres spuria

judicarunt, ut apparebit cap. 18. Jam ea opinionis diversitas potest venisse ex confusione utriusque Euripidis orta e nominis communione: neque enim inde derivem, quod aliquot fabulæ, ut Messores satyrica, mature perierunt. V. Argum. Eurip. Med. coll. Suida. Atque illam variorum numerorum causam etiam in Sophocle Petitus conjecit esse, neque is absurde: nisi quod suum unicuique numerum nimis definite reddidit. Sane permulta dramata non genuina fuisse in Aristophanis illa collectione, spectare licet vel ex spuriis septendecim, quorum meminit Suidas; et fortasse de industria quædam Sophocli supposita sunt, ut Spintharus Heracleota hujus nomine Parthenopæum evulgavit sec. Diog. L. v, 92. qui si idem est, quem Suida auctore comici exagitarunt, ut Fabricio quidem videtur, satis fuit antiquus scriptor. Igitur, etiamsi Byzantius Aristophanes omnia pro genuinis habuisset, tamen dubitare nobis liceret: sed merito, credo, ambigimus, utrum ille omnes 113 fabulas putaverit majoris Sophoclis esse, an secus; saltem parum cautum dixerim eum, qui, quum Antigonam poneret esse drama 32. et actam anno vitæ circiter 56. tamen tot crediderit poëtam fabulas edidisse; immo indignus foret, cujus sententiam ita curiose indagaremus. Præterea Aristophanes Didascalias ante oculos habuit, quæ, etsi non ab omni errore tutæ fuerunt, tamen paucissimis locis, ut in Euripidea Rheso, et nonnisi singularem ob causam fallere poterant. Quid vero, inquis, nonne ipse Aristophanes diserte tradit, tot Sophoclem fecisse fabulas, teste Suida l. c. *Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, δράματα ἑκατὸν τριάκοντα*? Sed quid si suo se Grammaticus gladio, obelo dico? Continuo enim infert: *τούτων δὲ νοθεύεται δεκαεπτὰ*, ab ipso, ne dubites, Aristophane, præcipuo tragicorum critico, qua de re dicetur infra. Apparet igitur verba, *Ἔγραψε δὲ, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης*, ex Suidæ fabrica esse, nec aliud significari quam hoc: ‘Ferebantur autem Sophoclis nomine fabulæ 130, auctore Aristophane, qui spurias judicat earum 17.’ Quibus perpensis nihil temere conjecisse videbimur, si credimus Aristophanem utriusque Sophoclis fabulas eo, quem Suidas posuit, numero complexum esse, ex 113 autem pro genuinis majoris

Sophoclis habuisse omnes, quæ superessent demtis minoris sive 40 sive 51 (quot fuisse statim demonstrabimus), sed a recentioribus Græcis litteratoribus ignorantia rerum hoc esse perperam intellectum, quasi cunctas uni tribuisset: denique eum spurias septendecim Iophanti adscripsisse, et si quis alius e Sophoclis genere tragicam poësin attigerat. Ubi vero laudatur *Σοφοκλῆς ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητής*, aut *ὁ τοῦ Σοφίλου*, cognomine posito pro simplici nomine, nihil aliud quam illa utriusque Sophoclis fabularum collectio intelligenda erit.

His excussis superest, ut de familia Sophoclis tragica disseram. Primus est Iophon, de quo Suidas et inde Eudocia Violar. p. 248. *Ἰοφῶν, Ἀθηναῖος, τραγικὸς, υἱὸς Σοφοκλέους τοῦ τραγῳδοποιοῦ, γνήσιος ἀπὸ Νικοστράτης. δράματα δὲ Ἰοφῶν ἐδίδαξε ν', ὧν ἐστὶν Ἀχιλλεὺς, Τήλεφος, Ἀκταίων, Ἰλίου πέρσις, Δεξαμενὸς, Βάκχαι, Πενθεὺς* (l. *ἢ Πενθεὺς*) *καὶ ἄλλα τινὰ τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους.* Postremis verbis nonnullæ fabulæ significantur ex iis, quæ vulgo ipsi Sophocli tribuebantur. Nempe filii dramata dicebantur esse patris opera. Inde Aristoph. Ran. 77, sqq.

Οὐ πρίν γ' ἂν Ἰοφῶντ' ἀπολαβὼν αὐτὸν μόνον
Ἄνευ Σοφοκλέους, ὅ, τι ποιεῖ κωδωνίσω.

Ubi Schol. *Κωμῳδεῖται Ἰοφῶν, ὁ υἱὸς Σοφοκλέους ὡς τὰ τοῦ πατρὸς λέγων.* Hæc criminatio majorem fidem habere videtur quam similis Euripidis, qui a pluribus dicitur in scribendo adjutus esse. Certasse tamen cum Iophonte Sophoclem tradit Schol. ibid. et Scriptor Vit. Sophocl. de eo alia quoque satis obscure tradens, atque insaniæ pater insimulatus est ab hoc filio. Hic etiam cum Euripide et Ione dimicavit tragœdia Ol. LXXXVII, 4. et fuit secundus renunciatus. V. Argum. Eurip. Hippol. Schol. Ran. dicit de eo: *Ἠγωνίσατο γὰρ καὶ ἐνίκησε λαμπρῶς ἔτι ζῶντος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.* Et satyrica edidit, ut *Αὐλῳδοὺς Σατύρους* Iophontis Comici citat Clem. Alex. Stromm. i, p. 280. errore pro tragico, quod post Casaubonum, Fabricium, Lessingium, nuper monuit Hermannus Comm. Soc. Lips. Vol. i, P. 2, p. 251. Tragœdiam Bacchas habet Stob. Eclogg. ii, p. 10. et Grotius Excerpt. p. 876, abs qua non diversa Pentheus fabula

recte visa est Heerenio ad l. c. Stob. et T. ii, P. 2, p. 154. Fragmentum autem inde ap. Stob. est hoc:

> Ἐπίσταμαι δὲ καὶ τάδ' οὖσά περ γυνή,
> Ὡς μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
> Ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

Alter est Aristo, Sophoclis ex Sicyonia Theoride nothus, (auctore Suida v. Ἰοφῶν et Scriptore Vit. Sophocl.) qui et ipse videtur tragicus fuisse. V. Diog. L. vii, 164. coll. Fabric. B. Gr. T. ii, p. 287. ed. Harles. Tertius denique est Sophocles, Sophoclis ex Aristone nepos, de quo Suidas: Σοφοκλῆς, Ἀρίστωνος, υἱωνὸς δὲ τοῦ προτέρου Σοφοκλέους τοῦ πρεσβυτέρου, Ἀθηναῖος, τραγικός. ἐδίδαξε δὲ δράματα μ', οἱ δέ φασιν ιά (leg. νά). νίκας δὲ εἷλεν ζ' (leg. εἷλε ιβ'). Quod legendum dico νά, Wesselingius Petitum ait fecisse 'nemine jubente:' cui qui jusserit nescio: mihi Diodorus jussit, qui duodecies minorem Sophoclem vicisse tradit: non potest igitur tantum undecim fabulas scripsisse. Eodem duce pro εἷλεν ζ' scripsi εἷλε ιβ', a quo facilis ad illud lapsus erat; nam apud Diodorum disertis verbis duodenarius numerus legitur, xiv, 53. sub Ol. XCV, 4. Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους τραγῳδίαν διδάσκειν ἤρξατο καὶ νίκας ἔσχε δυοκαίδεκα. Unde habet Scaliger in Ol. Descr. Est is poëta non ignobilis, ut avi deliciæ ac toties victor tam antiquis temporibus. Ipse Æschylus vicit tantum tredecies, ad summum duodevicies, teste vitæ Auctore; Sophocles major secundum Diodorum duodevicies, secundum Carystium vicies, secundum Suidam quater et vicies; Euripides auctoribus Varrone, Moschopulo, Suida quinquies, secundum Thom. quindecies, quos non apte conciliat Lessingius Vit. Sophocl. p. 381. præeunte Baylio. Filium Sophoclis majoris facere Diodorus videtur, nisi Σοφοκλέους avi nomen voluit esse; illud Io. Meursio probabile visum est ob tempora. In quo fallitur egregie. Ol. XCV, 4. Sophoclis nepos natus esse poterat vel quinquaginta annos. Ab avo valde dilectus est. Scriptor vitæ: Ἔχων γὰρ ἐκ μὲν Νικοστράτης Ἰοφῶντα, ἐκ δὲ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα, τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργεν. Et ingenium finxit haud dubie ad avi exemplum: unde antiquissimis tempo-

ribus facile confundi eorum dramata poterant, populo spectacula, non poëtas curante. Unus locus est, ubi diserte citatur Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ap. Clem. Alex. Protrept. p. 14. ibique cum Thurio Patrocle divinam naturam Castoris et Pollucis dicitur negasse: certe non alius est quam hic ipse: nec cogites de Sophocle tragœdiarum post Pleiada scriptore, indidem oriundo, sed obscuriore quam ut simpliciter appellari potuerit ὁ νεώτερος.

CAPUT IX.

Sophoclearum fabularum tituli superstites quot. Quænam majori Sophocli tribuenda sint, e fragmentorum indole dijudicari nequit. Num in Sophoclem Plato fuerit iniquior.

Hactenus præivit ex parte Petitus, ita tamen, præfiscini dixerim, ut nobis majorem laborem in corrigendis suis argumentis fecerit, quam cum nullo duce invenienda fuissent nova. Sed eum, quem reperimus, dramatum numerum longe excedunt tituli superstites Sophoclearum fabularum: ergo non omnes possunt genuinæ esse; quod jam nemo non concedet, nisi qui nostris rationibus nihil omnino tribuat. Tantum autem abest, ut mirer, quo casu contigerit, ut spuria Sophoclis, Sophili filii, nomine circumlata sint, ut etiam mirarer, si duorum vetustissimorum tragicorum cognominum, aliorumque cognatorum et imitatorum dramata, simili stilo scripta, confusa haud fuissent. Supersunt igitur tituli 106, quos hic apposui, ut uno conspectu posses complecti.

Ἀθάμας πρότερος.
Ἀθάμας δεύτερος.
Αἴας Λοκρός.
Αἴας μαστιγοφόρος.
Αἰγεύς.
Αἴγισθος.
Αἰθίοπες.
Αἰχμαλωτίδες.
Ἀκρίσιος.
Ἀλέξανδρος.
Ἀλήτης.
Ἀλκμαίων.

Ἀλωάδαι.
Ἄμυκος.
Ἀμφιάραος.
Ἀμφιτρύων.
Ἀνδρομάχη.
Ἀνδρομέδα.
Ἀντηνορίδαι.
Ἀντιγόνη.
Ἀτρεύς.
Ἀχαιῶν σύλλογος.
Ἀχιλλέως ἐρασταί.
Δαίδαλος.
Δανάη.
Διονυσιακός.
Δόλοπες.
Ἑλένης ἀπαίτησις.
Ἐπίγονοι.
Ἐριφύλη.
Ἑρμιόνη.
Εὔμηλος.
Εὐρύαλος.
Εὐρυσάκης.
Ζωστῆρες.
Ἤλεκτρα.
Ἡρακλῆς ἐπὶ Ταινάρῳ.
Ἠριγόνη.
Θάμυρις.
Θησεύς.
Θυέστης Σικυώνιος.
Θυέστης δεύτερος.
Ἴναχος.
Ἰνώ.
Ἰξίων.
Ἰοβάτης.
Ἰόλαος.
Ἱππόνοος.
Ἶρις.
Ἰφιγενεία.
Ἴφικλος.
Ἰχνευταί.
Ἴων.
Καμίκιοι.
Κηδαλίων.
Κλυταίμνηστρα.
Κολχίδες.
Κρίσις.
Κωφοί.
Λάκαιναι.
Λαοκόων.
Λήμνιαι.
Μελέαγρος.
Ναύπλιος.
Ναυσικάα.
Νιόβη.
Ξοανηφόροι.
Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλήξ.
Ὀδυσσεὺς μαινόμενος.
Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ.
Οἰδίπους ὁ Τύραννος.
Οἰνόμαος.
Παλαμήδης.
Πανδώρα.
Πελίας.
Περίλαος.
Πηλεύς.
Ποιμένες.
Πολύϊδος.
Πολυξένη.
Πρίαμος.
Πρόκρις.
Ῥιζοτόμοι.
Σαλμωνεύς.
Σίνων.
Σίσυφος.
Σκύθαι.
Σκύριαι.
Τεῦκρος.
Τηρεύς.

Τραχίνιαι.
Τριπτόλεμος.
Τρωΐλος.
Τυμπανισταί.
Τυνδάρεως.
Τυρώ.
Ὕβρις.
Ὑδροφόροι.
Φαίακες.
Φαίδρα.
Φιλοκτήτης ἐν Λήμνῳ.
Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ.
Φινεύς.
Φοῖνιξ.
Φρῖξος.
Φρύγες.

In hoc recensu agendo secutus sum Brunckium, abs quo in quibus discesserim, breviter exponam. De *Ζωστῆρσι* paullo post dicetur: de Clytæmnestra dubitatur ab eodem: Struvius de Sophocl. Clytæmn. §. 2. hanc et Ægisthum unam eandemque fabulam putat esse: neuter tamen rationibus utitur talibus, eam ut possis numero eximere. De Dionysiaco dicetur capite sequenti: pro Iride Schweighæuserus ad Athen. T. iv, p. 37. mavult *Ἔριν*: ego tutius existimo a Brunckii partibus stare. Sed nemine præeunte ex indice Sophoclearum fabularum delevi Prometheum, quod sola nititur auctoritate Schol. Pindar. Pyth. v, 35. *Σοφοκλῆς δὲ ἐν τῷ Προμηθεῖ, τοῦ Προμηθέως, θέλων λέγειν τῆς φρονήσεως ἀντέχεσθαι καὶ μὴ τῆς μεταμελείας*: ubi recentioris librarii errore refertur ad Sophoclem, quod Æschyli est Prometh. Vinct. vs. 85.

Ψευδωνύμως σὲ δαίμονες Προμηθέα
Καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ Προμηθέως,
Ὅτῳ τρόπῳ τῆσδ' ἐκκυλισθήσει τύχης.

Deinde ex bis editis tantum eas numeravi quarum altera editio pro nova fabula stare possit: quodsi et alias numeraveris, ut Lemnias, Phineum, Tyronem duplices, ne Iphiclum nunc appellem, erunt novem et centum. Harum igitur pars majoris Sophoclis est, pars minoris ceterorumque Sophocleorum poëtarum: cujus quæque sit, indagandum erit; ac similiter agendum foret, etiamsi nihil quidquam neque de minori Sophoclis majoris fabularum numero neque de altero Sophocle nossemus, nisi quod 17 spuriæ antiquitus inter Sophoclea habitæ essent, quæ quominus iis, quarum nomina habemus, intermiscerentur, haud certe grammatico-

rum ac scholiastarum impediebat diligentia. Verum quis est, qui in tam minutis fragmentis auctores, præsertim sibi similes, ut hic est, accurate dignoscere queat? Traditur hoc de uno, quod sciam, Ruhnkenio, de quo Wyttenbachius in Vit. Ruhnk. p. 220. 'Hanc facultatem,' inquit, 'ita tenuit Ruhnkenius, ita scriptoris cujusque formam rationemque animo perceptam impressamque habuit, ut non modo spuria quævis primo obtutu animadverteret, sed multis multorum scriptorum locis sine illorum nomine deinceps positis, veluti in Stobæo, sentiret continuo, cujus scriptoris quisque locus esset, et in Anthologia epigramma quodcunque auctoris nomine omisso extaret, semel eo lecto statim intelligeret, non solum qua ex ætate, antiqua, media, an postrema, sed quod longe majus, cujus poëtæ esset, ex eo adeo genere, cujus nonnisi paucissima supersunt epigrammata, quorum proinde quod cujusque sit, difficillimum est judicare.' Credat Judæus Apella, ne quid dicam acerbius. Peccavit Ruhnkenius in assignandis suo auctori totis operibus: vide modo Hermannum in Orphicis p. 680. quis vere dixisse de fragmentis et epigrammatis laudatorem putet? Si ea fuit eximii sane viri sagacitas, cur, ut hoc unum afferam, in Nott. ad Tim. Lex. p. 9. Sophocli fragmentum tribuit, quod aut Æschyli est aut Euripidis? V. Valck. Diatr. p. 11. Scilicet ut demonstraret, fuisse Sophoclem inter et Platonem aliquam simultatem, de qua quid censendum sit, dixi ad Plat. Legg. p. 182. contra Valckenarium locorum aliquot Platonicorum immemorem: eaque inde colligitur potissimum, quod Plato in Theage et Republica Euripidi tribuit versum, *Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ*, qui tamen Sophoclis fuerit ex Ajace Locro. Loris dignus et furca Plato fuisset, si sciens hoc commisisset: sed hæc pusillanima malignitas haud cadit in magnanimum Platonem, nec in quemquam, opinor, cadit liberaliter educatum hominem, nisi forte in grammaticum. Quid quod præter Rep. i, p. 329. B. honestissima Sophoclis mentio fit Phædr. p. 268. C. p. 269. A? Quid quod eum Plato expressit adeo imitando Theætet. p. 191. A? Quid quod una cum Sophocle Æschylus reprehenditur Rep. ii, p. 380. A? Num vero ratione reprehendere et invidiose carpere idem est? Quin

nonnulla, quæ in hanc rem dicuntur, plane conficta sunt, ut quod in Critone Platonem invehi in Sophoclem falso tradit Athenæus xi, p. 507. D. Illud enim in meam rem haud proferam, quod Bullialdus ad Theon. Smyrn. p. 196. etiam Rep. vii, p. 522. D. benevole respici Sophoclem putat: nam hoc consideratis Euripideæ Palamedæ fragmentis valde fit incertum. Quæ quum ita sint, ne Ruhnkenium quidem credo perfecturum fuisse, quod omnino superat humanas vires, ut ex sola poëtæ indole exiguarum reliquiarum auctorem agnoscas, eumque ab simili ejusdem ætatis ac sectæ scriptore distinguas. Quapropter alia via quærenda fuit, eaque ingressus efficiam hoc, ut nonnulla dramata, quæ certe majoris sint Sophoclis, segregentur ab iis, quæ cui tribui debeant, dubium relinquendum est.

CAPUT XI.

Quænam fabulæ Sophoclis majoris certe sint. De earum temporibus quædam. Epilogus.

JAM si quæratur, num liceat omnino aliquam saltem partem genuinorum Sophoclis Sophili dramatum ex eo numero seligere, equidem hoc et affirmo, et qua perficiam, hancce viam indico. Opus est aut teste diserto tempus fabulæ designante, aut narratione aliqua de quodam dramate, quæ ad majoris Sophoclis vitam pertineat, aut imitatione sive irrisione cujusdam tragœdiæ sive satyricæ fabulæ apud scriptorem obvia, qui ante Ol. XCV, 4. hoc est, antequam minor Sophocles publice doceret, sua composuerit. Quæ quidem nullo addito poëtæ nomine apud talem auctorem reperiantur, possis etiam ad Iophontem referre, quoniam hic simul cum patre docuit: hoc tamen magnam vim habere non videtur. Erunt alii qui credulitatem meam accusent, quum traditione levi utor in adjudicandis Sophocli majori dramatis, qui fabulis fabulas vindicari dicant, anilem anilium historiolarum religionem vocent: quibus ego non

habeo quod opponam, quam ut vicissim damnem eorum levitatem, qui grandi supercilio ubivis fabulas vident et visas continuo damnant, neque in earum origines altius indagant, etsi ne ipsi quidem negare possunt, nullam temere fabellam esse, quin primis initiis vera fuerit, et tempore eam, qua est, vanitatem collegerit: id quod in narratiunculis de Pythagora et Plutone inprimis tenendum est, nedum in tragicis, ubi veritas magis etiam agnoscitur. Ac sæpe rationes, propter quas aliqua traditio suspecta habetur, rebus probe perspectis evanescunt; ut Gellii illud N. A. iii, 3. de Plautinis comœdiis in pistrino scriptis auctore Varrone, contradicere quidem ei narrationi videtur, quod Varro eas in genuinis non numeraverit; sed solvitur hoc, quum cogites, Varronem non simpliciter negasse esse eas Plautinas, sed habuisse pro fabulis antiquiorum poëtarum a Plauto in pistrino interpolatis. Postremo, ne diutius in alienis commorer, ex integris Sophoclis operibus ea, quæ satis certis argumentis extrinsecus petitis defendi nequeant, cum concessis comparata si ostenderint eundem colorem indolemque, ut ab uno non profecta esse non possint, hæc quoque erunt pro genuinis habenda. Ita reperi bonam partem certe genuinorum dramatum: cetera inter se habent spuria multa: quæ tamen sint, non liquet. Illorum igitur index est hic.

Fabulæ quæ supersunt omnes.

Οἰδίπους ὁ Τύραννος.	*Τραχίνιαι.*
Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ.	*Αἴας μαστιγοφόρος.*
Ἠλέκτρα.	*Φιλοκτήτης ἐν Λήμνῳ.*
Ἀντιγόνη.	

Deperditæ tragœdiæ.

Ἀθάμας πρότερος.	*Πηλεύς.*
Ἀθάμας δεύτερος.	*Τεῦκρος.*
Θάμυρις.	*Τηρεύς.*
Ἰόλαος.	*Τυρὼ προτέρα.*
Λαοκόων.	*Τυρὼ δευτέρα.*
Οἰνόμαος.	

Satyricæ deperditæ.

Ἴναχος.	*Τριπτόλεμος.*
Ναυσικάα.	

Minus certa argumenta sunt in his:

Ἐπίγονοι.	*Φινεὺς σατυρικὸς πρότερος.*
Λάκαιναι.	*Φινεὺς σατυρικὸς δεύτερος.*
Νιόβη.	

Jam de singulis dicatur singillatim. De Œdipo Tyranno, tragicæ poëseos summo flore, num censet quisquam esse disserendum? At in eo Sophoclem victum a Philocle tradunt Aristides T. ii, p. 422. et Argumenti scriptor. De Coloneo æque certa res. Argum. Œdip. Col. *τὸ δὲ δρᾶμα τῶν θαυμαστῶν· ὃ καὶ ἤδη γεγηρακὼς ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ.* Quo pertinet nobilis lis inter ipsum et filium Iophontem, quam inepte narrant Scriptor Vit. Sophocl. et Schol. Aristoph. Ran. 73. melius Cicero de Senect. cap. 7. Lucianus Macrob. c. 24. T. iii, p. 226. ed. Reitz. et Plutarchus An seni sit resp. gerenda. Nec obest quod de Iophonte post patris obitum Œdipum Coloneum publice prædicante narrat Valer. Max. viii, 7, ext. 12. quodque de statua ei posita ap. Script. Vit. legitur (*Ἱδρύθη δὲ ὑπὸ Ἰοφῶντος τοῦ υἱοῦ μετὰ τὴν τελευτήν,* quod Bothius absurde vertit): potest enim in gratiam cum eo rediisse; ut olim a patre diligebatur, quum ab eodem adjuvaretur in scribendis tragœdiis; potuit etiam fabulas patris magnopere filius laudare, quod rem familiarem dissiparet, justissima de causa ægre ferre. Cf. Lessing. Vit. Sophocl. p. 411. Et quid obstat, quominus, qui paucis ante diebus desipienti videretur desipere, is egregie sapere resipiscenti videretur? Novi ego nostra ætate scenicum poëtam et duos philosophos de uno eodemque homine, sed eo vere furioso, intra septem dierum spatium sensisse tam diversa, ut primum, cum ipsorum curæ traditus esset, in eo divinam mentem emersisse, at paullo post eundem mente captum pronunciarent. Et vestigia senectutis in Coloneo Œdipo agnoscimus et nos cum Jacobsio Additt. ad Sulzer. Theor. T. iv,

P. i, p. 146. 'Ajacem flagelliferum' expressit adeo Plato Theætet. p. 191. A, quod ille certe non facturus fuisset in alio quam majore Sophocle; et acta fabula ante Philoctetam, quod nisi e Philoct. vs. 412. at certe e vss. 1047—1057. colligitur, ubi Sophocleæ Ajacis exitus respicitur manifeste. Sed Philocteta in Lemno edita Glaucippo Archonte Ol. XCII, 3. a Sophocle, qui primus fuit renunciatus sec. Argum. Philoctet. Antigona edita circiter Ol. LXXXIV, 3. v. Cap. 8. Sic restant ex superstitibus Electra et Trachiniæ, pro quibus diserta testimonia non reperio, sed tantam cum ceteris similitudinem habent, ut nefas esset de auctore dubitare. Quis enim ambigat de Electra, quam ipsi præstantissimæ Antigonæ merito Dioscorides junxit in epigrammate:

῞Ηδ' ἐνὶ χερσὶν
Κούριμος ἐκ ποίης ἧδε διδασκαλίης;
Εἴτε σοι Ἀντιγόνην εἰπεῖν φίλον, οὐκ ἂν ἁμάρτοις,
Εἴτε καὶ Ἠλέκτραν· ἀμφότεραι γὰρ ἄκρον.

Multum profecto juvaremur hac in re, si melius nobis prospectum esset de temporibus fabularum Sophoclis: nunc vel minima curiose colligenda sunt, quæ promovere eorum cognitionem possint. Quapropter non negligendum, quod ap. Athen. x, p. 453. Clearchus tradidit. Postquam Callias Atheniensis, paullo Strattide antiquior, æquali Aristophanis, grammaticam tragœdiam edidit, ei obsecutus in Medea Euripides cantica ad illius normam formavit: quo audito, Clearchus ait, Sophocles in Œdipo Calliæ illud imitatus est, ut syllabam in fine trimetri eliderct. Ita optime rem explicuit Hermannus in ea, quam cap. 7 laudavi, dissertatione p. 10, sqq. Exempla sunt in Œdipo Tyranno vss. 29, 332, 785, 1184, 1224. Itaque Œdipus Rex post Euripidis Medeam edita, hoc est, post Ol. LXXXVII, 1. Jam 'eam elisionem, Athenæo auctore, abjudicare debemus ab omnibus tragicorum fabulis, quæ ante Sophoclis Œdipum editæ sunt.' (Hermann. l. c. p. 16.) Atqui hæc elisio reperitur Electræ vs. 1017. itaque ea recentior Œdipo Tyr. id quod aliunde novimus de Coloneo Œdipo, in qua idem habes vss. 16. 1164. Notes autem in

Œdipo Rege, ubi primum poëta Calliam secutus est, pluries eam elisionem Sophoclem posuisse, quum novitate placeret, postea remisisse paullatim, neque in Ajace usum neque in Philocteta, licet postea doctis. Unus Sophoclis locus superest ab Hermanno non citatus Antigonæ vs. 1031.

Εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω· τὸ μανθάνειν δ'
Ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος φέρει.

Ita editiones, quotquot vidi, excepta, quam nihil moramur, Bothiana: et hic quoque locus firmat Hermanni regulam, ibi potissimum syllabam elidi in fine senarii, ubi 'proxime prægressa sit interpunctio, quæ quod pausam in pronunciando fieri jubet, ea quæ deinde sequuntur arctius conjungi postulat.' (l. l. p. 17.) Tamen Antigona multo ante Œdipum acta: superest igitur, ut iterum edita sit, quo et Satyrus ducit in Vit. Sophocl. eam publice sive lectitatam sive actam causam mortis poëtæ tradens fuisse. Sed et Euripidis Iphigenia in Tauris, ut hoc obiter moneam, edita post illud tempus propter vs. 961. qui locus unicus est in Euripide. (Hermann. l. l. p. x.) Invenitur quidem etiam in Iphigeniæ Aulidensis vs. 930. si cum ed. Ald. et Cod. C. scribas πεισόμεθ', ejus vocis loco, quæ nunc ibi habetur πείσομαι; at recte legitur πείσομαι: nam in hac elisione ultima versus syllaba non potest anceps esse, sed longa est necessario. Eandem elisionis rationem tenuit Xenarchus Comicus ap. Athen. xiii, p. 569. c.

Δεδιότα τ', ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχονθ',
Ἃς πῶς ποτ', ὦ δέσποινα ποντία Κύπρι.

Venio jam ad deperditas Sophoclis tragœdias. Posterioris Athamantis mentio est in Nubibus Aristophanis vs. 256. ubi v. Schol. itaque genuina utraque: acta enim Nubes Ol. LXXXIX, 1. Isarcho Archonte, et quæ in ea emendavit, certe multo ante Ol. XCV, 4. facta sunt, ut Hermannus ostendit in Præfatione. In Thamyri Sophocles ipse vatis egit partes. Athen. i, p. 20. F. de Sophocle: *Καὶ τὸν Θάμυριν διδάσκων αὐτὸς ἐκιθάρισεν.* Vit. Sophocl. *Φασὶ δὲ ὅτι καὶ κιθάραν ἀναλαβὼν ἐν μόνῳ τῷ Θαμύριδί ποτε ἐκιθάρισεν·*

ὅθεν καὶ ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ μετὰ κιθάρας αὐτὸν γεγράφθαι. Cf. Lessing. Vit. Sophocl. p. 360. Iolaus carpitur ab Aristophane Equitum vs. 496. actæ Ol. LXXXVIII, 4. Stratocle Archonte sec. Argum. Eqq. Cf. Schol. ad l. c. Laocoontem Aristophanes respicit Ranis vs. 678. acta Ol. XCIII, 3. Callia magistratu: Œnomaum Avium vs. 1337. (ubi v. Schol.) actæ Ol. XCI, 2. Chabria Archonte sec. Argum. Av. Peleus, si scholiis fides, deridetur Eqq. vs. 1098. Av. vs. 852. 858: utraque vero hæc comœdia mature edita. Teucrum respexit Nub. vs. 583. ubi v. Schol. Tereum, quæ ante Philoclis fabulam cognominem scripta est, spectat Av. 100. (cf. Schol. v. 280.) Tyronem Ran. 360. Av. 276. et hic quidem secundam, item vss. 138, 139. Lysistratæ (ubi v. Schol.) actæ Ol. XCII, 4. Archonte Diocle. V. Petit. Misc. i, 12. et Musgrav. Chronol. scenic. h. a. Hæ igitur tragœdiæ omnes actæ ante Ol. XCV, 4. ideoque sunt genuinæ. Postremo satyricam Inachum præter Plut. 807. (ubi v. Schol.) et Ecclesiazus. 80. (ubi v. ead.) irridet Aristophanes Avium 1203. ubi v. Schol. coll. Böttigero de Fur. Person. p. 123. itaque et hæc majoris Sophoclis est, non propter Ecclesiazusas quidem actam circiter Ol. XCVI, 4. v. Petit. Misc. i, 15. Palmer. Exercitt. p. 776. sed propter Avium versum. Nausicaam ipse Sophocles egit in satyrica cognomine. Athen. l. c. Ἄκρως δὲ ἐσφαίρισεν, ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκε, unde habet Eustath. ad Odyss. Z, p. 250. 28. Postremo de Triptolemo jam explicui. Superest, ut de iis fabulis agatur, in quibus minus certæ auctoritatis testes habemus. Epigonos egit Andronicus tragœdus, teste Athenæo xiii, p. 584. ubi Sophoclis fabulam, non Æschyli intelligi non sine verisimilitudine Brunckius contendit. Vixit ille cum Gnathæna meretricula, quæ est æqualis Phrynæ, Chærephonti, Diphilo Comico. Potuit igitur acta esse etiam post Ol. XCV, 4. Strabonis locus quidam est hic: Τὴν δὲ Λᾶν οἱ Διόσκουροί ποτε ἐκ πολιορκίας ἑλεῖν ἱστοροῦνται, ἀφ᾽ οὗ δὴ Λαπέρσαι προσηγορεύθησαν. καὶ Σοφοκλῆς λέγει που·

Νὴ τὼ Λαπέρσα, νὴ τὸν Εὐρώταν τρίτον,
Νὴ τοὺς ἐν Ἄργει καὶ κατὰ Σπάρτην θεούς.

Hæc ad Lacænas pertinere probabiliter putat Meursius: jam vero minorem Sophoclem legimus negasse divinitatem Castoris et Pollucis, quæ tamen hic agnosci videtur, quamquam ne hoc quidem plane apertum: deinde, etiamsi illud statuatur, tamen inde non necessario colligitur, esse locum majoris Sophoclis, quoniam minor in aliis dramatis negare, in aliis affirmare poterat. Nioben actam ab Œagro tragœdo Aristophanes memorat Vesp. 577. sed notat Schol. ambiguum esse utrius significetur tragœdia, Æschyli an Sophoclis. Ceterum Vespæ acta Ol. LXXXIX, 2. Aminia magistratu. V. Argum. Phineus nescio utra derisa Pluti vs. 635. Plutus autem data quidem et multo prius, sed iterata Ol. XCVII, 4. V. Palmer. l. l. p. 786. et quamquam nonnulla ex priore obvia sunt in superstite, tamen potissima pars posterioris est, ostendente absentia lyrici chori. Cf. Petit. Legg. Att. p. 80. Nec dicas Aristophanem non imitaturum fuisse minoris Sophoclis fabulas; immo hujus poterat etiam magis, quo minus impediebat ulla religio.

Hactenus hæc: nolo enim ulterius progressus in conjectando opera abuti. Nunc quemadmodum alii prologos galeatos præmittunt, equidem galeatum epilogum subjiciam ad averruncandam invidiam malignorum obtrectatorum, qui subinde solent emergere. Tota hæc de Sophoclis fragmentis disputatio, quum ea sententia nitatur, quam cap. viii. proposui, poëtam post quinquagesimum sextum annum tantum dramatum numerum non fecisse, una cum hac et stat et cadit; quique hanc concesserit, omnia quæ sequuntur, concedat necesse est; et vicissim, si quis eam neget, is cuncta negabit. Quam quidem sententiam ut maxime probabilem dixi, ita et reliqua mihi eandem verisimilitudinem habere videntur: argumenta omnes dubitationes removentia produxisse minime credo, licet id non singulis paginis repetito dixerim. Atque utut censeas, fatendum est, quæ diximus, et inter se consentire, nec curiose quæsita sed sponte oblata esse, ut certe et proferri semel debuerint et mirum sit, cur adhuc accuratius non fuerint tractata; immo nisi a nobis ista ventilata forent, olim procul dubio alium hoc facturum fuisse: qua in re

laudem ponimus, quam nemo eripiet, maturius invenisse, quæ quandocunque inventa fuissent; hac enim re proprio vocabuli sensu promoventur litteræ. Quodsi cui summa quæstionis displicuerit, capiat inde cetera utilia, si qua obiter docuimus; ac nisi aliunde hoc didicerit, ab omni parte caute pervestigandarum rerum exemplum inde discat. Sed nihil prohibet, quominus nostra vera sint: an sint, potest ambigi. Vulgaris sententia eo potissimum auctoritatem habet, quod vulgaris est: nostra habet quo nobis, vulgaris fortasse quo aliis sese magis commendet: atqui ut nos vulgarem tanquam falsam plane convincere non possumus, ita ne nostra quidem neque ex sese neque ex alia quacunque certo refutari potest, neque ea pertinet ad futilium conjecturarum numerum. Varia nobis opponentur, quæ non ignoramus: probe novimus, aliam Græcorum senectam fuisse, serenam illam et lætam et vegetam, aliam nunc nostrorum esse, gravem plerumque, tristem et enervem: probe novimus, ad summam senectutem Sophoclem tragœdias fecisse, ut propter id studium rem familiarem negligere videretur; probe novimus, Grammaticorum tabulis Alexandriæ classicos in quoque genere scriptores selectos a vilioribus esse, quo instituto minorem Sophoclem oppressum fuisse putes; hæc, inquam, et alia non ignoramus, sed quantum valeant, nec nos latet, neque opinor alios latebit. ‘ Artis criticæ est nosse, ultra quem finem progredi non liceat in vero quærendo;’ hoc summi viri præceptum tum ipse mihi videor servasse, tum adversariis, si qui erunt, commendo ut servent in propriis sententiis examinandis. Denique non est, quod rem religioni habeam. Haud mihi conscius sum in hac causa sive tacendis iis, quæ non essent in meam sententiam, sive detorquendis auctorum verbis, sive eorum fide elevanda fraudem me fecisse, aut dubitando egisse intemperantius, aut in quærendo negligentius.

CAPUT XII.

Judæi falsarii scenicis poëtis versus supponunt. De interpolatione sextæ Platonicæ epistolæ.

Quæstionibus Sophocleis appendicis loco quædam addam de sero suppositis huic poëtæ fragmentis ab auctoribus Judæis partim veteris testamenti asseclis, partim Christianis. Nam ut Clytæmnestram mittam, satis recentem monachi fœtum, de qua dixerunt Eichstadius et Car. Lud. Struvius, ætate Alexandrinorum poëtarum et litteratorum docti Judæi, inprimis Aristobulus, ad augendam et populi sui famam et religionum fidem, impia magis quam pia fraude, Hebræorum naturæ insita, celeberrimis Græcorum poëtarum multos versus supposuerunt, ut Aristobulus Orpheo, Lino, Homero, Hesiodo: qua de re acutissime egit Valckenarius de Aristob. Jud. p. 5. 38. Quæ pestis eo manavit, ut ipsos scenicos poëtas invaderet. Fictis his fragmentis Christianæ ecclesiæ patres, alius ab alio transmissa accipientes, usi posthac sunt, quo novas religiones Græcis persuaderent facilius atque eos traducerent ad suæ fidei confessionem. Neque hoc Valckenarium fugit, quo nemo in rebus omnibus acutior inveniri potest. Hic igitur l. l. §. 2. Justinum Martyra dicit primum habere 'multos versus, præter oracula Sibyllina, velut Sophoclis, Æschyli, atque aliorum aut interpolatos absurdis emblematis, aut fictos prorsus et adulterinos;' eos tamen non ipsum fecisse patrem simplicissimum. In quo egregio Critico plane assentior; atque eam provinciam volo nunc ornare, ut spuria ista detegam argumentis apertis. Nam multi sunt homines pereruditi sed mentis et naris paullo obtusioris, qui quidquid tenere non liceat ἀπρὶξ ταῖς χερσὶ, non intelligunt: his nisi minus subtilibus rationibus os obturabitur, castigabunt nos ad modum Chr. Frid. Matthæi in Sophocl. Clytæmn. vs. 193. ubi, 'Lepida sunt,' inquit, 'inter eruditos capitula. Fortasse ergo ex hoc vocabulo aliquis ingeniosior et acutior criticus docebit, hanc tragœ-

diam consutam esse ab aliquo monacho, qui hoc vocabulum apud solos LXX, et N. T. repererit.' Hæc ille. Ac sane lepida sunt inter doctos capitula: qualis quidem capituli insigne exemplar haud longe repetendum est. Sed venio nunc ad rem. Liber fuit Hecatæi nescio cujus de Abramo et Ægyptiis citatus ap. Clem. Alex. Stromm. v, p. 717. ed. Potter. quem Abderitæ Hecatæo abjudicant et ab Hellenistis confictum contendunt Jos. Scaliger Epist. ad Casaubon. 115. et Rich. Bentleius Epist. ad Mill. p. 463. p. 530. ed. Lips. præter alios. V. de hoc scripto doctissime disputantem Creuzerum nostrum Fragmm. Hist. Gr. p. 37. sqq. In eximiorum criticorum partes concessit Valck. de Aristob. Jud. p. 18. Nuper tamen exortus est Gallus doctissimus, Sanctocrucius in Examine Critico Histt. Alex. M. p. 558. neutiquam dubitans, quin hic liber genuinus Hecatæi fuerit, quod judicium et post ea, quæ Bentleius dixit, miror, et hac, quam ordior, disputatione labefactabo haud mediocriter. Nempe ex eo scripto venisse dico, quidquid spuriorum versuum nomine tragicorum a patribus circumfertur. Ejus enim auctoritate Clemens et Justinus nituntur: *Σοφοκλῆς*, ait ille, *ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ τὰς ἱστορίας συνταξάμενος ἐν τῷ κατ' Ἄβραμον καὶ τοὺς Αἰγυπτίους*, ubi deinde infert hos versus, quos dabo ex Brunckiana recensione:

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα κἀνέμων βίας.
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκέους
Ἢ χρυσοτεύκτους ἢ 'λεφαντίνους τύπους·
Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις
Νέμοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Quos versus quoniam Bentl. ll. ll. explosit diligentissime, nolo nunc multus esse, præsertim accedente Brunckio Fragmm. Sophocl. p. 683. Possent enim plura addi de Hellenistico hujus fragmenti idiomate: ut formulam *ταῖς ἀληθείαισιν* apud tragicum legere me non memini, sed apud

unum Philemonem p. 364. Collect. Cleric. coll. Grot. Excc. p. 777. et apud Aristænetum ac Charitonem, cf. Dorvill. ad Charit. p. 397. ed. Lips. frequentius autem apud LXX, 2 Macc. iii, 9. εἰ ταῖς ἀληθείαις ταῦτα οὕτως ἔχοντα τυγχάνει. vii, 6. καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑφ' ἡμῖν παρακαλεῖται. Ita et ἀνέμων βίας diligunt Hellenistæ. Sap. iv, 4. κἀπὸ βίας ἀνέμων ἐκριζωθήσεται.

Post hæc apud Scriptorem de Monarch. p. 38. ed. Venet. item ap. Clem. Alex. sequitur aliud fragmentum, quod ipse locus, quo positum est, ex Hecatæo esse ostendit, idque est hoc:

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν σχάσῃ
Χρυσωπὸς αἰθὴρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
Φλέξει μανεῖσα.

Sequitur continuo post, apud Clem. autem est alibi:

Ἐπὰν δ' ἄρ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν
Φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθὸς,
Γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, οὐδ' ἀὴρ ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρούμενος·
Κἄπειτα σώσει πάνθ' ἃ πρόσθ' ἀπώλεσεν.

Hæc Sophoclis non esse, cui a patribus tribuuntur, vere vidit Brunckius: nonnullæ tamen certe dictiones genuinæ sunt, reliqua ab Judæo addita. Ante hæc Justinus habet ea, quæ ap. Clem. Alex. legimus Stromm. v, p. 721. Æschylo ea tribuuntur, non addito tragœdiæ nomine, etsi in eadem pagina apud Clem. Epicharmi Politia definitur accuratius; ipsa vero sedes ex Pseudo-Hecatæo arguit ea descripta esse. Sunt hæc:

Χώριζε θνητῶν τὸν θεὸν καὶ μὴ δόκει
Ὁμοῖον αὐτῷ σάρκινον καθεστάναι.
Οὐκ οἶσθα δ' αὐτόν· ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται
Ἄπλατον ὁρμῇ, ποτὲ δ' ὕδωρ, ποτὲδὲ γνόφος,
Καὶ θηρσὶν αὐτὸς γίγνεται παρεμφερὴς,
Ἀνέμῳ νεφέλῃ τε κἄστραπῇ, βροντῇ, βροχῇ·
Ὑπηρετεῖ δ' αὐτῷ θάλασσα καὶ πέτραι,
Καὶ πᾶσα πηγὴ χὕδατος συστήματα.

Τρέμει δ' ὄρη καὶ γαῖα καὶ πελώριος
Βυθὸς θαλάσσης κὠρέων ὕψος μέγα,
Ἐπὰν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου.
Πάντα δύναται γάρ· δόξα δ' ὑψίστου θεοῦ.

Constitui versus fide Justini, Clementis, Eusebii. Ii non modo spurii sunt, sed procul dubio ab eodem homine effecti, qui prægressos concinnavit. Hac de re suboluit paullulum Bothio, qui, ut solet, rem festinanter tetigit, multaque pro more suo temere mutavit. Ille igitur ad Æschyl. p. 807. 'Omnino hæc,' inquit, 'Æschyleum colorem non habent:' nihilo tamen minus cum iis tanquam cum maxime genuinis agit, ut vs. 4. suo lubitu corrigit ποτὲ γνόφος, quod licet ap. Euseb. sit, præfero tamen quod Bothio minus eleganter dictum videtur ποτὲ δὲ γνόφος, in quo displicet anapæstus qui facillime evitari poterat: anapæstus enim est, quum γν soleat in diverbio positionem facere. V. Buttmanni nostri Grammatic. p. 270. ed. 3. Nempe anapæstos imperitus homo diligit, ut continuo post dixit, ἀνέμῳ νεφέλῃ τε, credo ut vim venti describ[...]et, quum dicere potuisset ἀνέμῳ νέφει τε, quod Grotius ex [...]tino restituit nimis, opinor, liberaliter: videtur enim [...]rectoris esse. Similiter Bothius p. αὐτὸς correxit αὖθις: '[vu]lgata legebatur corrupte,' ait, 'nam vi caret.' Quasi [...]o Æschylum haberemus: nam quid Judæo est vi opus? ɩinde scripsit:

Ἀνέμῳ νέφει τε κἀστραπῇ βροτοφθόρῳ!

ɑos autem proximos versus delevit, tamquam 'ex nescio uo psalmo depromptos et Clemente digniores quam Æschylo.' Denique corrigit, τρέμει δὲ τ' ὀργὴν γαῖα, ridiculo ɩtens argumento, 'quasi extra terram sint montes; nisi ɩuis lunæ intellexerit.' Τὸ σάρκινον, addit, 'Christiani quid spirat.' Ubi nos habemus ἐπὰν, ibi Justini et Eusebii lectionem ὅταν reposuit: de quo videro paullo post. Ex his apparet suspectum quidem locum Bothio fuisse, sed nesciisse ipsum, quid potissimum statueret: quodsi Judæorum fraudes perspectas habuisset, supersedere potuisset vano emendandi labore. Postremo ultimus versus in Æschyleorum Fragmentorum collectione vulgo perperam omittitur,

quod Stanleius de eo addubitavit: eoque effectum est, ut tamdiu locus fefellerit lectores: fefellit autem etiam Grotium, qui tamen Æschyli vetere illo junioris esse putat in Notis ad Excerpta. Etenim singula fere Hellenistica sunt, atque ea quoque, quæ Græca putes, videntur non aliunde quam ex LXX profecta esse. Ita *χωρίζεσθαί τινος* habes Esdr. vi, 21. Prov. xviii, 1. &c. *θνητὸς* ubivis est, ut Prov. xx, 24. Sap. vii, 1. *Μὴ δόκει* plane Hebraicum. 2 Macc. vii, 16. *μὴ δόκει δὲ τὸ γένος ἡμῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καταλελεῖφθαι.* Ita *σάρκινος* 2 Paral. xxxii, 8. Ezech. xi, 19. xxxvi, 26. 2 Cor. iii, 3. *καθίστασθαι* Jacob. iii, 6. iv, 4. &c. Et Græce dixisses *ὁμοῖος αὐτῷ σάρκινος καθεστάναι,* aut certe *ὁμοῖόν τινα σάρκινον καθεστάναι.* In seqq. Judæo Proteus obversabatur (ad eumque novi qui retulerit, ita ut ex Æschyli satyrica Proteo putaret esse) aut Thetis illa Sophoclea in Achillis amatoribus, quæ dicit:

> *Τίς γάρ με μόχθος οὐκ ἐπεστάτει; Λέων*
> *Δράκων τε, πῦρ, ὕδωρ.*

Etiam *ὀρμὴ* passim legitur apud Hellenistas, quorum proprium fere est vocabulum *γνόφος.* Exod. x, 22. *καὶ ἐγένετο σκότος, γνόφος, θύελλα.* Jos. xxiv, 7. *νεφέλην καὶ γνόφον.* Joel. ii, 2. *ἡμέρα σκότους καὶ γνόφου, ἡμέρα νεφέλης.* Deuteron. iv, 11. v, 22. Exod. xiv, 20. Ezech. xxxiv, 12. Job. xvii, 13. et ubivis. *Θὴρ* est Job. v, 23. 2 Macc. iv, 25. xi, 9. Sequens versus maxime Judaicum characterem habet in universo orationis progressu. *νεφέλη* et *ἀστραπὴ* junguntur Exod. xix, 16. Cantic. tr. p. 42. *ἀστραπαὶ* et *βρονταὶ* ubivis compositæ; *βροχὴ* est Psalm. lxviii, 10. cv, 32. Matth. vii, 25. 27. et hæc omnia, ventus, aqua, tonitru, fulmina, pluvia Deo juncta Jerem. li, 16. Etiam *νέφος,* si forte hoc reponendum censeas, legitur apud Hellenistas. Deinde notes recurrentem semper parallelismum; primum dixit Deum 'fieri' aquam, 'fieri' montem, et similia; nunc pergit: 'Servit' ei aqua, 'servit' mons &c. postremo, 'Extremiscunt' ei montes, 'extremiscunt' aquæ et quæ sequuntur. Atque in singulis repetitur is parallelismus, ut *πᾶσα πηγὴ* et *ὕδατος συστήματα,* quod plane idem est, nec differt magnopere a prægressa *θαλάσσῃ*; item *ὄρη* et *γαῖα,* atque iterum idem *βυθὸς θαλάσσης*

et ὀρέων ὕψος μέγα. Hæccine tamdiu pro Æschyleis habita esse? Πᾶσα πηγὴ est maxime Hellenistis usitata. Genes. vii, 11. ἐῤῥάγησαν πᾶσαι αἱ πηγαὶ τῆς ἀβύσσου. 4 Reg. iii, 19. καὶ πάσας πηγὰς ὕδατος ἐμφράξεσθε. 25. πᾶσαν πηγὴν ὕδατος ἐνέφραξαν. Ita et ὕδατος συστήματα. Genes. i, 10. καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς τὴν ξηρὰν γῆν, καὶ τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων ἐκάλεσε θαλάσσας. Ezech. xxxi, 4. τοὺς ποταμοὺς αὐτῆς ἤγαγε κύκλῳ τῶν φυτῶν αὐτοῦ, καὶ τὰ συστήματα αὐτῆς ἐξαπέστειλεν εἰς πάντα τὰ ξύλα τοῦ πεδίου. Jerem. li, 32. καὶ τὰ συστήματα αὐτοῦ ἐνέπρησαν ἐν πυρί. Reliqua verba ubivis in LXX sunt: ad sententiam cf. modo Jerem. iv, 24. εἶδον τὰ ὄρη καὶ ἦν τρέμοντα. Psalm. ciii, 32. ὁ ἐπιβλέπων ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ποιῶν αὐτὴν τρέμειν, ὁ ἁπτόμενος τῶν ὀρέων, καὶ καπνίζονται. Adeo γαῖαν Hellenistæ dicunt, Esdr. ix, 14. Psalm. lxviii, 11. Ita et βυθὸς θαλάσσης. Psalm. lxvii, 24. ἐπιστρέψει ἐν βυθοῖς θαλάσσης. Ἄβυσσος et γῆ, ut hic βυθὸς et γαῖα, junguntur etiam Sirac. xvi, 19. ἄβυσσος καὶ γῆ σαλευθήσεται; et de motu eorum v. Psalm. lxxvii, 15. 18. Ad ὀρέων ὕψος μέγα cf. 2 Macc. ix, 8. καὶ πλάστιγγι τὰ τῶν ὀρέων οἰόμενος ὕψη στήσειν. Iesai. xxxvii, 24. ἐγὼ ἀνέβην εἰς ὕψος ὀρέων. Psalm. xciv, 4. Καὶ τὰ ὕψη τῶν ὀρέων αὐτοῦ εἰσίν. Vox ἐπὰν reperitur quidem ap. Plat. Rep. l. c. ab Intpp. Thom. M. p. 332. et ap. Eurip. Herc. F. 1364. ut ap. Hom. ἐπὴν, sed Hellenistica potissimum est. V. Matth. ii, 8. Luc. xi, 22. 34. ideoque lectionem ὅταν non probo. Ἐπιβλέπειν ubivis est in LXX, ut Psalm. l. c. Sirac. xvi, 18. ἰδοὺ ὁ οὐρανὸς καὶ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ τοῦ θεοῦ, ἄβυσσος καὶ γῆ σαλευθήσονται ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτοῦ, ἅμα τὰ ὄρη καὶ τὰ θεμέλια τῆς γῆς, ἐν τῷ ἐπιβλέψαι εἰς αὐτὰ τρόμῳ συσσείονται. Et quid congeram locos de oculis Dei, atque adeo de oculo numero singulari dicto? Etiam δεσπότης Judaicum est, etsi hoc Græcus quoque de domino naturæ usurpare poterat, licet is ne deos quidem dominos suos agnoverit. V. Heindorf. ad Phædr. Plat. p. 338. Sirac. xxxvi, 1. ἐλέησον ἡμᾶς δέσποτα ὁ θεὸς πάντων. Et quid dicam de ultimo versu? qui sive, ut vulgo, legatur, sive ut Potterus censet cum hiatu (quæ sane egregia falsarii imperitia esset),

Πάντα δύναται γὰρ δόξα ὑψίστου θεοῦ,

sive tandem, ut scribendum arbitror,

Πάντα δύναται γὰρ δόξα θοὐψίστου θεοῦ,

plane hebraizat. Ζεὺς ὕψιστος Græcorum est, ut Pind. Nem. xi, 7. Æschyl. Eumenid. 26. τέλειον ὕψιστον Δία, ut Thebis ap. Pausan. ix, 8, 3. apud Corinthios ib. ii, 2, 7. et Alti ib. v, 15, 4. Sed videamus loca Hellenistarum. Mich. vi, 6. ἀντιλήψομαι θεοῦ μου ὑψίστου. Dan. v, 18. ὁ θεὸς ὁ ὕψιστος τὴν βασιλείαν καὶ τὴν μεγαλωσύνην καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δόξαν ἔδωκε κ. τ. λ. Sirac. l, 20. Genes. xiv, 18. 19. 20. 22. Psalm. lvi, 3. Dan. iii, 27. Marc. v, 7. Luc. viii, 28. &c. Et sic δόξα θεοῦ Sirac. xliv. 2. Psalm. cxxxvii, 6. et ubivis. Ita πάντα δύνασθαι Psalm. cxxxvii, 6. Job. xlii, 2. Magis autem sermo veteris testamenti quam novi est in his versibus, unde conjicio Christiani non esse: immo manifeste idem auctor est, qui modo adscripta fragmenta fecit: ut hic est ἐπὰν, ita et in Pseudo-Sophocle ἐπὰν δ' ἄρ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν: similes ibi etiam versus illi, ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε κ. τ. λ. et ibi est κυμάτων ἅπας βυθὸς, ut h. l. πελώριος βυθὸς θαλάσσης.

Apud Clem. Alex. Stromm. v, p. 205. et Euseb. Præp. Evang. xiii, p. 682. locus est Menandro tributus et inde relatus in Cleric. collect. p. 268.

Εἴτις δὲ θυσίαν προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Ταύρων τε πλῆθος ἢ 'ρίφων ἢ νὴ Δία
'Ετέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδος ἤτοι πορφυρᾶς,
Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
Εὔνουν νομίζει τὸν θεὸν καθιστάναι,
Πεπλάνητ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κούφας ἔχει.
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
Μὴ παρθένους φθείροντα, μὴ μοιχώμενον,
Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν.
Μηδὲ βελόνης ἔναμμ' ἐπιθυμῇς, Πάμφιλε,
'Ο γὰρ θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών.

In his non dubito quin nonnulla vere Menandri sint: alia ab interpolatore mutata aut adjecta videntur. Ita illud ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια partim ob insolentem usum præpositionis διὰ p. ἐκ, partim propter similitudinem illorum Pseudo-Sophoclis versuum,

Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων, ἢ χαλκέους
Ἢ χρυσοτεύκτους ἢ 'λεφαντίνους τύπους,

valde suspectum est: nec minus seqq., in quibus statim recurrit *καθιστάναι* et *πλανᾶσθαι*, quæ novimus Hellenistarum esse. Etiam *χλαμύδος* haud rarum est apud hos; et ultimus versus merito potest confictus videri. Eadem, credo, conditio est versuum sequentium, quos pro Menandreis afferunt iidem:

Μηδὲ βελόνης
Ὦ φίλτατ', ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.
Ὁ γὰρ θεός γ' ἔργοις δικαίοις ἥδεται·
Πονοῦντα δ' ἐᾷ τὸν ἴδιον ὑψῶσαι βίον,
Τὴν γῆν ἀροῦντα νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν.
Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
Βροντῆς ἀκούσας μηδαμῶς πόῤῥω φύγῃς,
Μηδὲν συνειδὼς αὐτὸς αὑτῷ, δέσποτα.

Ultimum versum ut repetitum ex prioribus cum Clerico omisi. Præterea leg. *καὶ λαμπρὸς ὤν*, ut cetera taceam. Ex eodem Justino et Clemente feruntur versus Euripidis hi ap. Grot. et Barnes.

Εἴ τις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφ' ἡμέραν
Κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἁλίσκεται.
Ὅτε δ' ἂν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ δίκη,
Τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἧρξεν κακῶν.
Ὁρᾶτ' ὅσοι νομίζετ' οὐκ εἶναι θεόν,
Δὶς ἐξαμαρτάνοντες οὐκ εὐγνωμόνως.
Ἔστιν γάρ, ἔστιν· εἰ δέ τις πράσσει κακῶς,
Κακὸς πεφυκώς, τὸν χρόνον κερδαινέτω.
Χρόνῳ γὰρ οὗτος ὑστέρῳ δώσει δίκην.

His ap. Justin. præfigitur versus plane *ἄμετρος*:

Ἄφθονον βίου μῆκος δίδωσι πρὸς κρίσιν.

Apud Clementem sic legitur:

Ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς μῆκος βίου
Δίδωσιν· εἴ τις δ' οἴεται τοὐφ' ἡμέραν

etc. unde satis apparet, varie hæc interpolata esse. Docuit autem Valckenarius l. l. quinque versus esse Euripidis genuinos e Phrixo:

Ὅστις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφ' ἡμέραν
Κακόν τι πράσσων τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ καὶ δοκῶν ἁλίσκεται.
Ὅταν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ Δίκη,
Τιμωρίαν ἔτισεν ὧν ἦρξεν κακῶν.

Plura vide ap. Valck. Clementis lectio,

Ὁρᾶτ' ὅσοι δοκεῖ τε οὐκ εἶναι θεόν,

turpi hiatu laborat. Illud ἔστιν γὰρ, ἔστιν valde adamavit iste Judæus. Ita habuimus,

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν θεός,

et,

Ἔσται γὰρ, ἔσται κεῖνος αἰῶνος χρόνος.

Ni fallor, obloquitur Euripidi, cujus hoc est ex Bellerophonte,

Φησίν τις εἶναι δῆτ' ἐν οὐρανῷ θεούς;
Οὐκ εἰσὶν, οὐκ εἴσ'· εἴ τις ἀνθρώπων λέγει,
Μὴ τῷ παλαιῷ μωρὸς ὢν χρήσθω λόγῳ.

Ut in plurimis horum spuriorum versuum magna lectionum, ordinis, auctorum est confusio, ita etiam invenitur in sequenti fragmento, quod ap. Justin. Philemoni tribuitur, ap. Clem. Diphilo: scilicet parum sibi Judæis falsariis constantibus. Est hoc tale.

Οἴει σὺ τοὺς θανόντας, ὦ Νικήρατε,
Τρυφῆς ἁπάσης μεταλαβόντας ἐν βίῳ,
Πεφευγέναι τὸ θεῖον ὡς λεληθότας;
Ἐστὶν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Καὶ γὰρ καθ' Ἅιδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀδίκων ὁδόν.
Εἰ γὰρ ὁ δίκαιος κἀσεβὴς ἕξουσιν ἕν,
Ἅρπαζ' ἀπελθὼν, κλέπτ', ἀποστέρει, κύκα.

Μηδὲν πλανηθῇς, ἔστι κἀν Ἅιδου κρίσις,
Ἥνπερ ποιήσει θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
Οὗ τοὔνομα φοβερὸν, οὐδ' ἂν ὀνομάσαιμ' ἐγώ.

Mitto varias lectiones, quarum hic quoque magnus numerus est, mitto trajectiones ceterosque errores: unum dico hoc, aliquid certe ex Græca comœdia profectum videri, sed illud misere interpolatum. Notes autem hunc locum cohærere cum præcedente; nam apud Clementem continuatur ita:

Ὃς τοῖς ἁμαρτάνουσι πρὸς μῆκος βίον
Δίδωσιν·

quibus jam cetera adjecta erant. Sic apud primitivum auctorem nescio quem Hellenistam uno tenore decurrebant. De eo loco Clericus in Collect. Fragmm. p. 362. 'Quamvis,' ait, 'hi versus forte possint suspecti haberi, quasi a Judæo aut a Christiano primum facti, sub Diphili aut Philemonis nomine; attamen ab Ethnico potuit melius dici quod hic habetur de nomine Dei non proferendo.' Ego vero nunc planissime ostendam, nisi alia, de quo nunc non dicam amplius, at certe tres postremos versus ab Hellenista fraudulenter adjectos esse. Quanto sublimior est Atticus poëta, qui et ubi de Orco dicit, sidera vertice tangit, Æschylus Suppl. vs. 231.

Οὐδὲ μὴ 'ν Ἅιδου θανὼν
Φύγῃ ματαίων αἰτίας πράξας τάδε.
Κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας.

Μηδὲν πλανηθῇς Hellenisticum est. Prov. i, 10. *υἱὲ, μή σε πλανήσωσιν ἄνδρες ἀσεβεῖς.* Iesai. xliv, 8. *μὴ παρακαλύπτεσθε μηδὲ πλανᾶσθε.* Prov. vii, 25. *καὶ μὴ πλανηθῇς ἐν ἀτραποῖς αὐτῶν.* Matth. xxiv, 4. 1 Cor. vi, 9. xv, 33. Galat. vi, 7. Jacob. i, 16. Operæ pretium est adscribere locum similem 1 Cor. vi, 8—10. *Ἀλλ' ὑμεῖς ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς. καὶ οὐκ οἴδατε, ὅτι ἄδικοι βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι; μὴ πλανᾶσθε, κ. τ. λ.* nam tædium subrepit transcribendi. De *ᾅδῃ* mentio est ubivis in Hellenistis, et *κρίσις ᾅδου* respondet

κρίσει τῆς γεέννης Matth. xxiii, 33. *Κρίσιν ποιεῖν* amant iidem de Deo et quolibet judice, ubi Græci dicunt saltem *κρίσιν ποιεῖσθαι*. Iesai. i, 24. Psalm. cxxxix, 13. Deuteron. x, 18. Psalm. xcviii, 4. Ezech. xxviii, 26. ubi de Deo est, *ὅταν ποιήσω κρίσιν*. Is autem dicitur *θεὸς ὁ πάντων δεσπότης*, ut h. l. ita et Sirac. xxxvi, 1. cf. Sap. vi, 7. viii, 3. Job. iv, 8. Act. iv, 24. Jud. 4. Et num Jovis nomen metuendum? Minime, obstrepente licet Clerico, sed Jehovæ potius: nempe *ἅγιον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομα αὐτοῦ* Psalm. cxix, 9. cf. xcviii, 3.

Dei sui nomen passim Judæi et Christiani Ethnicorum scriptis fraudulenta interpolatione inseruerunt: nec tamen difficile est fraudem detegere. Ita est in Platonica epistola vi, p. 323. D. ubi Scriptor nescio qui hortatur Hermiam, Coriscum et Erastum: *Ταύτην*, inquit, *τὴν ἐπιστολὴν πάντας ὑμᾶς τρεῖς ὄντας ἀναγνῶναι χρὴ, μάλιστα μὲν ἀθρόους, εἰ δὲ μὴ, κατὰ δύναμιν ὡς οἷόν τ' ἐστὶ πλειστάκις· καὶ χρῆσθαι συνθήκῃ καὶ νόμῳ κυρίῳ, ὅ ἐστι δίκαιον ἐπομνύντας σπουδῇ τε ἅμα μὴ ἀμούσῳ καὶ τῇ τῆς σπουδῆς ἀδελφῇ παιδιᾷ [καὶ τὸν τῶν πάντων θεὸν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τοῦ τε ἡγεμόνος καὶ αἰτίου πατέρα κύριον ἐπομνύντας], ὃν* (leg. *ὃ*) *ἐὰν ὄντως φιλοσοφῶμεν, εἰσόμεθα πάντες σαφῶς, εἰς δύναμιν ἀνθρώπων εὐδαιμόνων*. Quæ uncis inclusi, sunt interpolatoris (cf. Tennemann. Syst. Philos. Plat. T. i, p. 111.), et quidem Christiani, qui Deum patrem et filium Jesum Christum apud Platonem legi volebat: id quod valde delectavit sanctos patres hunc locum certatim proferentes, Clem. Alex. v, p. 255. 28. Sylb. Orig. c. Cels. vi, p. 288. Hœschel. Euseb. Præp. Evang. xiii, p. 675. c. Cyrill. adv. Julian. viii, p. 270. A. Nec tamen hæc epistola a Christiano conficta est, sed agnoscitur ab Ethnicis, a Thrasyllo aliisque, etiam abs Timæo Lexicographo ex ea quædam imitante p. 2. ed. Ruhnk. Turpis error est Menagii ad Diog. L. iii, 61. qui eam ne legerat quidem neque omnino norat. Tamen nolim quisquam epistolam Platonis esse putet, propterea quod a Christiano scripta non sit; potius et hæc et ceteræ spuriæ sunt, exceptis 7, 8, et credo 3, quas quidem suis parum idoneis argumentis Meinersius neutiquam prostravit.

CAPUT XIV.

In Græcis tragœdiis, præsertim Euripidis, multa in spectatorum, multa in partium favorem dicuntur, multa ex temporis historia illustranda. In Hippolyti coronati iterata recensione temporum est habita ratio. Num de Palamede similiter statuendum sit.

Apud Platonem in elegantissimo colloquio, cui a Gorgia Sophista nomen impositum est, multis disputatur in eam sententiam, tragœdiam non ad optimum neque ad emendandam civitatem sermones suos dirigere, sed hoc agere unice, ut spectantibus gratificetur, horum voluptati inserviat, horum suffragia ferat; ac si modos, numeros, metra subtraxeris, nihil superesse nisi verba ad magnam populi multitudinem in publico facta, pro concione puerorum et mulierum promiscue ac virorum, servorum et liberorum: ita ut hæc magnifica et admirabilis maxime tragœdiæ poësis revera nihil differat ab oratoria arte, sed, ut hæc, plebis sit adulatrix. Durum hoc est gravissimi viri judicium, neque illud nobis magnopere placet: at veteris tragœdiæ indole excusatur quodammodo. Primum enim ex iisdem rationibus, quibus universam popularium suorum poësin Plato damnabat, ne tragœdiæ quidem favere poterat, propterea quod hæc quoque vitas hominum imitabatur, improbos æque ac probos mores describens; deinde Platonis quidem ætate hoc genus poëseos magnam habuit cum rhetorice affinitatem, ex quo Euripides liberius et frequentius de pulpito dicere cœpit talia, quæ partim 'philosophorum scholis,' partim 'forensi suggestui' magis convenirent, quam Bacchi theatro. Ex quibus necesse est Platoni alterum cum maxime arrisisse, quod præcepta morum ex histrionum ore sonarent, alterum vero non minus displicuisse, quum publicis civitatis negotiis poëtæ sese immiscerent. Et de illa quidem re audiamus Valckenarium Diatr. p. 250. egregie disserentem. 'Socratis,' inquit, 'exemplum secutus istac jam ætate corruptos civium suo-

rum mores emendare studuit Euripides, ἄξιος ὡς ἀληθῶς Σωκρατικῆς διατριβῆς, ut vere Clementi dicitur Alex. in Protr. p. 65, 12. Si præstare non adeo potuit, facere tamen conatus est, quod poëtam decere dicit Agathon in Aristoph. Ran. vs. 1041. Pro istius ævi licentia malos cives nominatim insectabatur Aristophanes, quorumdam etiam optimorum irrisor maledicentissimus. Humanitatis amans Euripides sub heroicis personis, antiquis certe, vitia civitatis Atticæ plurima modeste notavit; nullum frequentius, quam bonis civibus et civitati perniciosum eloquentiæ studium.' Quam in rem erudite disputat p. 255 sqq. Sed ejusmodi plura adhuc investiganda sunt: quibus neglectis veterum dramatum intelligentia nunquam perfecta erit. Ita quod in Phœnissis vss. 472 sqq. Eteocles cum fratre colloquens omne jus fasque spernit, pro honesto, pro æquo, pro pio impotentem vim exercendam, immanissimis quibusque et injustissimis cupiditatibus obtemperandum esse profitetur, haud dubie docetur ex Sophistarum et Rhetorum persona, hæc perditissima præcepta palam præ se ferentibus, quemadmodum ille Callicles ap. Plat. Gorg. p. 483 B sqq. et Thrasymachus Chalcedonius Rep. i, p. 338 C sqq. quorum sententiam exponit et Glauco Rep. ii, p. 358 B sqq.

Sed multo plura loca sunt, ubi Euripides oratorum more modo optimatum, modo plebis contra adversarios, modo reipublicæ Atheniensis partes suscipit contra extraneos, ejus sive studiis sive odiis accommodans fabulas : et videntur adeo multæ veterum tragœdiæ, quæ tempori inserviebant, certis occasionibus atque ad certum quempiam finem a poëtis festinatæ esse, ut proximis feriis docerentur, haud diu meditatæ, sed negligentius elaboratæ, id quod de Supplicibus et aliis apertum est, de quo dicemus paullo post. Et fuit hoc non minimum tragœdiæ commodum, quod patriæ res agebantur : inde potissimum nata facultas est admiscendi quædam ad deliniendos spectatorum animos, mireque augendum populi studium. Neque in hoc Euripides primus est, sed laudes sociorum, hostium reprehensiones reperies jam apud Æschylum, quo pertinent Pers. vss. 229—244. et quæ de Eumenidibus dixi cap. 4, atque ubivis sunt descriptiones rerum civibus gratarum et patriæ laudes,

ut apud Æschylum in fine Eumenidum, monente Böttigero de Fur. Pers. p. 6. et apud Sophoclem Œdip. Col. 668—720. Tamen negari non potest, in Euripide hoc cerni potissimum, quoniam is, ut Pollux dicit iv, 111. multa ex sua persona loquitur etiam per chorum, quod quidem *τραγικὸν*, inquit, *οὐκ ἔστιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. ἐν μέν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν, τὰς γυναῖκας, ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν, ἐκλαθόμενος ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥσπερ ἐν Ἱππονόῳ.* De hoc Euripidis more dixit jam Jacobsius noster Additt. ad Sulzer. Theor. T. v. P. ii, p. 408—410. et de singulis tragœdiis varii, ut de Bacchis Musgravius et Tyrwhittus ad vs. 201. Memorabile inprimis exemplum est descriptio Menelai Laconis, qui ab Atticis poëtis fingitur homo improbissimus, ut in Euripideis Oresta et Andromacha atque Aulidensi Iphigenia: v. Markl. ad Iphig. A. 304. Coll. Sophocl. Ajac. Flagellif. 1047 sqq. Neque immerito Barnesius, homo cetera absurdus, etsi is maxima ne cognita quidem habebat, dicit Vit. Eurip. §. 3. ‘Nemo mortalium tanta dexteritate veteres fabulas ad præsentis tunc temporis circumstantias referre unquam deprehenditur; quod maximum semper audiendi lenocinium habetur. Adeo autem se omnia auditorum suorum gratia scribere professus est, ut etiam volens sciensque nonnunquam de scenæ regulis remitteret et artem tragicam arte populari commutaret.’ Hinc est, quod Dio Chrysostomus laudat *τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου*, et quod Plutarchus vocat *Εὐριπίδην σοφὸν ἄνδρα καὶ πολιτικῶν ἐπιστήμονα σοφισμάτων*: quin multo ante utrumque Aristophanes in Ranis post Æschylum Euripidem per ludibrium induxit consilia civitati dantem. His igitur de rebus nunc expromam quædam singularia.

Hippolyti Euripidei duæ fuerunt editiones, altera *καλυπτομένου*, altera *στεφανηφόρου* nomine insignita: ex quibus illa deperdita est, hæc adhuc servatur, atque ab Auctore Argumenti dicitur esse *τῶν πρώτων*, victoriamque Athenis meruit, licet longe inferior multis aliis Euripidis fabulis; sed ipsa vitia, sententiæ inprimis immodice cumulatæ, et fortasse faustus fabulæ exitus judicum animos videntur movisse,

nisi æmulorum Iophontis et Ionis etiam minus bonæ tragœdiæ fuerunt. Verum, ni fallor, accessit aliud, ut præmio Euripides decoraretur, illud dico, quod plura in hoc dramate ad præsentem tunc reipublicæ statum dicta sunt ita commode, neminem ut latere, neminem immotum recordatione calamitatum relinquere potuerint. In Hippolyto velato finis egregius fuit hic (Fragm. 18.):

Ὦ μάκαρ, οἵας ἔλαχες τιμᾶς,
Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην.
Οὔποτε θνατοῖς ἀρετῆς ἄλλη
Δύναμις μείζων. ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ'
Ἢ μετόπισθεν
Τῆς εὐσεβίης χάρις ἐσθλή.

Non dubito quin hos versus omnes prælaturi sint istis, qui nunc claudunt tragœdiam:

Κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις
Ἦλθεν ἀέλπτως.
Πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος.
Τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς
Φῆμαι μᾶλλον κατέχουσιν.

Tamen nemo quærit, cur hæc pro illis reposita sint a poëta; ne Valckenarius quidem in hoc offendit. Ea, quæ antecedunt hos anapæstos, tanquam maxime egregia nuper laudavit A. W. Schlegelius libro Gallice scripto, comparatione inter Phædram Racinii et Euripidis p. 103. sed multo etiam majorem gratiam, quam apud nos, habebant apud Atticos auditores. Nempe ultimi versus sunt hi:

Ὦ κλείν' Ἀθηνῶν Παλλάδος θ' ὁρίσματα,
Οἵου στερήσεσθ' ἀνδρός· ὦ τλήμων ἐγώ.
Ὡς πολλά, Κύπρι, σῶν κακῶν μεμνήσομαι.

Hippolytus repetitæ editionis data Ol. LXXXVII, 4. eodem anno quo periit Pericles morbo absumptus: unde jam nequit dubium esse, hæc, *οἵου στερήσεσθ' ἀνδρὸς*, pronunciata abs Theseo heroë populari, dicta esse ad significationem nuper defuncti magni viri, ideoque etiam illa, *κοινὸν τόδ' ἄχος κ. τ. λ.* pro multo melioribus substituta esse, ut hoc

lenocinio audientium animi captarentur, utque Periclis, quo nullus de republica videretur melius meritus fuisse, memoria in tragœdia quoque celebraretur, quam ille sua munificentia tantum promoverat. Atque ejusmodi dicta quam cupide populus arripuerit, quam callide perspexerit, licet discere ex narratione de Aristide, quum doceretur Æschyli Septem adversus Thebas, si ea vera est. V. cap. v, extr. Quam bene autem tempora conveniunt! Obiit Pericles Archonte Aminia mense Metageitnione: v. Dodwell. Annal. Thucyd. p. 657. Lips. paucis interjectis mensibus sunt Lenæa, quibus acta hæc fabula erit. Etiam plus: consulto delegisse Euripidem tragœdiam hanc contendo, ut hoc anno ageretur, quod multiplex tum occasio esset talium lenociniorum. Morbi nuper grassati memoriam injicit vs. 177.

Ὦ κακὰ θνητῶν στυγεραί τε νόσοι,

et morbum potius quam Venerem deam intelligebat, quisquis audiebat versum illum:

Ὡς πολλά, Κύπρι, σῶν κακῶν μεμνήσομαι.

Nonne vero nuper Athenienses didicerant veritatem hujus sententiæ vss. 186 sqq.

Κρεῖσσον δὲ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν·
Τὸ μὲν ἔστιν ἁπλοῦν· τῷ δὲ συνάπτει
Λύπη τε φρενῶν χερσίν τε πόνος.
Πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων,
Κοὐκ ἔστι πόνων ἀνάπαυσις.

Audi modo de morbo Thucydidem ii, 51. quæ unusquisque spectatorum expertus erat: *Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ,* inquit, *ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον· καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν, δεδιότες, ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσοντος· εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο· καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι.* Et quid aliud quam consolatio ad eos, qui

propinquos et familiares lue absumptos deplorabant, est vss. 191 sqq.

'Αλλ' ὅ, τι τοῦ ζῆν φίλτερον ἄλλο,
Σκότος ἀμπίσχων κρύπτει νεφέλαις.
Δυσέρωτες δὴ φαινόμεθ' ὄντες
Τοῦδ' ὅ,τι τοῦτο στίλβει κατὰ γῆν,
Δι' ἀπειροσύνην ἄλλου βιότου
Κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας·
Μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα.

Porro ubi Phædra lecto imposita pro foribus effertur, et ubi dicit,

Ἒ, ἒ πῶς ἂν δροσερᾶς ἀπὸ κρηνῖδος
Καθαρῶν ὑδάτων πόμ' ἀρυσαίμαν;

Atheniensibus haud dubie subiit recordatio ægrotorum, de quibus Thucydides ib. 49. *Τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκάετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τ' ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν. Καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι.* Ib. 52. *Καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ.* Et cum Phædra prope vecors nec sese neque alios videtur nosse, succurrere spectatori poterat, quod idem scriptor tradidit ib. 49. *Τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους.* Postremo vide ne ea, quæ apud Euripidem vss. 405 sqq. de corruptione connubiorum dicuntur, inserta sint ad castigandam licentiam morumque effrenationem post morbum natam, qua de re Thucydidis locus est longior ib. 53. quam qui adscribi possit.

Quæ qui tenuerit, non negabit operæ pretium esse causas indagare interpolationum in repetitis fabularum editionibus: nam inexspectatam hinc lucem subinde exoriri ad alia perspicienda videbit. Ei autem rei, quam modo exposui, simile quid traditur de Palamede Euripidis. Ex ea fertur fragmentum hoc:

'Εκάνετ' ἐκάνετε
Τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί,

Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν
Ἀηδόνα Μουσᾶν,
Τῶν Ἑλλάνων τὸν ἄριστον.

Quæ audiens fertur totum theatrum illacrymasse, propterea quod Socrates significaretur: v. Diog. Laërt. ii, 44. Argum. Isocr. Encom. Busirid. Sed obiit Socrates Ol. xcv, 1. unde Valckenarius Diatr. p. 191. perquam dubitanter de hac re loquitur et ipse ego supra cap. v. extr. nam Euripides jam Ol. xciii. obiit, et Palamedes Euripidis docta Ol. xci. secundum Ælian. V. H. ii, 8. Schol. Aristoph. Av. 842. citante Musgravio in Chronol. Scenic. Itaque aut falsa hæc sunt, quod tamen nequeo mihi persuadere: nimis enim illa in Socratem quadrant: aut vere Petitus dixit post mortem Socratis actam esse fabulam: ita tamen, ut iterato tum producta esset, et ea ipsa ab interpolatore, credo, addita fuissent: in quo mea sententia discrepat a Valckenarii, qui cetera similiter judicavit.

CAPUT XVI.

Feriæ, quibus fabulæ doceri solitæ. Sophoclis et Euripidis obitus diligentius definitus. Didascalica alia.

Quæ hactenus explicui licet omnia conjuncta sint cum quæstione nostra de interpolatione dramatum, tamen ea conjunctio valde sæpe laxa et longinqua est: hoc autem capite jam proponam talia, quibus continuo post in ipsa re utar; et versabitur hoc totum in demonstrandis, quam fieri poterit, accuratissime tribus his terminis, quorum duo primi propter tertium potissimum inveniendi sunt: primo, 'Euripidem defunctum Callia Archonte Ol. xciii. 3. ante mensem Posideonem,' id est, 'ante obitum Sophoclis medio Posideone accidentem Liberalibus Piræensibus;' altero, 'Ranas docuisse Aristophanem eodem anno, Chytris, me-

dio Anthesterione;' denique tertio, 'Iphigeniam Aulidensem, Alcmæonem, Bacchas una actas non ante magna Dionysia ejusdem anni, medio mense Elaphebolione.' Sed priusquam ad hæc accedam, mihi cum lectore conveniendum erit de 'Bacchicis festis,' de quibus superiore demum sæculo accuratius disputatum est a duumviris peritissimis, Dav. Ruhnkenio ad calcem Hesychii, et Barthelemio in Commentt. Acad. Inscriptt. T. xxxix, p. 172. ita tamen ut posthac nonnulla addere potuerit vir egregius mihique amicissimus Spaldingius Præf. ad Demosth. Midian. p. xiii, sqq. Convenit nunc inter omnes, tria fuisse harum feriarum genera: 'Ruralia Dionysia, Lenæa sive Anthesteria,' qui tres sunt dies suo quisque nomine distincti, et 'Liberalia Magna sive Urbana:' ex quibus Ruralia celebrata a die 19. mensis Posideonis; Anthesteria Anthesterione mense per triduum, die 11. Pithœgia, 12. Choës, 13. Chytri; postremo Urbana per quatriduum, mensis Elaphebolionis circiter 11—14. Dramata autem et tragica et comica acta sunt Urbanis et Lenæorum diebus *Χόων* et *Χύτρων*: Lenæis tamen sæpe tragœdiæ et credo etiam comœdiæ tantum repetitæ sunt: attamen et novæ tragœdiæ, ut novæ comœdiæ datæ: exemplo est Agathonis drama primum victoriam ferens, de quo v. cap. 8. Sed Barthelemius etiam 'Piræensibus Dionysiis' actas fabulas dicit, et nititur Decreto Euegori ap. Demosth. in Midiam p. 517. Reisk. quando tamen celebrata sint, ignorat. Cui optime subvenit Spaldingius l. c. p. 16. docens *Διονύσια ἐν Πειραιοῖ* non alia esse quam Ruralia: etenim hæc in demis agi, Piræeum autem demum esse tribus Hippothoontidis: et ejusdem ei generis videntur fuisse *τὰ ἐν Βραυρῶνι Διονύσια*. Verum Piræensia Liberalia, ceteris Ruralibus magnificentiora, comœdorum ac tragœdorum certamina habuerunt. In eo enim et Barthelemius et Spaldingius errant, quod Piræensia Liberalia uno Demosthenis loco commemorari putant, quum ad ea pertineat locus Æliani V. H. ii, 13. de Socrate: *Εἴποτε Εὐριπίδης — ἠγωνίζετο καινοῖς τραγῳδοῖς, τότε γε ἀφικνεῖτο. καὶ Πειραιοῖ δὲ ἀγωνιζομένου τοῦ Εὐριπίδου και ἐκεῖ κατῄει.* Quem locum quum Valckenarius Piræensium Liberalium mentionem fieri igna-

rus Diatr. p. 14. misere vexaret, haud mirum est hoc eum probare non potuisse Ruhnkenio harum rerum peritissimo. Et theatrum fuit in Piræeo (v. Meursii Pir. c. 6.): unde collegeris fabulas ibi commissas fuisse, etiam absque disertis testimoniis si foret. Quid quod in aliis quoque demis acta dramata sunt? Nam in Munychia quidem, quæ et ipsa inter demos est, Dionysiacum theatrum fuit a Piræensi distinguendum (v. Meurs. l. c. c. 9.), et in Colytto Æschines egit fabulas, teste Demosthene de Cor. c. 55. quanquam ignobile fuit hoc quidem loco dramata repræsentare. Jam his rationibus apparet, quod adhuc nemo explicavit, etiam Ruralibus Dionysiis, mense Posideone, et tragœdias et comœdias actas fuisse, et credo novas atque iteratas promiscue, ut in Lenæis. Restant Panathenæa, quibus data dramata esse credunt nonnulli ex Diog. L. iii, 56. (descripsit Suidas v. τετραλογία) auctore Thrasyllo, ut putabat Barthelemius. Probabile olim videbatur cum Minerva, artium præside, fabulas Bacchum communes habuisse, certe tragœdiam, castissimas ejus aures minime lædentem, et in ea sententia multi egregii viri fuerunt, ut Bentleius Epist. ad Mill. p. 463. Lips. Böttigerus de Fur. Pers. p. 8. etsi contra Casaubono de Satyr. Poës. i, 5. p. 161. Panathenæa etiam Baccho sacra fuisse propter illud ipsum videbantur. Et si Barnesium audimus Vit. Eurip. §. 26, Ol. LXXXIV, 3. Diphilo Archonte Euripides vicit Panathenæis secundum Marmora Oxoniensia, in quibus tamen nulla fit Panathenæorum mentio. Jam primus Barthelemius dubitavit, assentientibus, immo etiam confidentius pronunciantibus pluribus, ut præceptore nostro Fr. Aug. Wolfio, carissimo viro, Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. 90. an omnino Panathenæis actæ fabulæ sint; et Francogallus usus argumentis est, quæ haud facile refutes: quibus unum et illud gravissimum nuper adjecit Eichstadius de dram. comico-satyric. Addend. ad p. 29. monens acutissime, festorum nomina ap. Diog. L. non abs Thrasyllo profecta esse (hoc enim voluit, licet aliud dixerit), sed ab interpolatore, adstipulante Wolfio Prolegg. ad Homer. p. 91: quem ego interpolatorem potius compilatorem Diogenem dixerim, qui ea

nomina loco ex Thrasylleis ducto interposuisse videtur. Hæc igitur res de actis Panathenæis fabulis ineptissimi sane hominis testimonio nititur: quapropter huic quidem fundamento nihil superstruxerim. Præterea Barnesius Vit. Eurip. § 27. Vespas Aristophanis actam primum dicit Olympiis in Urbe, secundo Lenæis, usus Argumento Vesp. ubi est: *Ἐδιδάχθη—ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπίων, ἦν β′ εἰς Λήναια*, ex quo tamen obscurissimo loco alia omnia prius colligerem quam hoc, etsi non ignoro ap. Diog. L. iii, 5. *Ὀλυμπιακὸν θέατρον* memorari, ubi quidem nunc dudum ex libris restitutum est *Διονυσιακόν*.

Jam venio ad tria illa, quæ posui, demonstranda. De Ranis auctor est scriptor Didascaliarum Argum. Ran. editam prodens *ἐπὶ Καλλίου Ἄρχοντος τοῦ μετ' Ἀντιγένη ἐπὶ Ληναίῳ*. Bis quidem commissa est eodem teste: verum nostram, quæ superest, eo tempore actam dicit. E vs. 217. Ruhnkenius optime colligit actam Chytris, qui dies est Lenæorum tertius, Anthesterionis decimus tertius. Hac in fabula Sophocles et Euripides memorantur tamquam defuncti: quando obierint, non traditur accurate. In Euripide ipse annus in ambiguo jacet: Valckenarius Diatr. p. 191. ponit Ol. XCIII, 1. nulla addita ratione, quam equidem nec scio nec cupio magnopere scire. Marmor Parium nominat Ol. XCIII, 2. Archonte Antigene, Apollodorus Chronographus ap. Diodor. xiii, 103. ponit Ol. XCIII, 3. Archonte Callia. Hæc eo ducunt, in confinio utriusque anni obiisse Euripidem, hoc est, aut extremo anno secundo aut ineunte anno tertio. Verum posteriori sententiæ plures patrocinantur, ut Timæus historicus, qui ap. Plutarch. Symposs. viii, p. 717. c. defunctum Euripidem tradit eodem die quo tyrannidem occupavit Dionysius, quod factum anno tertio. Sic quidem locum Plutarchi ostendit intelligendum Wesselingius ad Diod. l. c. Et Tragicus quidem obiit ante Posideonem, adeoque ante hunc mensem Dionysius tyrannidem invasit. Rationes sunt hæ. Diodorus dicit l. c. ad Ol. XCIII, 3. *Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐτελεύτησε Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλου, ποιητὴς τραγῳδιῶν, ἔτη βιώσας ἐννενήκοντα, νίκας δὲ ἔχων ὀκτωκαίδεκα. Φασὶ δὲ τὸν ἄνδρα τοῦτον τὴν ἐσχάτην τραγῳδίαν εἰσαγαγόντα καὶ νικήσαντα χαρᾷ περιπεσεῖν ἀνυπερβλήτῳ, δι' ἣν καὶ τελευτῆσαι. Ἀπολλόδωρος*

δὲ ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος φησὶ καὶ τὸν Εὐριπίδην κατὰ τὸν αὐτὸν ἐνιαυτὸν τελευτῆσαι. τινὲς δὲ λέγουσι παρ' Ἀρχελάῳ τῷ βασιλεῖ Μακεδόνων κατὰ τὴν χώραν ἐξελθόντα κυσὶ περιπεσεῖν καὶ διασπασθῆναι μικρῷ πρόσθεν τούτων τῶν χρόνων. Ex Diodoro habet Scaliger Ol. descr. Hi igitur uno consensu ante Sophoclem vitam reliquisse Euripidem testantur: neque aliter Suidas: τελευτᾷ δὲ μετὰ Εὐριπίδην ἐτῶν ἐννενήκοντα. Cf. Aristoph Ran. 802 sqq. Perperam Lessingius Vit. Sophocl. p. 402. Firmat denique Thom. M. Vit. Eurip. Φασὶ δὲ ἐπὶ τῷ ἀκούσματι τῆς Εὐριπίδου τελευτῆς τοὺς μὲν Ἀθηναίους πάντας πενθῆσαι, Σοφοκλέα δὲ αὐτὸν μὲν καὶ φαιὸν ἐνδεδύσθαι χιτῶνα, τοὺς δὲ ὑποκριτὰς αὐτοῦ ἀστεφανώτους τῷ τότε εἰσαγαγεῖν πρὸς τὸν ἀγῶνα. Cui narrationi non multum quidem tribuit Jacobsius Additt. ad Sulzeri Theor. T. v, P. ii, p. 337. fluxit tamen aliquid saltem ex antiquis haud dubie monumentis, et certe docuisse Sophoclem post Euripidis fata Thomas demonstrat: cujus mihi non magna quidem auctoritas est, sed major tamen quam Sabirii Pollionis in spuriis Euripidis epistolis, in quibus ille multa temere finxit. Accedit Appuleius Apol. p. 293. 'Sophoclem' appellans 'Euripidis æmulum ac superstitem.' Sed quum et Sophocles et Euripides vita cesserint Ol. XCIII, 3. ante Anthesterionem, quo mense Comicus Ranas docuit, necesse est utrumque etiam tum jam defunctum fuisse, quum Aristophanes inciperet Ranas scribere, hoc est, saltem ante Gamelionem, quod Comicus ad meditandam fabulam, perficiendam, docendam uno minime mense opus habebat. Jam tragœdiæ actæ nonnisi Ruralibus Dionysiis, Anthesteriis, Liberalibus Magnis: at hæc duo celebrantur post Gamelionem: sola Ruralia sunt ante hunc, mense Posideone; itaque Sophoclis ultima fabula (Antigonam dicit Satyrus loco laudando, intellige repetitam, quod vellem non fugisset Wesselingium ad Diod. l. c.), qua luxit Euripidem, post quamque ipse obiit sive gaudio immodico correptus (testibus Satyro Peripatetico ap. Auct. Vit. Sophocl. Diodoro l. c. et Valerio Max. ix, 12. ext. 5.), sive alio quocunque casu, ea igitur docta est ipsis Διονυσίοις τοῖς κατ' ἀγροὺς, in Piræeo, opinor, mense Posideone Ol. XCIII, 3. Itaque Euripides diem supremum obiit Ol. XCIII, 3. ante Liberalia Ruralia, nescio quo mense, sed si

recte supra conjeci, sub anni initium. Hactenus nihil dixi, quod non confirmassem fide historiæ; et possunt hinc cetera judicari, quæ de Sophoclis obitu traduntur. Primum Satyrus mira nobis narrat de lectionis fatigatione, qua absumptus poëta fuerit. Illumne nonagenarium lectitasse fabulas publice, qui vel juvenis ne ageret quidem unas vel alteras partes propter tenellam et exilem vocem? V. Lessing. Vit. Soph. p. 360. Opponat aliquis aliam de causa mortis Sophoclis narrationem, quam habent Sotades ap. Stob. Serm. p. 528. ac Lucianus Macrob. T. iii, c. 24. p. 226. Reitz. sed melius Scriptor Vitæ Sophocl. *Τελευτῆσαι δὲ αὐτὸν Ἴστρος καὶ Νεάνθης φασὶ τοῦτον τὸν τρόπον. Καλλιπίδην ὑποκριτὴν ἀπὸ ἐργασίας ἐξ Ὀποῦντος ἥκοντα παρὰ τοὺς Χόας πέμψαι αὐτῷ σταφυλὴν, τὸν δὲ Σοφοκλέα λαβόντα καὶ βαλόντα εἰς τὸ στόμα ῥᾶγα ἔτι ὀμφακίζουσαν, ὑπὸ τοῦ ἄγαν γήρως ἀποπνιγέντα τελευτῆσαι.* Nugas promit, ut solet, Sam. Petitus Legg. Att. p. 72. de *χοαῖς* sive mensis secundis, deque acta tum in Panathenæis fabula, quas dudum refutarunt docti. Res hæc est. *Χόας* Lenæaque eadem quæ Ruralia Dionysia nonnulli habuerunt, ut unus ex Scholiastis Aristophanis: v. Barthelem. l. c. p. 176. Idem credo hic est factum: pro festo *Χόων* ponamus Dionysia *τὰ κατ' ἀγροὺς*, et consentient omnia: tum uvæ a Callipide missæ, edit Sophocles post actam fabulam in convivio celebrari solito ob victoriam scenicam, ut vides ex Platonis Symposio: postea infeliciter obiit, sive casu hoc sive nimia animi lætitia abreptus: nam de ea re statim post ejus obitum variæ narrationes circumferri poterant, ex quibus fluxit quidquid ad nos pervenit hac de re proditum, inter alia illud Pausaniæ i, 21, 2. Hactenus hæc, et spero unumquemque, qui probe perpenderit, nobiscum facturum esse. Postremo, ut tertium absolvam, Iphigenia in Aulide cum Bacchis et Alcmæone acta est post fata Euripidis, *ἐν ἄστει*, hoc est, Liberalibus Urbanis, ut testatur Schol. Aristoph. Ran. 67. Annus non definitur: refertur autem a chronographis ad Ol. XCIII, 4. Quidni potius ad Ol. XCIII, 3.? Verum utut est, certe non editæ sunt ante Ol. XCIII, 3. medio mense Elaphebolione, qui est proximus ab Anthesterione: nondum enim

tum quum Ranas doceret Aristophanes, Anthesteriis, ulla Euripidis defuncti fabula edita fuit. Testis Aristophanes Ran. 890.

> *ΑΙΣΧΥΛ.* Ἐβουλόμην μὲν οὐκ ἐρίζειν ἐνθάδε.
> Οὐκ ἐξ ἴσου γάρ ἐστιν ὡγὼν νῷν. *ΔΙΟΝΥΣ.* Τιή;
> *ΑΙΣΧΥΛ.* Ὅτι ἡ ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,
> Τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέγειν.

DE

PHILOSOPHIA EURIPIDEA,

SIVE

DE PHILOSOPHANDI GENERIS, QUO EURIPIDES IN TRAGŒDIIS SUIS EXORNANDIS USUS EST, FONTIBUS AC RATIONE.

COMMENTATIO

IN CONSESSU SOCIETATIS GOTTINGENSIS DIE XIII. SEPT. MDCCCXVII.

RECITATA

A FRIDERICO BOUTERWEK.

FRIDERICUS BOUTERWEK

DE

PHILOSOPHIA EURIPIDEA.

Euripidis tragœdias denuo perlustranti mihi in mentem venerunt laudes, quibus philosophia hujus poëtæ scenica a scriptoribus et antiquis et recentioribus ita celebratur, ut præ omnibus poëtis, qui philosophiam attigerunt, hic fere solus ipsis philosophis videatur esse adnumerandus. Loca complura, quibus, quanta philosophiæ Euripideæ apud veteres auctoritas fuerit, demonstratur, a Petro Baylio congesta sunt.[1] Quinctilianus in Institutione Oratoria Euripidem in his, quæ a sapientibus tradita sunt, pæne ipsis parem esse pronuntiavit.[2] Clemens Alexandrinus, pater ecclesiasticus, Euripidem solum poëtarum sapuisse dignumque Socratis consortio fuisse judicavit.[3] Qua potissimum viri venerabilis declaratione permoti Philologorum nonnulli Euripidis sapientiam ad Christianismum prope accedere sibi persuaserunt. Daniel Heinsius hunc poëtam non tam sapientiæ auctorem bonum, quam oraculum, neque ducem modo ad virtutem, sed certissimum prudentiæ antistitem appellavit.[4] Barnesius, Euripidis dramatum editor, eumdem censet summum ethicæ philosophiæ esse magistrum.[5] Omnes autem in hoc laudandi Euripidem genere eo superavit Valckenarius, quod philosophum hunc cothurnatum, Deorum, quales a Græcis vulgo colerentur,

1 Dictionnaire Histor. et Crit. art. Euripide, nota D.

2 Institut. Orat. x. 1.

3 Stromat. iv. p. 631.

4 Vid. Valckenarii Præfationem ad Diatriben in Euripidis dramatum perditorum reliquias.

5 In animadv. ad Euripidis Rhesum v. 595.

contemptorem, unicum agnovisse Deum, mentem puram, æternam atque infinitam, non difficulter, ut ipse ait, demonstrari posse existimat.[1]

Non temere hæc philosophiæ Euripideæ præconia a viris doctissimis facta esse, neque veteres ejusdem sapientiæ scenicæ admiratores a vero prorsus aberrasse, cuilibet potest esse perspectum, qui sententias ex Euripidis tragœdiis a Joanne Stobæo excerptas easdemque cum multis aliis elegantissime ab Hugone Grotio Latine redditas[2] evolvere voluerit. Quot præcepta ibi splendent præclara, ad conformandos mores aptissima, Socratis familiari dignissima! Verum nonnulla etiam, ne dicam multa, his sententiis inesse jejuna, trita, falsa, imo ridicula, neminem, cui ceterorum admiratio aciem non præstrinxerit, puto esse infitiaturum. Præterea in sententiis, quæ ad mores spectant, iisque generaliter expressis, minime mihi quidem subsistendum esse videtur, cum, poëta quatenus philosophis adnumerandus sit, dijudicare volumus. Eum quoque poëtam tragicum ingenio, quo ad philosophiæ studium ferimur, excellere censeo, qui uno quasi obtutu res humanas contemplari solitus legem, qua nati sumus, animo volvens, quid sit fortuitum, quid necessarium, considerans, quæque fato pendeant, ea cum his quæ mente fiant sibimet imperante, conferens, etsi generaliter de his rebus raro loquitur, ipsa fabularum dispositione morumque descriptione sententiam suam exprimit, eamque formis, actione, imaginibusque effingit. Quam ob rem Æschylum, Shakespearium, Schillerumque nostrum inter poëtas refero eos, quorum ingenium ad id, quo philosophus est conspicuus, proxime accedit. Quodsi autem philosophus scenicus de rebus divinis non idem, quod vulgus, sentit, cavendum ei est, ne, errorum caliginem dissipare cupiens, perturbet tantum opiniones vulgares. Quomodo enim in scena probare aliquis poterit rectius de his rebus a se cogitata? Novas autem opiniones insinuare animis, cum probare non possis, perniciosissimum est. Neque is certe philosophum se comprobat,

1 In Diatribe modo laudata p. 36.

2 In Excerptis ex Tragœdiis et Comœdiis Græcis, Paris 1626. 4.

qui religiones populares de scena labefactare ac subvertere conatur.

Præmittenda hæc mihi videbantur, ut positio quæstionis inter Euripidis admiratores ejusque obtrectatores agitatæ ab hac saltem parte dilucidior appareat. Nam neque defuere, neque hodie desunt, qui id philosophandi genus, quo Euripides usus est, improbarent, imo impietatis poëtam accusarant propter nonnulla philosophematum ab admiratoribus sapientiæ ejus celebratorum. Verum et aliis difficultatibus disquisitio hæc laborat. Nam cum philosophus scenicus non suo ipse nomine loquatur, dubitari poterit, utrum, quæ generaliter pronuntiat, ipsi ea placuerint, an ad mores tantum accommodata sint personarum, quarum partes agantur. In Euripidis tragœdiis certe constat haud raro a mali ingenii hominibus pravas proferri sententias a poëta ipso sine ulla dubitatione improbatas. Ita interpretandi sunt verbi caussa notissimi versus a Julio Cæsare dominandi cupidinem excusante repetiti, qui, cum apud Euripidem ab Eteocle tyranno proferuntur, ad mores ejus depingendos aptissime positi sunt.[1] Comprobandam simpliciter esse hanc figuram in poëtica morum descriptione, minime dixerim, cum prava sententia generaliter pronuntiata, dummodo acuta sit, animis hominum inhæreat, facillimeque eum in sensum detorqueri possit, ut ipsam pravitatem commendare videatur. Verum gravissimam poëtæ injuriam faceremus, si, quæ in scena ab improbis hominibus dicantur, ea dramatis auctorem judicasse putaremus. Ipsi itaque Euripidi philosophanti eæ tantum sententiæ tribuendæ esse videntur, quæ in dramatibus ejus ab hominibus morum honestate conspicuis, præcipue a Choro, in medium proferuntur. Sed neque tali interpretatione ubique res adfatim expeditur, cum neque honestissimi homines de omnibus rebus omnes idem judicent, in dramatico autem scribendi genere, quidquid dicatur, id moribus poëtam aptare oporteat hominum, quos loquentes inducat. An quæ mulieres, etiamsi chorus sit mulierum, in scena judicent, id poëtam

1 Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. Euripid. Phœn. v. 527.

ipsum simpliciter statuisse putemus? Ubique igitur in excutienda Euripidis philosophia ad scenæ rationem respiciendum est.

Præceptorem Euripides Anaxagoram habuisse, Socratique familiariter usus esse perhibetur.[1] Comparanda sunt ergo ejus philosophemata cum disciplina et Anaxagorea et Socratica. Anaxagoram in physicis potissimum secutus esse videtur; ad physicas autem quæstiones apud Græcos de Deo quoque deorumque natura animarumque immortalitate disputationes referri notissimum est. Ex Socratica schola manare potuerunt morum præcepta, quibus tragœdiæ Euripidis abundant. Verum cum quædam hujus poëtæ philosophemata aperte sint Anaxagorea, alia cum Socratica disciplina satis conspirent, inde tamen neque totam ejus philosophiam ex hisce fontibus manasse, neque eum ab aliis petita nunquam insigniter alterasse efficitur. Fieri imo potuit, ut hac ratione decepti dramatum Euripidis interpretes minus recte explicarent nonnulla ab eo dicta, quoniam præceptorum vestigiis semper inhæsisse poëtam putarent.

Primum igitur quæ de natura deorum summoque numine in Euripidis tragœdiis ita dicuntur, ut ad philosophicam rationem revocari possint, curiosius investigemus. Anaxagoram enim constat principem philosophorum Græcorum judicasse Deum esse mentem puram, æternam, totius mundi moderatorem; ipsam autem illam Anaxagoreæ disciplinæ celeberrimam partem ab Euripide in scenam esse collocatam, opinati sunt viri docti, qui eam ob rem hujus poëtæ philosophiam ad Christianam prope doctrinam accedere censuerunt. Quædam Euripidis tragœdiis inesse ex Anaxagoræ theologia petita, in dubium nemo revocabit, qui loca a Valckenario ac Barnesio ad celebrandam poëtæ sapientiam congesta inspicere voluerit. Neque eorum sententiam impugnabimus, qui Melanippen, tragœdiam deperditam, in hunc præcipue finem ab Euripide conscriptam esse dicunt,

1 Veterum scriptorum testimonia de Euripidis præceptoribus ejusque cum Socrate familiaritate collegit Barnesius in Vita Euripidis. Quantum ex Anaxagorea philosophia hic poëta hauserit, demonstrare studuit Valckenarius in Diatribe.

ut gratos suos animi sensus erga præceptorem Anaxagoram exprimeret. Anaxagorea decreta ab Euripide repetita esse, Heraclides quoque Ponticus, auctor Allegoriarum Homericarum, scribit.[1] Verum si non uno alterove loco ex Euripidis tragœdiis excerpto contenti summam ejus fabularum consideramus, easque inter se comparamus, tantum abest, ut errores popularium vulgares corrigere animosque eorum ad theologiam philosopho digniorem evehere voluisse Euripides videatur, ut ne ipsum quidem certi aliquid de his rebus statuisse, turbasse utique nonnunquam rationem vulgarem, non autem eam in melius mutasse adpareat.

Quodsi Euripides religiones popularium vulgares ad rationem Anaxagoream emendare voluisset, respiciendum ei ad Mysteria fuisset, quæ, quamquam ab Anaxagoræ decretis alienissima, ita tamen erant comparata, ut medium fere tenerent inter philosophiam ac superstitionem. Laudandus videri potest in eo Euripides, quod, Æschyli exemplo territus, cavebat, ne Cereris Bacchique arcana divulgasse dici posset. Verum in Bacchis, tragœdia ad hanc religionum Græcarum partem pertinente, superstitionem examini non submittendam auditoribus inculcavit. Simpliciter credendum esse Diis, nihilque argute in eos comminiscendum, Cadmus in tragœdia illa pronuntiat.[2] In eadem fabula nuntius, Penthei, tristi exemplo peremti, interitum referens, auditores admonet, pulcherrimam ac sapientissimam mortalibus esse rem, modeste venerari Deorum numina;[3] modestia autem ea significari fidem strenuam cœcumque assensum, totius fabulæ nodi et exitus docent. Hoc modo religionem vulgarem simpliciter commendare visus Euripides, impietatis accusationem effugere potuit, cum in aliis tragœdiis satis aperte mysteriorum partem, etsi non proderet, tamen indicaret. Sic in splendido illo Heraclidarum choro, ubi præter necessitatem Cereris sacra laudibus feruntur, Cererem a Cybele non differre ostenditur.[4] Simili

1 —*Τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος Εὐριπίδης.* Heraclides Pont. ex edit. Schow. p. 77.

2 *Οὐδὲν σοφιζόμεσθα τοῖσι δαίμοσι.* Euripid. Bacchæ, v. 155.

3 l. c. v. 1148.

4 Euripidis Heraclidæ, v. 1317.

modo in Palamede, fabula cujus fragmenta tantum restant. Bacchus in Ida monte cum matre (σὺν μητρὶ φίλᾳ) tympanorum strepitu mystico (τυμπάνων ἰάκχοις) oblectari dicitur;[1] quam quidem Bacchi matrem non Semelen, sed Cybelen esse, manifestum est. Imo in Cretensibus, fabula deperdita, cujus argumentum totum ad religiones arcanas spectasse videtur, tam parum caute de hisce rebus locutus est Euripides, ut in fragmento, quod exstat, Jovis Idæi mystes (Δίος Ἰδαίου μύστης) Zagreum, Bacchum mysticum, celebret, pluraque de ritibus mystarum memoret.[2] Verum si mireris, talia impune poëtam proferre potuisse, nihil tamen iis inest, quod philosophiam sapiat, vel Anaxagoream horum sacrorum interpretationem indicare videatur.

Certi nihil Euripidem de rebus divinis statuisse, ex iisdem tragœdiarum ejus locis adparet, quibus, nunquam sibi constans, turbare religionem popularem conatus est. Referendum est ad hoc caput, quod Hecuba in Troadibus exclamat, Jovem invocans, quidquid sit Jupiter, sive necessitas naturalis, sive mens hominum.[3] Quæ cum a femina veneranda, calamitatibus oppressa, pronuntientur, dubitari vix potest quin poëtæ ipsius judicium exprimant. Sed quomodo Jupiter fortasse mens mortalium esse dici possit, fateor me ignorare, etsi Euripidis animo, cum hæc scriberet, Anaxagoræ de Deo sententia obscure obversata esse videatur, quam si satis perspexisset, certe non his verbis reddidisset; nam mens æterna totius mundi moderatrix quomodo concinne mens mortalium adpelletur? Similiter in Bacchis, quid sit τὸ Δαιμόνιον, dubitatur.[4] Eandem dubitationem repetens Euripides in Melanippe, fabula deperdita, quam ad extollendam Anaxagoream philosophiam conscripsisse fertur, magnos contra se clamores excitasse coactusque fuisse alios versus sufficere in locum eorum, quibus iste Melanippe se quid sit Jupiter nescire

1 Vide fragmentum in Barnesii editione Tom. ii. p. 438.

2 l. c. p. 438.

3. Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως, εἴτε νοῦς βροτῶν,
Προσευξάμην σε.
Euripid. Troad. v. 881.

4 Ἰσχύν τ' ἔχειν ὅ,τι ποτ' ἄρα τὸ Δαιμόνιον.
Euripid. Bacchæ, v. 892.

dixerat, narratur a Plutarcho ac Luciano.[1] Plura huic fabulæ deperditæ inerant, quæ, ab aliis scriptoribus servata, Euripidem comprobant in impugnandis opinionibus vulgaribus minime trepidantem, deque rebus physicis, etsi a dramatis ratione alienis, philosophorum more disserentem, Anaxagoræ decreta, vel, quod vero simillimum est, non intellexisse, vel de industria alterasse. Dixit enim in illa tragœdia, id est, Melanippen dicere facit, cœlo ac terræ unam principio faciem fuisse, cum autem a se invicem segregarentur, arbores, volucres, feras, ac mortalium genus in lucem edidisse.[2] Jocari fere videtur mulier naturalem philosophiam professa, cum non suum hunc esse sermonem, sed a matre acceptum ait.[3] Verum quomodocunque hæc se habeant, longe differunt a celeberrimo illo Anaxagoræ decreto, qui omnes principio res mistas inter se ac confusas accedente demum Mente sive Deo segregatas in ordinem coiisse judicavit.[4]

Vulgari Euripides superstitione non laboravit, religionisque philosopho non indignæ studiosus fuit. Sed quæ vulgo credebantur respuens, ipse quid statueret, non inveniens, fieri non potuit quin sibimet ipse repugnaret, cum modo, ut poëtam decet, adsentiri perperam creditis, modo res novas moliri videretur. Maxime hoc conspicuum est in ea tragœdiarum ejus parte, quæ justitiam divinam ac fatalem necessitatem spectat. Sed ut dilucidius, quam varia ac mutabilis hujus poëtæ sapientia fuerit, adpareat, primum quid de immortalitate animarum in fabulis ejus dicatur, consideremus. Notabilis ad declarandum hunc locum est tragœdia Alcestidis nomine inscripta, cujus argumentum cum satis materiæ præberet ad corrigendas vulgares de animi post mortem statu opiniones, tantum abest ut occasione oblata ita, ut expectares, poëta usus sit, ut absurdam fere superstitionem hac tragœdia firmare voluisse videatur. Mortua enim Alcestis, ante quam ad

1 Ζεὺς ὅστις ἐστίν· οὐ γὰρ οἶδα, πλὴν λόγῳ
Κλύων.
Vide fragm. ap. Barnes. in ed. Eurip. Part. ii. p. 453.

2 Vide fragmentum l. c. p. 454. Cf. Stobæus, eclog. fragm. vii.

3 Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα. l. c.

4 Vide quæ ad illustrandam Anaxagoræ theologiam collegit Meiners in Historia Doctrinæ de vero Deo, p. 360.

inferos descendat, a Θανάτῳ, quem Latino vocabulo Mortem adpellare non possis, in sepulchro retinetur ibique servatur, dum fœdus ille Θάνατος, mortuorum sacerdos (ἱερευς θανόντων) adpellatus[1] sanguinem biberet victimarum apud tumulum mactatarum.[2] Vincit τὸν Θάνατον Hercules cum eo luctatus, Alcestidemque in vitam revocatam marito reddit. Quæ singularis fictio quomodo cum Homericis fabulis conciliari possit, aliis dijudicandum relinquimus; imo non obstamus iis, qui rem putent satis poëtice esse tractatam, ita fere, ut poëtis Romanensibus, quos vocant, arridere possit; sed magis ridiculum immortalitatis commentum, si rem ad philosophicam rationem metiaris, excogitari nequit. Aliis figuris immortalitatem animarum Euripides in aliis tragœdiis effinxit. In fine Andromaches Thetis Peleo effecturam sese pollicetur, ut Deorum numero adscribatur, Achillisque, filii sui, consortio fruatur in insulis beatorum;[3] nihil autem addit, quod insularum illarum, quæ a Pindaro etiam celebrantur,[4] clariorem nobis notitiam præbeat. Similiter apud Euripidem Helena Menelao, in insulis beatorum (νήσοις μακάρων) habitaturum eum, prædicit;[5] quod quomodo a femina mortali prædici possit, non docet. Non exoptandam, sed tristem esse mortuorum apud inferos conditionem, in Hercule Furente, Euripidis tragœdia, eadem superstitionis simplicitate, ut ab Homero in Odyssea, memoratur.[6] Philosophatum tamen de his quoque rebus Euripidem esse, pluribus tragœdiarum ejus locis docemur, quibus simul, quam Anaxagoreæ philosophiæ partem præcipue imbiberat, manifestatur. Anaxagoram, notum est, etsi mentem puram a materia corporea segregatam esse dixerat, ita tamen de mentis animique natura esse locutum, ut eam cum æthere sive aëre puro compararet, ideoque animum, qui cogitat, ab anima sive spiritu, quem pulmonibus ducimus, non ita, ut posterioris ætatis philosophis placuit, differre statueret. Quæ Anaxagoræ de æthere disputatio inter omnia hujus philosophi decreta Euripidi maxime arrisisse videtur. Sic in Suppli-

1 Euripid. Alcestis, v. 25.
2 l. c. v. 847.
3 Euripid. Andromache, v. 1262.
4 Pindari Olymp. ii. v. 105.
5 Euripidis Helena, v. 1692.
6 Euripidis Hercul. Fur. v. 621.

cibus, tragœdia, qua Theseus celebratur, heros hic Atheniensis, cum de Argivis in prœlio occisis sermo instituitur, non periisse eos ait; omnes enim res eo, unde venerint, redire, corpora quidem ad terram, spiritum autem (τὸ πνεῦμα) ad ætherem.[1] In eadem tragœdia matres filiorum obitum lugentes simili solatio firmantur; abiisse quidem eos; abiisse; non autem exstinctos esse; teneri æthere, consumtisque igne corporibus ad inferos avolasse.[2] Eandem sententiam refert fragmentum tragœdiæ servatum a Sexto Empirico. Nihil, ibi dicitur, eorum, quæ in lucem prodeant, penitus interire, ipsamque formam propriam quamlibet rem recuperare;[3] qui locus eam etiam ob causam memorabilis est, quod ætheris adpellatione ostendit significari quoque Jovem, hominum Deorumque satorem,[4] quod quidem e vulgari Græcorum superstitione non petitum cum Anaxagorea disciplina facile potest conciliari. Præclare in Hippolyto dicitur, aliud quiddam, quod vita dulcius sit, tenebris occultari, hominesque hujus vitæ eam tantum ob rem esse tam studiosos, quod alterius vitæ rerumque sub terra absconditarum nullam habeant peritiam.[5] Christianum dixisse putares, quæ a scholiaste ad illustrandum hunc locum e Polyide, tragœdia Euripidis deperdita, referuntur, mortem, quam vocamus, veram fortasse esse vitam;[6] cui sententiæ respondent, quæ a Theonoë, femina spectabili, in Helena tragœdia dicuntur, mentem vita defunctorum, etsi non vivat (id est, vita humana non fruatur), sensum tamen habere immortalem, cum in ætherem immortalem recepta sit.[7] Omnia hæc Anaxagorea esse videntur, Euripidemque vulgaribus poëtarum commentis haud contentum altiora spectasse ostendunt. Idem tamen poëta in

1 — Πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.
Euripidis Suppl. v. 532.

2 — Αἰθὴρ ἔχει νιν ἤδη,
Πρὸς τετακότας σποδῷ.
Ποταμοὶ δ' ἤνυσαν τὸν 'Αΐδαν.
l. c. v. 1139.

3 Θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γενομένων, etc. Vide fragmenta in Barnesii editione Tom. ii. p. 435. Cf. quæ a Valckenario in Diatribe ad illustrandum hunc locum disputata sunt.

4 l. c. Γαῖα μεγίστη, καὶ Διὸς αἴθηρ·
Ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ, etc.

5 Euripidis Hippolyt. v. 191.

6 Τίς δ' οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν;
Schol. de Eurip. Hippolyt. v. 151.

7 — Ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ' ἔχει
'Αθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.
Euripidis Helena, v. 1020.

Hecuba tragœdia Polydori occisi imaginem sive simulacrum (εἴδωλον) in scenam inducens, hoc simulacrum ita fingere potuit, ut se relictis Plutonis sedibus in lucem rediisse narrat.[1] Quod si vulgaribus opinionibus indulgens dixit, nihil certe addidit, quo declaretur, viam ab his opinionibus patere ad rectius cogitata.

Sed magis ad tragœdiæ Græcæ naturam et indolem pertinent, quæ apud Euripidem de fatali necessitate justitiaque divina leguntur. Immutasse eum rationem ab Æschylo institutam, a Sophocle servatam, aliquod abhinc annis diximus, cum de iisdem rebus in hoc consessu dissereremus.[2] Quamquam enim abunde justitiam divinam fatalemque necessitatem commemorat Euripides, deseruit tamen opinionem de justitia æterna vetustissimam, cum non similiter, ut Æschylus ac Sophocles, ipso fato, cui Dii etiam subjecti esse credebantur, justitiam contineri æternam docere studeret, sed, neglecta illa ratione tenebrosa ac mystica, difficultatibus sese implicaret, quarum expositione labefactasse eum religionem vulgarem negari nequit. Uno tantum loco, in fragmento tragœdiæ deperditæ apud Stobæum, repetitum ab Euripide legimus vetus illud decretum, fato effici, ut scelestorum consiliorum malas mercedes accipiant homines,[3] compluribus autem locis fato quidem omnia cedere dixit, sed nulla justitiæ fatalis mentione facta.[4] Ad erigendos animos nihil profecto faciunt splendidi versus, quibus in Alcestide necessitatem celebrat, cui nihil potentius inveniri pronuntiat, quamque, licet cœca sit, numinis instar tam pie adloquitur, ut ad eam pæne reverentiam Diis debitam transferat.[5] Ad illustrandos autem fabularum tragicarum exitus quinque tragœdias insigniter terminasse sibi visus est Euripides trita illa sententia, iisdem pæne verbis quinquies repetita, multas esse formas rerum divi-

1 Hecuba, initio.

2 Vide commentationem de Justitia fatali in Commentatt. recentioribus societatis nostræ, vol. ii.

3 Εἱμαρμένον δὲ τῶν κακῶν βουλευμάτων
Κακὰς ἀμοιβὰς ἔστι καρποῦσθαι βροτούς.
Fragm. Œdipi Euripidei, ap. Stob. in Eclog. Phys. Tom. i. part. I. p. 106. edit. Heeren.

4 v. c. Μόρσιμον δ'οὔτε φευγεῖν θέμις. In Heraclidis, v. 615. Vel: Τὰ γὰρ πεπρωμέν' οὐ δ' ὑπερβαίην ποτ' ἄν. In Ione, v. 1387.

5 Vide Chorum in Alcestide, v. 965. sq.

nitus evenientium, multa præter spem Deos perficere, inopinatorum vero exitum invenire Deum.[1]

Locorum, quibus Euripides justitiam divinam hominum facta inspicientem ac peccata punientem prædicat, dinumeratione supersedere possumus, cum nonnulla jam a Stobæo collecta sint,[2] reliqua in omnibus fere tragœdiis hujus poëtæ occurrant. Sed cum justitiam ad ipsorum Deorum naturam referret, fieri vix potuit quin et sibimet ipse repugnaret, et dubitationem moveret auditoribus. Deos enim, qui vulgo credebantur, multa perpetrasse justitiæ humanæ legibus contraria, notissimum est. Tristissimum justitiæ divinæ exemplum editur in Bacchis, tragœdia Euripidis. Pentheus, nullius criminis obnoxius, nisi quod novis religionibus obnitebatur, a matre Agave Bacchico furore stimulata miserandum in modum dilaceratur. Agave, ad sanam mentem revocata, acerbissimis doloribus pungitur. Puniendum utique fuisse Pentheum propter impietatem, Cadmus ait in fine fabulæ; sed modum excessisse Bacchum, vindictæ cupidine;[3] Deos non oportere hominibus similes esse iracundia.[4] Cui Bacchus, necdum miseratione motus, imo exultabundus, respondet, hæc jam dudum Jovem, patrem suum, annuisse.[5] Similiter in Heraclidis justitiæ divinæ causa mirum in modum ab Euripide agitur. Demophoon, princeps Atheniensium, Herculis liberos, ab Eurystheo expulsos, cum Athenas, Iolao duce, ad aras Deorum confugissent, Eurystheo dediturum sese esse negat. Athenienses, inquit, justitiam colere; se autem, justa facientem, injusta non esse perpessurum.[6] Deum, in eadem tragœdia chorus ait, injustorum superbiam semper resecare.[7] Punitur Eurystheus, dum prœlio victus captusque Athenas ducitur; ipse autem se minime peccasse ait; Junone enim jubente in Herculis se liberos sævire.[8] Nova oritur de justitia dubitatio, cum Alcmena Eurystheum captum inter-

1 Πολλαὶ μυρφαὶ τῶν δαιμονίων, etc. Versus, quibus terminantur quinque Euripidis tragœdiæ, Alcestis, Andromache, Medea, Helena, ac Bacchæ.

2 l. c. cap. iv.

3 Ἐγνώκαμεν ταῦτ', ἀλλ' ἐπεξέρχῃ λίαν. Eurip. Bacch. v. 1343.

4 Ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς. l. c. v. 1346.

5 l. c. v. 1347.

6 Ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι. Euripidis Heraclidæ.

7 Θεὸς τῶν ἀδίκων παραιρῶν φρονήματος αἰεί. l. c. v. 907.

8 l. c. v. 990.

ficere cupit, ut vindictam sumat; nam legibus Atheniensium hostem captum interficere prohibebatur. Chorus itaque his legibus obtemperandum esse pronuntiat. Sed mutato consilio idem chorus Alcmenæ ultioni annuit, quæ corpus inimici occisi amicis ejus se non denegaturam esse pollicetur.[1] Sed major adhuc opinionum confusio est in Hercule Euripidis Furente. Initio dramatis Amphitryo a Lyco tyranno oppressus ipsum Jovem injustitiæ pæne accusat, domus suæ calamitatem deplorans. Reduce ex inferis Hercule, punitoque tyranno, exsultat chorus, jam vere justitiæ divinæ exemplum in terris conspici, exclamans.[2] Stultum esse, qui improbos sermones contra cœlites effundat, quod Dei nihil possint.[3] Verum quid possint isti Dei, atrocissimo exemplo ostenditur, cum Hercules, culpæ immunis, Junone jubente ad insaniam redactus, proprios filios sagittis configit. Ipsa Rabies (*Λύσσα*), Noctis filia, singulari prosopopœia in scenam producta, facinus a Junone sibi commissum aversatur. Indignum, ait, esse, sævire in virum præ aliis celebrem, quod honores Deorum ab impiis hominibus labefactatas restituerit.[4] Sed parendum esse Junoni, Lyssa monetur ab Iride; discat Hercules, quanta Junonis in eum ira sit;[5] Deos nihil fore, mortalium autem res fore maximas, si hic pœnam non daret.[6] Pœna igitur jure divino danda erat viris integerrimis deque humano genere optime meritis, si, culpa vacantes, Deo vel Deæ invisi erant. Sensit poëta, quibus se difficultatibus impediverat; sed cum expedire sese conaretur, in aliis versabatur angustiis. Hercules, priori menti redditus, a Theseo consolatur his verbis: Nec Deos a fortuna esse illæsos, si modo non falsa sint poëtarum carmina; Deos matrimonia nulla lege permissa contraxisse; propter tyrannidem patres ignominiose in vincula conjecisse; attamen habitare eos cœlum, ac ferre æquo animo sua peccata.[7] Quorum exemplorum pravitate tam

1 l. c. v. 1020.

2 *Ἰὼ Δίκα, καὶ θεῶν Παλίρρους πότμος.* Euripidis Hercul. Fur. v. 738.

3 l. c. v. 754.

4 l. c. v. 853.

5 l. c. v. 841.

6 *Ἦ; θεοὶ μὲν οὐδαμοῦ, Τὰ θνητὰ δ᾽ ἔσται μεγάλα, μὴ δόντος δίκην.* l. c. v. 842.

7 l. c. v. 1312.

parum erigitur Hercules, ut, poëtarum hasce narrationes miseras esse fabulas, respondeat;[1] prorsus aliena hæc esse a suis malis; se quidem non credere, Deos connubia illegitima amare, aliisque se flagitiis inquinare; neque Deum unquam alterius Dei fuisse dominum; Deum, qui quidem revera sit Deus, nullius rei indigere.[2] Præclare, si quæ alia, quæ apud Euripidem occurrit, sententia. Hic agnoscere licet Anaxagoræ discipulum. Sed ejusmodi cogitationes de Deo non fabulis tantum Homericis ideoque religioni Græcorum populari contrarias esse, quilibet ex populo intelligere, poëtamque impietatis arguere potuit; sed fabulæ etiam, quæ agebatur, repugnat illa res divinas existimandi licentia, dubitationemque animis injectam augens nihil facit ad nodum solvendum. Itaque non sine causa in fine fabulæ Amphitryo Jovem se virtute superare exclamat; vel insipientem esse Jovem, vel injustum.[3] Eadem opinionum confusione laborat Euripidis tragœdia Hippolytus. Pius morumque sanctitate conspicuus juvenis miserrime perit, quia Veneris munera parvi ducens incestam a noverca oblatam sibi voluptatem perhorrescit. Laceratus, jamque moribundus, nequicquam Jovem obtestatur.[4] Diana, in scena apparens, solam Venerem, casto juveni infensam, mali hujus causam esse declarat. Sed Neptuni, non Veneris, instituto peribat juvenis, cum Neptunus Thesei decepti precibus commotus portentum excitaverat, quod mortem Hippolyto inferret. Irridere justitiam divinam Diana videtur, cum, quidquid acciderit, Deos justos esse, pronuntiat in tanta calamitate.[5] Ipsam se Hippolyto, ait, opem ferre non potuisse, cum Deo non liceat aliorum Deorum consiliis aperte adversari;[6] sed cur non liceat, non exponit. Cedendum esse censet fato, quo Hippolytus

1 Ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.
l. c. v. 1345.

2 Δεῖται γὰρ ὁ θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὄντως θεὸς,
Οὐδενός. l. c.

3 Ἀρετῇ σε νικῶ, θνητὸς ὢν, θεὸν μέγαν.
Ἀμαθὴς τις εἶ θεὸς, ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς. l. c. v. 347.

4 Ζεῦ, Ζεῦ, τάδ' ὁρᾷς;
Ὅδ' ὁ σέμνος ἔγω καὶ θεοσέπτωρ
Προὔπτον ἐς ᾅδην στείχω.
Euripidis Hippolyt. v. 1363.

5 Τοὺς γὰρ εὐσεβεῖς θεοὶ
Θνησκόντας οὐ χαίρουσι, etc.
l. c. etc.

6 l. c. v. 1328.

perimatur.[1] Sed ulterius, quam in hac tragœdia, singularis ratio, qua Euripides justitiam divinam celebrat, procedit in Ione. Ion, Apollinis filius, Delphis inter sacra educatus, de rebus divinis in scena ita philosophatur, ut Euripidem ipsum philosophantem facile agnoscas. Admonitione Apollinem castigandum esse censet.[2] Nam cum Dii, mortalium quisquis improbus sit, eum puniant, quomodo, quærit, æquum sit, eos, qui leges mortalibus scripserint, ipsos injustitiæ esse reos?[3] Idem juvenis, satis acute de his rebus disputans, valde improbat morem in templis receptum, quod scelestos homines ad aras Deorum confugientes inde ad pœnam protrahere non liceat. Mirum ait certe esse, Deum hominibus leges non sapienti consilio dedisse;[4] non enim honestum esse, Deorum aras attrectari manu injusta, idemque a Diis beneficium impetrare justum et injustum. An perperam eum ita judicasse censeamus? Verum si philosophum Euripides eo se comprobavit, quod ejusmodi sententias proferre non dubitavit, cur in hac quoque tragœdia iterum iterumque sibi ipse repugnans proclamat, nunquam desperandum esse in rebus humanis, cum Superi cuncta intueantur, boni digna pietatis præmia consequantur, mali vero nunquam felices sint?[5] Consultius, puto, Euripides egisset, si rebus, quæ sua natura ad rectam rationem revocari non poterant, coram populo lucem affundere non studuisset.

Contemsisse philosophum hunc scenicum religiones populares, quibus tamen in fabulis suis effingendis adornandisque carere non poterat, aliis etiam modis patefecit. Iphigeniam in Tauris Dianæ sacerdotem deplorantem inducit fatalem calamitatem, qua hospites in hac ora advenas ad aram Deæ mactare juberetur. Mirum non est, virginem Græcam improbare inhumanissimum Barbarorum ritum. Sed eadem virgo, cum poëtæ ita placeret, occasione oblata

1 Ἔχεις γὰρ μοῖραν, ἧ διεφθάρης. l. c. v. 1436.

2 — Νουθετητέος δέ μοι Φοῖβος. Euripidis Ion, v. 436.

3 Πῶς οὖν δίκαιον, τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
Γράψαντας, αὐτοὺς ἀνομίαν ὀφλισκάνειν; l. c. v. 442.

4 Δεινόν γε, θνητοῖς τοὺς νόμους ὡς οὐ καλῶς
Ἔθηκεν ὁ θεὸς, οὐδ' ἀπὸ γνώμης σοφῆς. l. c. v. 1312.

5 l. c. v. 1619.

utitur ad reprehendendam Græcarum superstitionum partem ab aliis poëtis celebratam. Se neminem ait Deorum malum esse censere,[1] ideoque incredibile judicare, quod narretur, in Tantali epulis Cererem humanarum carnium esu delectatam esse.[2] Criminari ob eam sententiam non facile poterat Euripides, cum Pindarus, cujus summa erat auctoritas, idem fere dixisset,[3] prætereaque dubitari vix possit, quin in sacris quoque arcanis Cereris fabula de Tantali nefandis epulis Diis appositis humeroque Pelopis eburneo in vitam restituti longe aliter quam vulgo traderetur. Verum omnino fabulis Homericis, e quibus tamen potissimum pendebat popularis Græcorum religio, fidem non simpliciter esse tribuendam, præcipue declaravit Euripides tragœdia illa, jam apud veteres eam ob rem notata, qua Helenam nunquam Trojæ fuisse, sed nubem Helenæ adsimulatam a Paride raptam, ipsam autem in Ægypto a Proteo rege custoditam indeque a Menelao marito repetitam esse, auditoribus persuadere voluit. Non excogitasse Euripidem hanc mutationem fabulæ apud Græcos celeberrimæ, scriptoribus licet credamus, qui Stesichorum tam singularis fabularum Homericarum perversionis auctorem esse perhibent. Similis de Helena in Ægypto servata narratio apud Herodotum legitur, et a Philostrato in vita Apollonii repetitur.[4] Sed quomodocunque ortum ac propagatum sit illud a vulgari opinione abhorrens commentum, Euripides eo certe usus est ita, ut causam susciperet eorum, qui Homeri auctoritatem palam imminuerent. Ratio autem ei cum reddenda videretur, cur Dii propter vanum simulacrum a Paride raptum tantum bellum excitaverint, quo tot egregii viri perirent, Jovis consilio factum id esse docet, ut hominum turba ac multitudine matrem Tellurem levaret;[5] quæ quidem Jovem defendendi ratio ad risum auditoribus movendum aptissima erat, quamquam addit poëta, Trojanum bellum Trojæque excidium

1 *Οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.*
Eurip. Iphigen. in T. v. 391.

2 l. c. v. 387.

3 Notus est locus in Pindari Olymp. i. *Ἐμοὶ δ' ἄπορα, γαστρίμαργον μακάρων τίν' εἰπεῖν*, etc.

4 Vide quæ Barnesius adnotavit ad Euripidis Helenam, v. 33.

5 — *ὡς ὄχλου βροτῶν
πλήθους τε κουφίσειε μητέρα χθόνα.*
Euripidis Helena, v. 39.

eam quoque ob causam a Jove esse decretum, ut optimum Græcorum, Achillem, clarum faceret.

Sed majorem nobis mirationem facere possit, Euripidem vaticinia quoque ac præsagia, imo oracula, palam impugnasse. Fidem eum divinationi, qualiscunque sit, non habuisse, artemque divinandi, *μαντικὴν* illam, quæ pars religionum apud Græcos fuit, inter falsas ac pestiferas artes collocasse, non dissimulavit. Achillem, dicere possis, in Iphigenia tragœdia contra vates invehentem poëtæ sententiam non exprimere, cum iratus loquatur Achilles.[1] Sed in Helena quæ nuntius senex contra vaticinia profert, chori sententia firmantur. Vana esse, senex ille ait, vaticinia, ac plena mendaciorum.[2] Nihil sani (*ὑγιὲς οὐδὲν*) inesse nec flammis, quas inspicientes fatidici hariolantur, nec avium vocibus ab auguribus judicatis. Stultitiam esse opinari, mortales ab avibus juvari; a Diis bona expetere oportere, vates autem contemnere.[3] Consilium ac prudentiam optimos esse vates.[4] Quam senis sententiam disertis verbis chorus adprobat, cum idem se de vatibus sentire non inficiatur; qui Deos amicos habeat, eum optimam divinationem domi habere.[5] Quodsi non Athenis, sed Romæ, poëta talia de scena pronuntiare ausus esset, capitali eum, puto, supplicio populus afficiendum esse jussisset. Sed in Græcia augurum, haruspicum, aliorumque hujus generis hominum nunquam tanta, ut apud Romanos, auctoritas videtur fuisse, cum oracula Deorum, imprimis Apollinis, in propinquo essent, quæ Romani adire locorum longinquitate prohibebantur. Athenis impune rejicere potuit Euripides, quæ, etsi vulgo credita ad religiones pertinebant, tamen a saniore populi parte non magni æstimabantur. Non improbasse eum tantum, sed vere odio prosecutum esse hariolationes, asperitate reprehensionum, cum in eos invehit, docemur. Sic in fragmento tragœdiæ a Clemente Alexandrino servato astrologis succensens pro-

1 Iphigenia in Aul. v. 959.

2 —Ἀλλά τοι τὰ μάντεων
Ἐσεῖδον ὡς φαῦλ' ἔστι καὶ ψευδῶν πλέα. Helena, v. 750.

3 l. c. v. 759.

4 Γνώμη δ' ἀρίστη μάντις, ἥ τ' εὐβουλία. l. c. v. 763.

5 —Τοὺς θεοὺς ἔχων τὶς ἂν
φίλους, ἀρίστην μαντικὴν ἔχοι δόμοις. l. c. v. 765.

jiciendas esse ait tortuosas eorum fraudes (σκόλιας ἀπάτας), cum lingua eorum pestifera (ἀτηρὰ γλῶσσα) de rebus incertis temeraria effutiat, scientia carens.[1] Sed cum ita divinandi artem impugnaret Euripides, cavendum ei erat, ne Deorum quoque oraculis parum fidere videretur. Factum id esse videmus in Electra. Orestes in hac tragœdia Apollinis oracula rata esse judicat, hominum autem divinationem se valere sinere.[2] Cum vero in fine ejusdem tragœdiæ Castor ac Pollux, Dii ex machina, apparent, valde improbant oraculum Oresti ab Apolline redditum, quo persuasus Orestes matrem occiderat. Jure illam pœnas dedisse, sed non jure a filio esse necatam;[3] silendum esse de his rebus, cum Phœbus Deus sit; sed cum sit sapiens, non sapienter eum oraculum reddidisse.[4] Quomodo hanc sententiam cum reverentia oraculis debita conciliemus? Nam si stulta injustaque ipsis Deorum oraculis facere jubentur homines, etsi non irrita oracula, ad imbuendos rerum divinarum veneratione animos certe non apta sunt. Quæri etiam potest, cur, cum silendum esse oraculi vitium judicaret Euripides, ipse hoc vitium retegeret. Itaque cum in hac quoque causa pietatem publicam non adjuvasse fatendum est.

Jam ad alteram disputationis partem accedamus, rationemque, qua philosophus scenicus, de religione non optime meritus, mores corrigere virtutisque præcepta animis instillare voluit, dispiciamus. Non ad singulas tantum sententias, sed ad fabularum etiam inventionem ac dispositionem in hoc quoque capite respiciendum nobis videtur.

Multa præclara virtutis præcepta Euripidis tragœdiis inesse, jam in fronte commentationis nostræ diximus. Sed morum honestatem ab ipso centies commendatam atque in quibusdam ejus fabulis egregie depictam primum eo imminuit, quod, in hoc quoque genere, ut in omnibus fere, sibi ipse non constans, et a naturali tragœdiæ majestate recedens, heroibus in scenam productis mores haud raro tribuit non humanis tantum vitiis non immunes, sed illiberales,

1 Vide fragmentum in Barnesii editione Euripidis, Tom. ii. p. 191.

2 Euripidis Electra, v. 399.

3 Δίκαια μέν νυν ἥδ' ἔχει· σύ δ' οὐχὶ δρᾷς. l. c. v. 1244.

1 Σοφὸς δ' ὢν, οὐκ ἔχρησέ σοι σοφά. Electra, v. 1246.

humiles et abjectos. Sic Orestem in tragœdia nomine ejus insignita apud Euripidem non talem conspicimus, qualis ab Æschylo ac Sophocle effingitur; non generosum illum excelsoque animo cum fatis luctantem, sed sordidum, anxium, turpiter, ut mortem subterfugiat, Helenæ ac Menelao insidiantem. Neque Pyladis in hac tragœdia partes meliores sunt. Eosdem tamen juvenes nobilissimos ipse Euripides ita, ut decet poëtam tragicum, depinxit in alia tragœdia, Iphigenia in Tauris, ubi uterque imperterritus, magnanimus, vitæque, ut amicum servet, prodigus conspicitur. Sed id quoque ad singulare hujus poëtæ ingenium pertinet, quod, sibi impar, modo humi serpit, modo ad sublimitatem evehitur Sophocle ac Æschylo dignam. Minime reprehendendus est in eo, quod mores tragico scribendi genere depingens virtutis sine labe exempla proponere noluit; sed, cum generosum ac magnanimum illud, quo apud Æschylum ac Sophoclem heroes, etiam dum peccant, eminent, temere alteraret, nullo modo veræ virtutis sensum auxit, animos autem, quos erigere debebat, depressit. Ipse, quod in morum descriptione tragica peccavit, admirabiliter correxit in Iphigenia in Aulide. Primum enim generosam virginem morti devotam tam timidam, tamque pusilli animi inducit, ut dolori non temperans vitæque amore abrepta, exclamet, male vivere melius esse quam bene mori.[1] Qua illiberali sententia poëtam nihil aliud quam naturalem vitæ amorem animo imprimis puellari insitum exprimere voluisse, certissimum est; sed eamdem rem aliter verbisque Agamemnonis filia minus indignis exprimere potuisset. Tanto magis laudanda sunt, quæ sequuntur, cum eadem Iphigenia sibi reddita fortissime mortem oppetit, matremque in lacrimas effusam erigens, Non tibi soli, ait, sed toti Græciæ me peperisti.[2]

Neque partes Choro in inventione tragica tribuendæ ab Euripide semper ita servatæ sunt, ut moribus spectatorum fingendis inservirent. Chori enim potissimum erat, sapientiam commendare, prava consilia improbare, justitiam ho-

1 Κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς. Iphigen. in Aul. v. 1252.

2 Πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, οὐχὶ σοὶ μόνῃ. l. c. v. 1386.

nestatemque lectissimis verbis ornare. Tantum autem abest, ut hujus officii in Euripidis tragœdiis chorus semper rationem habeat, ut in Medea leviter tantum attingat criminis insoliti atrocitatem. Non ignarus sceleris, quod infelix mulier meditatur, leniter eam chorus, miseratione motus, castigat; timide dehortatur, ne perficiat crimen, non propterea, quia impium ac nefandum sit, sed miserrimam fore ipsam, ait, pœnitentia. Denique Medeam facinus perpetrantem chorus non coërcet. Miseram interea mulierum conditionem multis verbis deplorat. Tandem, flebilem clamorem filiorum matris manu pereuntium audiens, succurrere miseris constituit; sed ante, quam succurrat, acta res est. Naturaliter satis in hac quoque causa Euripidem mulierum mores descripsisse, negari nequit; est enim chorus ille timidus et ignavus ex ancillis Medeæ compositus. Verum in eo, quod ejusmodi chorum in hac tragœdia collocavit, culpandum poëtam esse existimo.

Miserationem quovis modo fabularum tragicarum et inventione et dispositione movendam esse, Euripides videtur judicasse. Itaque generaliter etiam rerum humanarum conditionem haud raro deplorat. Quod si poëtæ concedas, philosopho tamen cavendum erat, ne ultra, quam satis sit, in hoc lamentationis genere exspatiaretur. Euripides autem tritum illud, ab ipso *τὸ πανταχοῦ θρυλλούμενον* appellatum,[1] optimum homini esse, non nasci, non tantum pluries repetivit, sed copiosa malorum, quæ in vita hominum sint, enumeratione exornavit.[2] Electram, tragœdiæ, quæ Orestes inscribitur, præfantem nullum dicere facit esse malum, nullamque calamitatem, neque adflictionem divinitus venientem, cujus pondus non sustineat genus humanum.[3] Sed, neque in hac re sibi constans, in Supplicibus, cum denuo movetur quæstio centies agitata, utrum bona plura, an mala, in humanam conditionem cadant, bonorum plus esse, Theseum pronuntiare facit Euripides. Longum ibi recensum videas commodorum, quibus humana vita gaudet ceterorumque animantium conditioni præstat. Si hoc non

1 In fragmento Bellerophontis, tragœdiæ deperditæ, apud Stobæum.

2 l. c.

3 *Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν* etc. Euripidis Orestes, initio.

esset, nos in hac luce non fore, Theseus addit.[1] Cui igitur credamus? an Theseo, an Electræ?

Variarum sententiarum ad mores spectantium, quibus Euripidis tragœdiæ refertæ sunt, nonnullas tantum examinemus, quidque Socraticum vel Anaxagoreum iis inesse dici possit, consideremus. Ex Socratica quidem disciplina non profectæ esse videntur innumeræ sexus feminei vituperationes jam apud veteres, præeunte imprimis Aristophane, irrisui objectæ. Euripidem 'misogynum' neque defendere, neque novis opprobriis onerare, hujus loci est; monuisse tamen eum nonnulla de mulierum conditione, quæ fautoribus quoque sexus feminei arridere possint, negari nequit. In Hippolyto, verbi causa, mulieres esse quasdam, pronuntiatur, quæ plus sapiant, quam oporteat mulierem sapere; mentis simplicitate magis, quam prudentia, quæ plerumque in calliditatem vertatur, feminarum pudicitiam muniri.[2] Sed quæ alio loco ad commendandam polygamiam ab Euripide proponuntur, magis ad risum movendum videntur esse dicta. Non recte enim legibus de mulieribus constitutum esse, ait; divitem oportere quamplurimas uxores ducere, ut improbam ex ædibus ejicere, probam vero retinere possit.[3]

Ad Socraticam disciplinam referri possit singularis de natura amoris sententia Euripidea ab Athenæo servata. Amorem esse optimum sapientiæ virtutisque magistrum. Juvenibus suadendum esse, ut ne Amorem fugiant, sed, cum advenerit, recte eo utantur.[4] Quæ non ad Amorem vulgarem spectare, patet; Socratis autem sapientia quomodo a Platone ἐρωτική appellatur notum est.

Quædam ab Anaxagora dicta in hac quoque sententiarum parte ab Euripide repetita esse videntur. Cicero in Quæstionibus Tusculanis de tolerando dolore disputans, versusque Euripideos laudans, quibus mala iis tantum acerba esse dicuntur, quibus non fuerint cogitata, Anaxagoræ, addit, auditorem fuisse Euripidem his quoque versibus manifestari, cum Anaxagoras, nuntiata morte filii, dix-

1 Hippolytus, v. 200.
2 l. c. v. 616.
3 Vide fragmentum Inonis tragœdiæ, in Barnesii editione Tom. ii. p. 450.
4 Vid. fragm. in Barnesii editione, Tom. ii. p. 492.

isse narretur, non ignorasse se, mortalem se filium genuisse.[1] Ex eodem fonte manare potuerunt, quæ de divitiis contemnendis apud Euripidem passim leguntur. Anaxagoras enim, si fidem habeamus Valerio Maximo, interrogatus a divitiarum admiratore, quisnam beatus sit, neminem dixit ex his, quos ille felices existimaret.[2] Eumdem philosophum universum patrimonium cognatione ei junctis sponte concessisse, Diogenes Laërtius narrat.[3]

Maxima pars sententiarum ad mores spectantium, quas Euripides fabulis suis intexuit, poëtam ipsum auctorem habere videtur, cum et nihil iis insit, quod scholam aliquam peculiariter redoleat, et tempore illo, cum Euripides tragœdias scriberet, morum doctrinæ solidioris initia e Socratica disciplina vix prodire cœpissent. Itaque ad Stoicam disciplinam, tunc nondum ortam, referri nequit, quod ab Euripide ita fere dicitur, ut a Stoico dictum esse putares. Sic in Hecuba, tragœdia, hominum bonorum malorumque ingenia comparantur cum terra, quæ modo bonam segetem fert, modo malam. Non similiter hominis naturam constitutam esse judicatur; inter homines enim malum nihil aliud esse, quam malum, bonum autem semper bonum.[4] A Stoico proferri etiam potuisset, quæ Euripidi tribuitur a Stobæo in fragmento servato sententia, virum justum ac sapientem neque in rebus adversis irasci Diis.[5] Sed eadem sententia Æschylum auctorem habere dicitur ab aliis.[6] Morum studiosum observatorem fuisse Euripidem, quæque secum cogitaret, ea haud dissimulanter eum in medium protulisse adparet. Sed nunquam in cogitatione aliqua defixus, nec veri diligens indagator, sententiam modo hanc, modo illam, qualis ei in mentem veniebat, talem in versibus posuit, tamque parum curiosus in hoc genere fuit, ut nec trita ac futilia adspernaretur, dummodo aliquid veri iis inesse putaret. Quid, quæso, jejunius dici possit illo: Eum esse felicissimum, cui de die in diem nihil accidat mali?[7]

1 Ciceronis Quæst. Tusc. i. 3.
2 Valerius Maximus, vii. 2.
3 Diogenes Laërtius, ii. 3.
4 Euripidis Hecuba, v. 596.
5 *'Ανδρῶν τόδ' ἐστιν ἐνδίκων τε καὶ σοφῶν, Κἂν τοῖσι δεινοῖς μὴ τεθυμοῦσθαι θεοῖς.* Vide fragm. ex Stob. in Barnesii ed. Eurip. Tom. ii. p. 485.
6 Vide l. c.
7 Euripidis Hecuba, v. 627.

Vel: Miseram esse domum consilii inopem?[1] Atqui non pauca hujus generis ex Euripidis tragœdiis colligere licet, quibus fabulæ splendor minuitur, ad sapientiam autem propagandam nihil efficitur.

Ad laudes Euripidis pertinere existimo, quæ de civitate regenda pluribus locis in tragœdiis ejus populo propinantur. Nunquam adulatus est populo, quamquam tragœdiarum ejus illa, quæ Supplices inscribitur, tota fere reipublicæ Atheniensium præconium esse videtur. Quidni enim poëtæ Atheniensi liberæ civitatis regimen summo unius imperio anteponere liceret? Civitatem liberam unius imperio præferendam esse, splendido sermone exponit Theseus, Athenarum conditor, in Euripidis Supplicibus. Alucinari poëtam, dicere possis, cum Theseum Athenarum regem, civitate nondum mutata in formam eam, quæ unius imperium non patitur, regni osorem fingat. At enim non depinxit tyrannum, Græco loquendi more, sed principem civitatis legibus bene constitutæ. Eo rempublicam contineri, quod quisque leges accurate servet, Æthra, Thesei mater, in eadem tragœdia filium monet, cum ille, quidnam faciendum sit, dubius hæret.[2] Populi autem imperio justi fines excedenti tam parum favet Theseus, civitatis liberæ præstantiam extollens, ut neque pauperum, neque divitum consilio bene rempublicam regi pronuntiet; divites enim plura semper expetere, pauperes autem, invidia commotos, convitiis proscindere divites, ipsos malorum præsidum linguis decipi; tertiam denique civium partem, in medio constitutam, disciplinam ipsamque civitatem servare.[3] Contra oratores verborum lenociniis plebem corrumpentes Euripides pluribus locis insurgit. In Hippolyto eos, qui inter sapientes nullius sint pretii, aptiores ait esse ad loquendum apud turbam.[4] In Bacchis Tiresias judicat, virum sibi confidentem, potentem, ac facundia pollentem, nisi mentem habeat sanam, perniciosum esse civem; sapienti, cum bonas occasiones loquendi nactus sit, non arduum esse, præclare dicere.[5] Ejusmodi sententiis de scena in

1 In Oreste, v. 70.
2 Euripidis Supplices, v. 312.
3 l. c. v. 238 sq.
4 Hippolytus, v. 908.
5 Bacchæ, v. 270.

medium prolatis, cum vitia attingerent, quibus potissimum laborabat Atheniensium respublica, certe plebem permulcere Euripides noluit. Vanam libertatis speciem animo ejus observatam non esse, præclare expressit in Hecuba, ubi spectabilis hæc femina neminem mortalium declarat esse liberum; aut pecuniæ servos esse homines, aut fortunæ; ipsisque legibus, quibus respublica regatur, effici, ne quis pro arbitrio moribus utatur.[1] Populi Atheniensis in ducibus ad bella gerenda creandis levitatem ac socordiam pluribus locis Euripides castigavit. In Supplicibus nuntius, Thesei res bene gestas exponens, talem, addit, copiarum ducem eligere oportere, qui et in periculis fortis sit, et oderit populum insolentem.[2] Magis arridere plebi potuerunt, quæ de generis nobilitate in fragmento Alexandræ, tragœdiæ Euripidis deperditæ, dicuntur; nullam malis hominibus nobilitatem inesse; matrem tellurem omnibus hominibus consimilem faciem esse largitam; nobilium ignobiliumque eamdem esse progeniem; tempus legibus arbitrariis nobilitatem reddere gloriosam; in prudentia ac sapientia veram nobilitatem sitam esse, divinitus datam.[3] Quæ cum ab aliis etiam, qui philosophi sibi quidem esse videbantur, sæpissime proclamata sint, Euripidem plebis adsentatorem fuisse non arguunt.

Inter miras ac singulares hujus poëtæ sententias referendum est, quod contra Athletas dixit in Autolyco, dramate, cujus, etsi satyricum fuisse perhibetur, tamen mentio nobis hoc loco facienda est, quoniam ex fragmento, quod Athenæus servavit, Euripidis fiducia vel, si malis, temeritas in impugnandis et opinionibus et institutis a majoribus acceptis præcipue elucet. Athletarum corpora ultra modum exercitata, etsi ad luctam aptissima, belli tamen laboribus perferendis minus erant idonea. Quod cum nemini Græcorum esset ignotum, Athletarum nihilo minus colebatur institutio, quoniam non ad ludos tantum publicos pertinebat, ubi corporum non minus quam ingeniorum præstantia palma erat condecoranda, sed juventuti etiam exemplo erant Athletæ,

1 Hecuba, v. 864.
2 Supplices, v. 726.
3 Vide fragmentum ex Stobæo in Barnesii editione Euripidis, Tom. ii. p. 419.

ad quantum virium, strenua exercitatione, exsurgere possit corpus humanum. Immense Græcos hoc exercitationis genus colere solitos esse, cum publicis sumtibus Athletas, qui palmam reportassent, alendos esse judicarent, principemque iis in spectaculis locum concederent, improbari poterat a philosopho plus animi quam corporis viribus tribuente. Xenophanem Colophonium, Eleaticæ philosophiæ auctorem, hunc Græcorum morem non leniter castigasse, apud Athenæum legimus.[1] Euripides autem non odio tantum habuit Athletas, sed, cum innumeris malis Græcia prematur, hoc malo nihil pejus esse, luculenta demonstratione ostendere studuit. Viros probos ac sapientes, patriæ propugnatores, reipublicæ moderatores, coronandos esse ait, non homines illos inutili robore superbientes, ventri deditos, laborum impatientes, qui ne recte quidem se alere didicerint, quique juventutis tantum tempore speciosi incedant, senectute autem adveniente pereant, lacernis similes detritis.[2] Xenophanis versus Euripidem, cum hæc scriberet, imitatum esse, ut Athenæo videtur, non simpliciter dixerim, etsi eos memoriæ ejus obversatos esse haud negaverim. Exacerbatus mihi videtur fuisse recordatione sui ipsius pueritiæ. Nam patri ejus a Chaldæo fatidico responsum esse perhibetur, puerum, cum adolevisset, in certaminibus fore victorem, quod pater interpretatus, Athletam debere esse filium, inter athletas eum deduxisse fertur. Narrantur hæc a Gellio, qui auctorem nominat Theopompum.[3] Eleusinio itaque ac Thesæo certamine pugnasse Euripidem juvenem, et coronatum esse, mox autem a corporis cura ad animi excolendi studium transgressum Anaxagoræ ac Prodici auditorem fuisse, Gellius ex Theopompo addit. Ignoscendum igitur est viro ingenii dotibus excellenti, quod modum excesserit in reprehendendo vitæ genere, cui se quoque destinatum fuisse erubescebat. Eamdem ob rem tam acriter contra vaticinia insurrexisse mihi videtur, quia Chaldæi vaticinio pater permotus erat, ut inter Athletas eum deduceret.

1 Vide versus Xenophonis in Athenæi Deipnosoph. x. 6. ex editione Schweighæuseri, Tom. iv. p. 12.

2 Vide versus ex Autolyco apud Athenæum l. c. p. 10.

3 Noct. Att. xv. 20.

Sed finem huic disputationi imponentes summam rerum a nobis expositarum paucis comprehendamus. Poëtis ad philosophiæ studium propensis Euripides adnumerandus est; sed cum philosophorum more quid de rerum natura, quidque de humana conditione statuendum sit, animo volveret, non satis huic cogitationi immoratus, neque de rebus diligenter pensitandis sollicitus, id tantum quærebat, quod generaliter pronuntiaret. Itaque non tam veri, quam sententiarum, studiosus fuit. Aliorum vestigiis inhærere dedignatus, Anaxagorea tantum aliqua nonnunquam repetens, inter manifesta ac perplexa, certa ac dubia, fluctuans, sapere tamen sibi videbatur. Ad tragœdiæ perfectionem ea, qua usus est, philosophandi ratione nihil effecit. Superstitionem audacter magis, quam prudentes, impugnavit. Morum præcepta quandoque temere effudit, sæpius tamen utilissima in medium protulit, animosque ad virtutem colendam sedulo excitavit.

G. E. GRODDECK

IN

POLLUCIS ONOM. IV. c. 19. §. 123.

DE

THEATRI GRÆCI PARTIBUS,

IMPRIMIS DE

PARASCENIIS ET HYPOSCENIIS.

G. E. GRODDECK

IN

POLLUCIS ONOM. IV. c. 19. §. 123.

DE

THEATRI GRÆCI PARTIBUS,

IMPR. DE

PARASCENIIS ET HYPOSCENIIS.

[ANALECTA LITTERARIA WOLFII. 1818.]

Diximus alio loco singillatim 'de scena et de thymele' in theatro Græcorum;[1] nunc de reliquis partibus, quas per saturam enumerat Onomastici auctor, videndum:

Μέρος θεάτρου, καὶ πυλίς, καὶ ψαλίς, καὶ κατατομή, κερκίδες, σκηνή, ὀρχήστρα, λογεῖον, προσκήνιον, παρασκήνια, ὑποσκήνια.

'Pars theatri et porta est, et fornix, et præcinctio, et cunei, scena, orchestra, pulpitum, proscenium, parascenia, hyposcenia.'

In his, quæ primo loco nominatur, *πυλίς*, aditum ad theatrum, proprie sic dictum, h. e. ad ædificium orbiculatum in quo spectantes sedebant, significat. Neque de 'valvis quibusdam præcipuis,' quæ aliis vocabulis, ut *πύλη* vel *πύλαι*, indicandæ fuissent, cogitasse Pollucem, ipsa vocis qua usus est indoles declarat: quamquam, si accuratius dicere voluisset, *πυλίδες*, numero multitudinis, scribendum fuisset. Etenim quod res ipsa docet, plures fuisse aditus, quibus ad theatri contignationes et sedilium gradus pervenire possent spectaturi, ne intrantibus pariter atque egredientibus in turba luctandum esset; id quum Vitruvii præceptis[2] firmatur, tum intueri licet in ipsis theatri Segestani, Tyndaritani et Tauromenitani ruderibus.[3]

1 Ad calcem Philoctetæ et Trachiniarum Sophoclis, Vilnæ 1806 et 1808. S.

2 L. v. c. 3. "Aditus complures et spatiosos oportet disponere, nec conjunctos superiores inferioribus, sed ex omnibus locis perpetuos et directos sine inversuris faciendos; uti, quum populus dimittitur de spectaculis, ne comprimatur, sed habeat ex omnibus locis exitus separatos sine impeditione."

3 V. Houel Voyage pittoresque des îles de Sicile, etc. T. i. p. 12. Tab. xi. p. 104. Tab. lviii. cf. Stieglitz Encyclop. d. bürg. Baukunst T. iv. p. 553.

Ψαλίς ‘ fornix’ quid sit, ex Vitruvio disci potest l. v. c. 3. §. 3. “Fundamentorum autem, si in montibus fuerit (theatrum), facilior erit ratio; sed si necessitas coëgerit in plano aut palustri loco ea constitui, ‘solidationes substructionesque’ ita erunt faciendæ, quemadmodum de fundationibus ædium sacrarum in tertio libro est scriptum.” Designantur igitur hac voce ‘substructiones fornicatæ’ (der gewölbte Unterbau), quibus gradationes sive sedilia inædificarentur in omnibus iis theatris, quæ non, ut apud Græcos fieri solebat, ad montium declivia acclinata, vel in rupes excavata erant, sed in locis planis exstructa.[1] Quæ vocis significatio, Hesychii explicatione innixa: *ψαλίδες, ἀψίδες τῶν στύλων· ψαλίς, τὸ ἅρμενον καὶ καμάρα*: alio insuper Pollucis nostri illustratur loco, ix. 5. T. ii. p. 1012. ubi inter plura ædificia subterranea etiam *ψαλίδες* memorantur, hac explicatione subjecta: *ἔστι δὲ ἡ ψαλὶς εἶδος οἰκοδομήματος, ἥπου καὶ Σοφοκλῆς ἐν Λακαίναις λέγει· στενὴν δ' ἔδυμεν ψαλίδα κοὐκ ἀβάρβαρον. ἀλλὰ μὴν καὶ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις· θήκην δ' ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένην εἶναι ψαλίδα προμήκη λίθων πολυτίμων.*[2]

Jam etsi substructionum hoc genus in Romanis theatris potissimum reperiatur,[3] tamen constat, idem nonnumquam adhibitum esse in Græcis, quorum sedilia fere in montem rupemve excavata fuisse dudum monuimus: nimirum quum montis species cum theatri forma semicirculari minus congrueret, ita ut interiorem tantum sive extremam sedilium partem monti inferrent, latera vero utrimque lapideis substructionibus fulcirentur, quo ædificii justa et usitata forma semicircularis efficeretur; id quod etiamnum testantur theatrorum Ephesi, Alabandæ, Hierapoli, tum Sardiani et Segestani rudera.[4] Itaque apparet, *ψαλίδα* sive concameratam hanc substructionem theatri partibus a Polluce recte annumerari.

1 Cf. Rodii Annotatt. ad Vitruv. Germ. vers. l. c. T. i. p. 211. Houel Voyage pitt. T. ii. Théatre de Taormine.

2 Platonis locus cum nonnulla lectionis varietate legitur in xii. lib. de Legg. p. 947. D. T. ix. p. 189. Bip. *Θήκην δὲ ὑπὸ γῆς αὐτοῖς εἰργασμένὴν εἶναι, ἀψῖδα προμήκη, λίθων προτίμων καὶ ἀγήρων εἰς δύναμιν, ἔχουσαν κλίνας παρ' ἀλλήλας λιθίνας κειμένας.* ‘Sepulchrale monumentum ipsis subterranea sit fornix quædam longior ex durissimis et pretiosis lapidibus, ubi lapidei lectuli utrinque sint.’ Cf. Schneider. V. Cel. ad Vitruv. vi. 8. 4. T. ii. p. 493 sq.

3 V. Stieglitz l. c. p. 541.

4 V. Idem l. l.

Tertia est κατατομή, quam, cum Rodio[1] et Stieglitzio,[2] intelligi existimo, quæ Vitruvio dicitur 'præcinctio' (v. 3.) et 'diazoma' (v. 7. ap. Schneid. v. 6. p. 129.) hoc est, spatium paullo latius quod, in plurium contignationum theatris, primæ, secundæ et, si quando exstrueretur, tertiæ etiam contignationis gradibus interjectum erat, ita ut primam a secunda, hanc item a tertia separaret. Vocabuli hujus usum, in theatro Attico, firmare videntur duo fragmenta, ab Harpocratione laudata v. κατατομή; alterum, Hyperidis, ex oratione c. Demosthenem: Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους· καὶ καθήμενος κάτω ὑπὸ τῇ κατατομῇ, 'Et infra assidens sub præcinctione;' quibus verbis significari puta extremum i. e. altissimum sedilium primæ contignationis gradum; alterum, quod statim sequitur, ex Atthide Philochori:[3] Φιλόχορος δὲ ἐν ἕκτῃ οὕτως· Αἰσχραῖος Ἀναγυράσιος ἀνέθηκε τὸν ὑπὲρ θεάτρου τρίποδα καταργυρώσας, νενικηκὼς τὸ πρότερον ἔτι χορηγῶν παισί, καὶ ἐπέγραψεν ἐπὶ τὴν κατατομὴν τῆς πέτρας, 'Æschræus Anagyrasius consecravit tripodem illum argentatum super theatro, jam olim victor, quum in puerorum choro choragi munere functus esset, et inscriptionem' in rupis præcinctione 'insculpi jussit.' ἡ πέτρα, in cujus κατατομῇ tripodis dedicati titulum exaratum fuisse legimus, vix alia fuerit quam mons, cui acropolis sive arx Athenarum inædificata, in cujusque latere australi, orientem versus, theatrum Bacchi erat exstructum.[4] Tripodem vero argenteum, cujus meminit Philochorus, fortasse haud diversum mecum statueris ab illo, cujus descriptio legitur apud Pausaniam l. l. c. 27. pag. 77. Fac. ἐν δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ θεάτρου σπήλαιόν ἐστιν ἐν ταῖς πέτραις ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν. Τρίπους δὲ ἔπεστι καὶ τούτῳ. Ἀπόλλων δὲ ἐν αὐτῷ καὶ Ἄρτεμις τοὺς παῖδάς εἰσιν ἀναιροῦντες τοὺς Νιόβης, 'In theatri autem fastigio specus est in rupibus sub arce. Cui impositus etiam tripus, in quo Apollo cum Diana conspiciuntur liberos Niobes inter-

1 In nota f. ad Vitruvii vers. p. 226.
2 Encycl. d. b. Bauk. T. iv. p. 545.
3 Chronographi, tertio a. Ch. sæculo, sub Ptolemæis iv. et v. florentis, cujus librorum fragmenta, a Lenzio collecta et illustrata, nuper digessit ediditque C. G. Siebelis. Lipsiæ 1811. 8. quem vide de loco hoc disserentem p. 62. cf. Heynius ad Apollod. Obss. p. 319 sqq. Harlesius ad Fabric. T. ii. p. 481. et Elementa nostra p. 336 sq.
4 V. Chandleri Travels in Greece p. 61 sqq.

ficientes.' Ut enim taceam, Philochori verba, locum in quo positus erat tripus declarantia, *τὸν ὑπὲρ θεάτρου τρίποδα*, cum Pausaniæ istis, *ἐν δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ θεάτρου*, bene componi posse: ipsum cælaturæ in tripode consecrato argumentum a Pausania commemoratum, cædem dico liberorum Niobes ab Apolline et Diana perpetratam, ad memoriam victoriæ, quam, Philochoro teste, choragus 'in puerorum choro' reportasse dicitur (*νενικηκὼς τὸ πρότερον ἔτι χορηγῶν παισί*), conservandam haud temere inventum esse, immo, quo significantius sit, eo magis accommodatum videri antiquitatis genio, quisque fatebitur. Denique 'præcinctio rupis' (*κατατομὴ τῆς πέτρας*) cui, Philochoro auctore, donarii titulum insculpendum curaverat Æschræus, altissimo sedilium ordini in secunda contignatione proxima cogitanda erit, ubi specum fuisse tradit Pausanias, cui tripus esset impositus.

Sedilium ordines in theatri hemicyclo, cuneorum instar versus orchestræ centrum procurrentes, a scalisque ab utraque parte inclusi, dicebantur *Κερκίδες*, quod totidem linearum sive 'radiorum,' qui ex orchestræ centro ad semicirculi circumferentiam duci poterant, speciem referrent; iidem apud Romanos fere simili de causa 'cunei' vocati, a forma eorum cuneata, qua in inferiore parte angustiores, in latius superne spatium ascenderent.[1] Hinc explicandi versus Alexidis, comici mediæ comœdiæ, apud Pollucem ix. 5. 44. T. ii. p. 1006:

> *Ἐνταῦθα περὶ τὴν ἐσχάτην δεῖ κερκίδα*
> *ὑμᾶς καθιζούσας θεωρεῖν, ὡς ξένας.*

ubi *ἡ ἐσχάτη κερκὶς* aut de toto cuneo, inter duas scalas, in secunda contignatione, dicitur, aut, quod verisimilius, de altissimo gradu, sive ultimo subsellio, unius vel plurium *κερκίδων* seu cuneorum superioris theatri contignationis intelligi debet, quo loco, Athenis certe, sedisse videntur 'peregrini.'[2]

Λογεῖον in theatro Græcorum, pariter atque 'pulpitum'

1 Vitruv. vi. 8. Glossar. vet. ap. Steph. 'Cuneus,' *θεάτρου κερκίς*. Cf. Stieglitz l. c. p. 549. Rode ad Vitruv. v. 6. T. i. p. 239. not. e. Adler Beschreib. d. Stadt Rom. p. 107.

2 Cf. Hemsterh. ad Polluc. l. c. Boettiger in Mus. Germ. novo 1796. T. i. p. 35 sqq.

Romanorum (Vitruv. v. 8. 3. ap. Schneid. v. 7. 2.), "anterior eademque editior"[1] erat 'pars proscenii,' versus orchestram, in quod ascenderent tragici et comici actores, ut partes suas agerent sermonesque recitarent: unde vel nomen ei inventum esse res ipsa docet. Hesych. T. ii. p. 494: *Λόγιον . . . ὁ τῆς σκηνῆς* (h. e. theatri, sensu latiore) *τόπος, ἐφ' οὗ ὑποκριταὶ λέγουσι.* 'Logei' hujus Græcorum 'latitudo' quidem minor fuit, sed duplo major, super orchestram, 'altitudo,' quam Romanorum 'pulpiti,' præcipiente Vitruvio (v. 6. et 8.): "Ita 'latius' factum fuerit (Romanorum) pulpitum quam Græcorum, quod omnes artifices in scena dant operam: in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata: et 'ejus pulpiti altitudo sit ne plus pedum quinque,' uti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus." . . . . Ita a tribus centris hac descriptione ampliorem habent orchestram Græci et scenam recessiorem 'minoreque latitudine pulpitum,' quod λογεῖον appellant . . . . 'Ejus' (Græcorum int.) 'logei altitudo non minus debet esse pedum decem, non plus duodecim.'[2] Locus autem, quem logeo assignavimus, in proscenii, quocum eandem latitudinem habuit, parte anteriore, hujusque et orchestræ confiniis, ejusdem Vitruvii testimonio nititur l. v. c. 6. §. 1. "Ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, 'quæ disjungat proscenii pulpitum et orchestræ regionem.'" Ceterum eadem proscenii pars alio, fortasse antiquiore, vocabulo a Græcis dicebatur *'Οκρίβας.* "*'Επιλήσμων μέντ' ἂν εἴην, ὦ 'Αγάθων,* (Socratis verba sunt apud Platonem in Convivio p. 194. A. T. x. p. 211. Bip.) *εἰ, ἰδὼν τὴν σὴν ἀνδρίαν καὶ μεγαλοφροσύνην ἀναβαίνοντος ἐπὶ τὸν ὀκρίβαντα μετὰ τῶν ὑποκριτῶν, καὶ, βλέψαντος ἐναντίον τοσούτου θεάτρου, μέλλοντος ἐπιδείξασθαι σαυτοῦ λόγους, καὶ οὐδ' ὁπωστιοῦν ἐκπλαγέντος, νῦν οἰηθείην σὲ θορυβηθήσεσθαι, ἕνεκα ἡμῶν, ὀλίγων ἀνθρώπων.*[3]—Philostratus[4] et Themistius[5] proscenii

1 Unde vox λογεῖον Hesychio T. i. p. 723 ad vocis *βῆμα* explicationem adhibetur.

2 Cf. Stieglitz l. c. p. 561 et 576 sq.

3 Cf. Hesychius, Suidas, Photius, Timæus s. v. *ὀκρίβας*, cum notis Ruhnkenii ad Tim. p. 190. Add. Schneid. Lex. Gr. s. v. Unius Photii verba enotabo: *'Οκρίβας τὸ λογεῖον, ἐφ' ᾧ οἱ τραγῳδοὶ ἠγωνίζοντο. Καὶ Πλάτων ὁ φιλόσοφος Συμποσίῳ κέχρηται τῷ ὀνόματι.*

4 Vit. Sophist. i. 9.

5 Or. xxvi. p. 316. Hard.

partis hujus editioris primum conditorem faciunt Æschylum: quod satis adstruitur notissimis Horatii versiculis in Ep. ad Pis. 227:

> Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
> Æschylus, et 'modicis instravit pulpita tignis.'

Quæ veterum scriptorum de logeo in theatris Græcorum ejusque loco et usu testimonia si expendas, jure mireris, recentiores qui de antiquis theatris scripserunt, si Stieglitzium[1] exceperis, ad unum fere omnes, inutiles turbas concivisse, et nunc λογεῖον cum 'orchestra,' ut, post Isidorum,[2] fecit Scaliger;[3] nunc cum 'thymele,' ut Bulenger;[4] nunc cum utraque confudisse, ut Potterus.[5] Barthelemius[6] quidem proscenii Græci duas partes bene distinguit, earumque alteram editiorem, quam haud dubie de longeo sive pulpito intelligit, 'actoribus' assignat, sed fallitur, quod alteram, depressiorem illam, 'Chori' partibus agendis vulgo inservisse narrat, cui tamen, in Græcorum theatris, 'orchestram,' h. e. amplius hemicyclium inter spectantium sedilia et proscenium, assignatum fuisse, quum aliunde constat, tum a Polluce, eo loco quem tractamus, diserte traditur.[7] Mitto quod, ubi de orchestra dicere debuisset, vocabulo utatur (parterre), a Græcis theatris tam alieno, quam locus ipse cui indicando inventum est. Ab hoc diversus quidem, sed tamen error est, quem commisit auctor libelli 'de fabulis, ludis, theatris' etc., inserti Thesauro

1 Cujus accuratissima logei descriptio legitur l. i. p. 561.

2 Orig. xviii. 44. Paullo aliter auctor anonymus epitomes *περὶ κωμῳδίας* (Comment. in Aristoph. Nub. ed. Beck. p. 34.): *ὁ χορὸς ὁ κωμικὸς εἰσήγετο ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, τῷ νῦν λεγομένῳ λογίῳ.* Quæ verba repetit auctor argumenti Nubium, v. ibid. p. 13. ed. Herm. p. 3.

3 De Comœdia et Tragœdia in Gronov. Thes. AA. GG. T. viii. p. 1506. partem orchestræ fuisse putat logeum.

4 De Theatro i. c. 24 et 26. in Grævii Thes. AA. RR. T. ix. p. 880. E. et p. 882 D. tum in libello admodum perturbate composito, quem inscripsit Descriptio Theatri, ibidem p. 826.

5 Archæologie der Griechen T. i. p. 93 Ramb.

6 Voy. d'Anach. T. vi. p. 68. (ed. 2. Paris. 1789. 8.) "'L'Avant-scène' se divise en deux parties; l'une plus haute, où récitent les acteurs; l'autre plus basse, 'où le Chœur se tient' communément. Cette dernière est élevée de 10 à 12 pieds au-dessus 'du parterre,' d'où l'on peut y monter."

7 §. 123. *ἡ δὲ Ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ.* Adde Vitruv. v. 8. "Ideoque apud eos (Græcos) tragici et comici actores in scena (h. e. in proscenio et pulpito) peragunt, reliqui autem artifices (chorus et musici) suas per orchestram præstant actiones."

Gronov. T. viii., logei locum ita definiens: "Fuit exactissime situm 'ante frontem' scenæ et 'loco' ipsius 'medio,' qui theatri centro responderet." Cujus scriptoris vestigia legisse videtur Montfaucon, pulpiti, certe Romani, sedem 'in medio proscenio' reponens,[1] contra quam Vitruvium diserte docuisse (v. 6.) supra vidimus; nam Græci theatri λογεῖον idem in orchestra quærit, haud dubie cum thymele illud confundens.[2]

Ipsum autem 'proscenium' (προσκήνιον) illa pars theatri est, quam communiter, etsi minus accurate, 'scenam' appellant. Sedulo autem cavendum, ne cum λογείῳ sive pulpito, de quo modo diximus, confundatur.[3] Utrumque enim pro diversis partibus habent et Pollux, nostro loco, et Vitruvius l. l. "'linea ducatur,' præcipiens, 'quæ disjungat proscenii pulpitum.'" Quodsi logeum, proscenii pars editior, is locus erat, in quo histriones partes suas agerent: 'proscenium,' vi vocis, non fuerit nisi 'spatium ante scenam' (h. e. ante parietem intimum, tres valvas illas et spatia ad ornatus (decorations) relicta continentem,[4] in quo histriones, præter istos qui recitarent, reliqui versarentur, quodque tres illi actores principes, quorum infra meminit Pollux, transire debuerint, ut in logeum vel pulpitum ascenderent. Videtur autem, recte monente Stieglitzio,[5] et proscenium, et pulpitum, e tabulis tantum ligneis, quæ tignis imponerentur, ad tempus duntaxat constructum fuisse, ut, acta fabula, si opus esset, facili negotio dissolvi posset.[6] Quo ducit vel explicatio logei quam dedit Ti-

1 Antiquité expl. T. iii. p. 234.

2 Ibidem p. 250.

3 Quod, ut de aliis taceam, accidit Boindinio in dissert. quæ inscribitur "Discours sur la Forme et la Construction du Théâtre des Anciens," et inserta legitur Commentariis Acad. Inscr. Paris. T. i. p. 148. cujus quidem auctor omnino substitisse fere videtur in ornandis quæ trita et vulgaria sunt, quamvis ne hæc quidem accurata diligentia, sed valde perfunctorie exposuisse dicendus sit.

4 De hac vocis, 'scena,' propria significatione locus classicus exstat ap. Vitruvium v. 7. (v. 6. 8. Schneid.): "Ipsæ autem scenæ suas habeant rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant aulæ regiæ; dextra ac sinistra hospitalia: secundum autem spatia ad ornatus comparata, quæ loca Græci περιάκτους dicunt ab eo, quod machinæ sunt in iis locis versatiles trigonæ, habentes in singula tres species ornationis, quæ, quum aut fabularum mutationes sunt futuræ, seu deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur mutentque speciem ornationis in frontes." Cf. Pollux n. l. et §. 124. et vide nunc Franchi-Pont in Mém. de l'Acad. de Turin 1809—10.

5 Encyclop. T. iv. p. 562 sq.

6 Cf. Houel Voyage pittor. de Sicile T. ii. p. 37 sq. et Tab. æn. xcii. No. 9.

mæus in Lex. Plat. v. *'Οκρίβας*,[1] tum Horatii illud, de Æschylo supra memoratum: "modicis instravit pulpita tignis."

Superest ut de 'parasceniis' et 'hyposceniis' dicam. Quibus vocabulis quænam partes theatri Græcorum intelligendæ sint, quum inter se dissentiant interpretes, neque vera vocabulorum notio tam facile erui possit; 'hyposcenii' autem 'descriptio' apud Pollucem paullo post demum sequatur: primum 'de parasceniis' agam.

Παρασκήνια quidem Rodio[2] et Stieglitzio[3] videntur 'latus utrumque scenæ' designasse, idem quod a Vitruvio[4] 'versurarum' nomine indicetur. Ut ab hoc incipiam, licet dubitare, an 'versura de spatio quodam continuo,' quale in scenæ seu potius proscenii 'lateribus' cogitetur necesse sit, Latinis usurpari soleat. Nam communiter 'flexum,' quum 'sulcorum' in arando a bobus factum, tum 'angulorum' in parietibus, significat. Prioris significationis multa exempla suppeditant rei rusticæ scriptores, posterioris Vitruvius. cf. Lex. Vitruv. et Gesneri Thes. L. L. s. v.[5] Secundum hæc, 'versuræ procurrentes' in Vitruvii loco infra descripto, si ad verba quæ statim sequuntur respicias, 'de finibus utrinque scenæ' accipi debent, prope spatia ad machinas comparata versatiles: in quibus finibus, in theatro Romano, aditus in scenam patebant histrionibus; quamobrem Vitruvius, alio loco, (l. v. c. 6 extr., c. 6. §. 3. Schneid.) eosdem utrobique aditus, 'itinera versurarum' appellat. 'Versuræ' autem dicuntur, quod aditus hi erant in 'angulis,' qui efficiuntur, ubi proscenii latera extremos parietis, qui scenam constituit, fines secant; denique 'procurrentes,' propter id ipsum, quod, patefacto aditu, in latus quasi

1 *'Οκρίβας, πῆγμα τὸ ἐν τῷ θεάτρῳ τιθέμενον, ἐφ' οὗ ἵστανται οἱ τὰ δημόσια λέγοντες . . . . . . Λέγει γοῦν τις· Λόγιόν ἐστι πῆξις ἐστορεσμένη ξύλων, εἶτα ἑξῆς ὀκρίβας ὀνομάζεται.*

2 Vitruvius Baukunst T. i. p. 245. Beilage p. 277. Wörterbuch. T. ii. p. 46.

3 Encycl. d. b. B. T. iv. p. 559.

4 L. v. c. 7 extr. (c. 6. §. 8. Schneid.): "Secundum ea loca (nempe in fine scenæ utrinque, ubi machinæ *περίακτοι*) 'versuræ' sunt 'procurrentes,' quæ efficiunt, una a foro, altera a peregre, aditus in scenam."

5 Nihil enim moror Columellæ locum, haud dubie depravatum, ii. 2, 27. "Sed 'in media parte versuræ' consistat (bos)," etsi Salmasii ratio, 'versus' loco 'versuræ' reponentis, (De modo usurar. p. 194.) improbanda videatur, neque Gesnerus, a Schneidero jure notatus, (ad Colum. p. 61.) audiendus sit, qui vulgatam lectionem 'de parte sulci inter utramque versuram media sive interjecta' intelligi posse existimat.

procurrere h. e. extendi atque proferri videntur scenæ extrema.—Quæ si recte disputavimus, efficitur, 'parasceniorum' quam supra attulimus explicationem Vitruvii certe auctoritate probari haud posse. At eadem, quantumvis commentatorum et lexicographorum de vocabuli hujus significatione discordent sententiæ, ab eorum nemine commemoratur: ut sola fortasse analogia niti illa videatur, quemadmodum v. c. *παραθύρα* et *παραθύριον* 'valvas laterales,' aditusque 'propter principem urbis portam' designant.[1] Enimvero quis tum non miretur, veteres interpretes analogiæ hujus, si sermonis usus eam firmasset, nullam habuisse rationem?

De 'parasceniis' locus est apud Demosthenem in Midiana,[2] ubi contumelias injuriasque a Midia sibi, choragi munere fungenti, illatas conquestus plurimas, ita pergit orator: *καὶ οὐδ' ἐνταῦθ' ἔστη τῆς ὕβρεως, ἀλλὰ τοσοῦτον αὐτῷ περιῆν, ὥστε . . . τοὺς χορηγοὺς συνῆγεν ἐπ' ἐμέ, βοῶν, ἀπειλῶν, ὀμνύουσι παρεστηκὼς τοῖς κριταῖς, τὰ παρασκήνια φράττων, προσηλῶν, ἰδιώτης ὢν, τὰ δημόσια, κακὰ καὶ πράγματα ἀμύθητά μοι παρέχων διετέλεσεν.* "Neque hic finem fecit contumeliæ, sed eo usque grassatus est homo injuriosus, ut choragos contra me suscitaret, vociferans, minitans, arbitros opprimens juratos, 'parascenia publica, ipse privatus, obstruens, clavis occludens,' etc."

Quid est, quæso, quod 'parasceniorum' diserte mentionem faciat orator? Certe, 'scenæ' aut 'proscenii' loco, nemo dixerit. Singularem enim theatri partem vocabulo hoc indicari, ex Polluce discimus. Nec de 'lateribus scenæ' sive 'proscenii' cogitandum esse, docent verba adjuncta. Nam scire velim, qui illa obstruere Midias clavisque occludere potuerit? Quandoquidem, præeunte Polluce,[3] recte observat vir doctus, cujus opinionem impugnamus,[4] in Græcis theatris nullos ad scenam vel proscenium aditus 'in proscenii lateribus' patuisse; contra fuisse eos 'inter pulpitum et theatrum' proprie dictum, i. e. hemicyclium sedilia continens, atque proxime 'in orchestram' patuisse,

1 V. Salmas. ad Vopisc. in Probo c. 19. p. 675.
2 Opp. T. i. p. 520 Reisk.
3 Onom. iv. c. 19. §§. 126. 127.
4 Encycl. d. b. Bauk. T. iv. p. 560 et 579.

ex qua in pulpitum sive proscenium adscensus fieret. Quo vel ipso, pariter atque majore orchestræ ambitu, et pulpito proscenioque minus lato ac profundo, Græcorum theatrorum ab Romanorum differebat structura,[1] in quibus, Vitruvio teste,[2] 'itinera versurarum in ipsius scenæ angulo utroque' sita erant. Denique, quum aditus hi 'solis histrionibus' paterent, si vel maxime 'parasceniorum' nomine illos designare voluisset Demosthenes, *δημόσια* tamen sive 'publica' dici vix poterant. Alia igitur et oratoris ad sententiam magis accommodata vocis significatio quærenda erit. Sed interpretes in diversas partes secedere supra monuimus. Nam Harpocration, qui v. *παρασκήνια* Demosthenis locum excitat,[3] suæ interpretationi aliam et diversam his verbis subjungit: *Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου· ἔοικε παρασκήνια καλεῖσθαι, ὡς καὶ Θεόφραστος ἐν εἰκοστῷ νόμων ὑποσημαίνει, ὁ περὶ τὴν σκηνὴν ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς· ὁ δὲ Δίδυμος τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους οὕτω φησὶ καλεῖσθαι.* Videtur, inquit, parasceniorum nomine appellari, quemadmodum Theophrastus in libro xx. Legum etiam significat, locus scenam ambiens, ludorum apparatibus destinatus. Didymus autem aditus, qui ab utraque parte in orchestram patent, sic vocari dicit.—Priorem explicationem, quæ Theophrasti auctoritate quodammodo firmatur, Schneiderus suam facere videtur in Lexico Gr. T. ii. p. 281. vet. edit.: "*Παρασκήνιον, τό.* Dem. 520. et Pollux iv. 109." (sed hic locus in sequentem explicationem parum quadrat:) "spatium 'post' scenam, ubi vestes mutabant, machinæque et ornatus scenæ repositi erant." At si hæc vocis significatio probatur, cur 'parasceniorum' vocabulo, multitudinis numero, usus est Demosthenes? De nota figura rhetorica hoc certe loco haud cogitandum erit. An vero plura hujus generis spatia vel conclavia, vestibus mutandis inservientia, scenam circumdedisse existimemus?[4] At quorsum tunc epitheton illud, *δημόσια*? idque non temere

1 Vitruv. v. 8. "Ita . . . ampliorem habent orchestram Græci et scenam recessiorem, minoreque latitudine pulpitum, quod *λογεῖον* appellant." cf. Idem v. 6.

2 v. 7. extr. cf. not. 4. p. 14. coll. v. 6 extr. s. c. 6. §. 3. Schneid.

3 Lex. x. Rhet. p. 280.

4 Ita Houelius (Voy. pitt. T. ii. p. 37. coll. pl. xcii. lit. T. V.) in theatro Tauromenitano duo ampla conclavia in utraque scenæ extremitate fuisse animadvertit, quorum vix alius usus esse potuit.

additum, sed ita, ut sententiæ vim mirifice augeat ex oppositione verborum ἰδιώτης ὢν illata.[1] Quid cellis his vestiariis cum populo commune? Theophrasti explicatio utique litem dirimeret, si ipsam in libris ejus de Legibus legeremus. Sed ut illa parum definite ab Harpocratione commemoratur, cujus verba "ἔοικε καλεῖσθαι, 'videtur appellari'" et "ὡς Θεόφραστος . . . . ὑποσημαίνει, 'ut Theophrastus . . . . quodammodo (occulte) significat'" non tam disertam Theophrasti hic legi sententiam indicant, quam Lexicographi opinionem meramque conjecturam, laudato philosophi loco, quamquam, ut ipse fatetur, parum firmiter, innixam: significationis hujus certum argumentum e testimonio hoc elici vix posse apparet. Ceterum licet cellam unam vel plures histrionum usibus destinatas, scenæque vicinas, 'parascenia' appellata esse concesserim, non tamen unum hunc tantum vocabuli hujus significatum fuisse, inde efficitur,[2] neque hinc vero absimile videtur, Demosthenem, nostro loco, alio eoque ad orationis seriem magis accommodato sensu vocem hanc accipi voluisse.

In Scholiis, quæ Ulpiani nomen mentiuntur, oratoris verba, τὰ παρασκήνια φράττων, προσηλῶν κ. τ. λ. sic illustrantur: τουτέστιν, ἀποφράττων τὰς ἐπὶ τῆς σκηνῆς εἰσόδους, ἵνα ὁ χορὸς ἀναγκάζηται περιϊέναι διὰ τῆς ἔξωθεν εἰσόδου, καὶ οὕτω, βραδύνοντος ἐκείνου, συμβαίνῃ καταγελᾶσθαι τὸν Δημοσθένην· τὸ δὲ προσηλῶν, τοὺς ἥλους ἐντιθείς, ἵνα ἀσφαλῶς αἱ θύραι ἐκκλείωνται. Quodsi explicationi huic subjungamus quum Etymologici M. illam v. Παρασκήνια· εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι, tum Didymi Grammatici verba supra jam laudata, apud Harpocrationem: ὁ δὲ Δίδυμος τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους οὕτω φησὶ καλεῖσθαι: tria jam nacti sumus testimonia haud contemnenda, ad eumque finem consentientia, ut παρασκήνια intelligendi sint 'aditus' in theatrum; hactenus solum diversa, quod in adituum loco designando variare videntur. Quos enim Ulpianus et Etymologici auctor in 'scenam' patuisse con-

1 Etiamsi, Spaldingio auctore ad Or. in Mid. p. 12. oratoris verba προσηλῶν, ἰδιώτης ὤν, τὰ δημόσια absolute posita accipias, neque τὰ δημόσια (locum publicum) ad παρασκήνια referas, loci tamen sententia eadem manet.

2 En longe diversum vocis παρασκήνιον, singulari numero, significatum, Polluce teste in Onom. l. iv. c. 15. §. 109. T. i. p. 414. ὁπότε μὲν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ, παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα. Cf. Scaliger Poët. i. 9.

tendunt, eos ad 'orchestram' fuisse tradit Didymus. Quæ tamen nescio an diversitatis tantum speciem præ se ferant. Nam quum in Græco theatro ex orchestra in proscenium, per quod ad ipsam scenam, proprie dictam, via duceret, gradibus ascenderent:[1] aditus, proxime quidem in orchestram patens, improprie minusque accurate etiam in scenam patuisse dici potest. Accedit, quod vocabulum *σκηνή*, maxime apud sequioris linguæ auctores, haud uno poni solet significatu. Omitto loca innumera, tam Græcorum quam Latinorum scriptorum, in quibus 'scena,' quum proprie proscenii nonnisi pars sit ultima vel extrema, ipsum tamen 'proscenium' denotat. Sed Suidas v. *σκηνή*, ad quem locum mox revertemur, vocem hanc explicat, valvam 'mediam' sive primariam, qua, Polluce teste (iv. 19. §. 124.), qui primas fabulæ partes ageret histrio, (*πρωταγωνιστής*) in proscenium egredi solebat: *Σκηνή ἐστιν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου* ('theatrum' hoc loco manifeste pro 'proscenio' ponitur). Et Etymologici auctor l. l. *παρασκηνίων* explicationi suæ statim subjicit significationem, qua vocem *σκηνὴ* accipi hic vult: *Παρασκήνια, εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι· σκηνὴ δέ ἐστι ἡ νῦν θυμέλη λεγομένη.* Jam vero thymelen quum in orchestra suggestum fuisse, ex Polluce[2] constet, re accuratius perpensa, eadem fere loci hujus sententia constitui posse videtur, quæ Didymi verbis ab Hephæstione laudatis continetur.

Hactenus mihi videor pro re satis certa potuisse habere, 'parascenii' in oratione Midiana neque latera scenæ, neque conclavia quædam histrionum ad vestes mutandas usibus destinata significari, sed 'magnos ab utraque ædificii parte aditus illos, inter theatrum proprie dictum et pulpitum sitos, qui extrorsum venientibus in orchestram patebant:' eosdem nimirum, quos Pollux paullo inferius §. 126. T. i. p. 425. his descripsit verbis: *Τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξιὰ ἀγρόθεν, ἢ ἐκ λιμένος, ἢ ἐκ πόλεως ἄγει· οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν, εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν, ἐπὶ τὴν σκηνὴν διὰ κλιμάκων ἀναβαίνουσι.* Patet hinc, aditus hos proxime quidem actoribus factos esse, qui-

1 Vid. Pollux iv. 19. 127. T. i. p. 425.

2 l. l. §. 123.

bus, si ex urbe aut portu agrove veniendum erat, dexter ille, si ab extera gente aut regione, hic lævus per orchestram in pulpitum patebat; quo duplici aditu, nec fine diverso, monente, ut vidimus, Vitruvio,[1] Romanorum etiam theatra instructa erant, hoc solum discrimine, quod in ipsis ii 'versuris' h. e. in angulis scenæque ac proscenii confiniis reperiebantur, contra in Græco theatro multo anterius, neque proxime in proscenium, sed in orchestram patebant. Enimvero 'itinera' hæc in Græcis theatris non solis aperta fuere actoribus; per eosdem spectaturi, orchestram transeuntes, ad sedilia sua in theatri, e regione proscenii siti, hemicyclo exstructa, pervenerunt.[2] Quocirca gradus, quorum ope ad foros seu sedilia ascendebatur, aut in orchestram usque deducti erant, aut, si, quemadmodum in theatri Tauromenitani et Gabalensis ruderibus adhuc exstantibus, infimam gradationem altera crepido, totam ambiens orchestram, præmuniit, scalarum a latere crepidini huic incisarum ope, cum orchestra conjungebantur.[3] Atque sic attributum illud, δημόσια, in Demosthenis oratione, cum opposito, ἰδιώτης ὤν, quo referendum sit, facile intelligitur. Midias, queritur orator, mira audacia et impudentia sua fretus, vel 'aditus' ad theatrum 'publicos,' ipse 'privatus' homo, obstruere, clavisque occludere non hæsitavit, τὰ παρασκήνια φράττων, προσηλῶν, ἰδιώτης ὤν, τὰ δημόσια. Jam quæ de Midiæ, ita vi agentis, consilio monet Pseudo-Ulpianus—vere an falso, parum refert—certe nostræ huic explicationi minime adversantur. "Aditus, inquit, in scenam occlusit, ut chorum a Demosthene instructum devio itinere per ostium externum ingredi cogens, mora hac injecta, ipsum choragum spectantibus deridendum proponeret." Quam multiplex vocabuli, 'scena,' significatio sit, supra monitum est. Quodsi, ex Græci theatri structura, aditus in scenam alii nulli indicari hic possunt, quam 'duo illi amplissimi in orchestram patentes,' quorum Pollux meminit, quosque Didymus et Etymologici auctor voce παρασκήνια intelligi oportere præcipiunt: ostium 'externum' (διὰ τῆς ἔξωθεν εἰσόδου) de quo Ulpiani loquuntur Scholia, non

1 V. 7. extr.
2 Vid. Stieglitz. l. l. p. 552 sq.
3 Cf. Stieglitz. l. l. p. 565.

erit nisi 'trium' valvarum una, quæ, Vitruvio et Polluce auctoribus,[1] in extremo proscenii pariete, qui proprie 'scena' dicitur, comparentes, cum respectu ad majores illos, inter pulpitum et theatrum sitos, quasi aditus 'internos,' dici poterant 'externæ;' quumque Ulpianus non plura, sed unum modo ostium commemoret, trium valvarum 'mediam,' quæ 'regia' appellatur,[2] ut primariam, significare eum voluisse suspicari licet; eandem, quam Suidas[3] 'scenæ' nomine designat. Qui quidem locus, jam hic denuo repetendus, tantum abest, ut cum tentata a me parasceniorum apud Demosthenem explicatione pugnet, ut eam etiam confirmare videatur. *Σκηνή ἐστιν*, verba sunt Lexicographi, *ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου. Παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης θύρας. ἵνα δὲ σαφέστερον εἴπω, μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ παρασκήνια ἡ ὀρχήστρα κ. τ. λ.* Quum *σκηνὴν* 'portam mediam' interpretetur, quæ statim sequuntur verba: 'parascenia' autem *τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης θύρας*: itidem de portis intelligenda esse videntur, subaudita voce *θύρια*; atque sic aut de januis ad dextram ac sinistram regiæ cogitandum erit, aut de utroque aditu illo in orchestram patente. Prior ratio minus quadrare videtur ad ea quæ mox subjiciuntur: "Ut disertius dicam, scenam et parascenia statim excipit 'orchestra.'" Interjacent enim 'proscenium' et 'pulpitum' sive *λογεῖον*. Restat igitur posterior, quæ vocabulum *παρασκήνια* ad aditus in orchestram utrosque referri jubet, ita, ut totius loci, in quo præcipuæ theatri partes enumerantur, sententia hæc sit: scena valvas scenæ medias designat; parascenia autem aditus ad mediæ januæ latus utrumque, et, ut disertius sententiam exponam, a media et utraque ad latus janua orchestra includitur, ab orchestra thymele, quam demum excipit *κονίστρα* sive inferior theatri area.

At, dicat forsan aliquis, parasceniorum hæc significatio, qua Demosthenes, fortasse etiam Suidas utuntur, num ad Pollucis locum hunc nostrum, unde tota hæc exorsa est disquisitio, æque bene applicari potest? Vidimus enim,

1 De Archit. v. 6.—Onom. iv. 19. §. 124.

2 'Valvæ regiæ' ap. Vitruv. l. l. coll. Poll. l. c. Athen. xiv. p. 622. B. *σιγῇ δὲ διὰ τοῦ πυλῶνος εἰσελθόντες κ. τ. λ.* ac paullo post C. *οἱ δὲ φαλλοφόροι... παρέρχονται, οἱ μὲν ἐκ παρόδου, οἱ δὲ κατὰ μέσας τὰς θύρας.*

3 V. *σκηνή*, T. iii. p. 328 Küster.

Pollucem paullo inferius (§. 126.) aditus hos ad orchestræ latus utrumque sitos describere, non vero 'parasceniorum' nomine uti, sed παρόδους eos appellare. Quod quidem argumentum specie haud carere fatendum est. Quo minus etiam mirum videtur, Stieglitzium, etsi alio consilio, eundem hunc Pollucis locum, modo a me laudatum, adhibuisse, ut parascenia illa hasque παρόδους ex auctoris mente sedulo distinguenda esse efficeret. Enimvero præceptum hoc maxime nititur viri doctissimi sumptione nimis arbitraria, παρασκήνια utrumque scenæ latus designasse. Alioquin, si severius agamus, scire velim, qua tandem re utriusque vocis discrimen hoc statuendum esse cogamur? Annon Pollux priore loco, quo diversas theatri partes, mox diligentius describendas, breviter recenset, proprium nomen παρασκήνια ponere potuit, idque haud multo post generaliori, πάροδοι 'aditus,' permutare? Immo, nonne ex ipsa loquendi formula qua ultimo hoc loco utitur: τῶν μέντοι παρόδων, ἡ μὲν δεξιὰ ἀγρόθεν κ. τ. λ. 'adituum autem' (μέντοι in continuata oratione cf. Sturz. Lex. Xenoph. T. iii. p. 114. B. lit. e.) 'alter a dextro latere' cet. recte colligas, auctorem ad theatri partem supra commemoratam, quam nunc accuratius descripturus sit, reverti? Denique mirarine liceat, si, alias partes, ut scenam, hyposcenium et orchestram, fusius infra explanans, 'parascenia' prorsus silentio præterisset lexicographus? Haud quidem me fugit, plurium etiam, quæ hic simpliciter nominantur, ut πυλίς, ψαλίς, κατατομή, κερκίδες, mentionem amplius non inferri. Sed nomina hæc pleraque omnia per se satis nota fuisse videntur, neque ampliore explicatione æque indigebant, ac multo magis ambiguum parasceniorum nomen. Ceterum non negaverim Pollucem, voce hac utentem, de spatio quodam prope vel post scenam cogitare 'potuisse;' de scenæ lateribus autem 'cogitasse,' nego ac pernego.

Progredimur nunc ad aliam Græci theatri partem, a Polluce eodem illo loco §. 124. memoratam, hyposcenia. Partis autem hujus accurate definiendæ non eadem solum cernitur difficultas, qua disceptationem de 'parasceniis' premi ostendimus, verum hactenus etiam major, quod, præter brevissimam illam hyposcenii descriptionem, quam

Onomastici auctori acceptam referimus, paucissima, quod sciam, veterum exstent scriptorum loca, quorum ad cognoscendam rem, quam quærimus, auctoritate uti liceat. Quo minus mireris, si doctorum virorum, qui post renatas litteras ædificii theatralis veterum formam et descriptionem explicare tentarunt, plurima pars, seu consilio seu temere, hyposcenii ne mentionem quidem fecerint, nedum ejus in antiquis theatris locum et usum investigare conati sint. A quorum vel incuria vel negligentia vindicat nos primarii in hac re scriptoris, quem ducem elegimus, doctrina et auctoritas, cujus de hyposcenio hæc leguntur c. 19. §. 124:

Τὸ δὲ ὑποσκήνιον, κίοσι καὶ ἀγαλματίοις ἐκεκόσμητο, πρὸς τὸ θέατρον τετραμμένοις, ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον, 'Hyposcenium autem columnis et statuis ornatum erat, theatro, quod pulpito subjacet, adversis.'

Hanc, quam prodidimus, Pollucis sententiam esse, cur statuamus, paullo disertius jam explicandum est. Longe secus quidem cl. Buttmannus Græca intellexit vertitque:[1] Die Unterbühne, welche unter der Zocke der Bühne lag, war, gegen das Theater hin, mit Säulen und Statuen geschmückt: i. e. Scena inferior, sub pulpito sita, a parte theatro adversa, columnis et statuis condecorata erat.—In quo tamen statim displicet vox 'scena inferior,' (Unterbühne). Notissima enim res est, præpositionem *ὑπό*, quum per se, tum in compositione,[2] ut Latinorum 'sub,' (v. c. in 'suburbium, suburbanus'), interdum etiam id quod 'prope, vicinum, finitimum, affine, alicui adversum' est, significare. Itaque vocabulum *ὑποσκήνιον* pariter de loco 'scenæ vicino' et 'finitimo,' vel 'ante scenam' sito, intelligi et explicari possit: quam certe nominis potestatem vocabulum Unterbühne, 'scena inferior,' vix admittit. Satius igitur nobis visum est, Græcum nomen retinere, in Latina certe lingua, compositis vocabulis multo minus abundante, frustra vocem quærentibus, qua, ut Græca *ὑποσκήνιον*, utraque præpositionis vis, 'infra et prope,' ad scenam relata, contineatur.

1 In Append. ad Vitruvii vers. Rodianam T. i. p. 277.

2 V. c. *ὑπηοῖος, ὑποδείελος, ὑποδέραιον, ὑποκιθαρίζω, ὑποκρήνη, ὑπόκρισις, ὑποκριτής, ὑπόληψις, ὑπόρθριος, ὑπορχέομαι, ὑπόρχησις, ὑπουργέω, ὑπουργία, ὑποφώνησις, ὑποψάλλω*, etc.

Deinde, quam scripti codicis lectionem, *τετραμμένοις*, illo præeunte recepimus, haud dubie multum ea præstat vulgatæ, *τετραμμένον*, qua auctoris sententiæ nescio quid otiosi et supervacui obtruditur. Hyposcenium enim, haud minus quam scenam, theatro, i. e. spectantium sedilibus, adversum esse, lectorum quisque, nec admonitus, intelligat; non item, nisi diserte meminisset scriptor, 'statuas' (*ἀγαλμάτια*) in hyposcenio e theatri sive spectatorum regione positas fuisse: nam 'aliorsum' etiam versæ, non recte, sed 'oblique' theatrum spectare poterant.

Denique extrema verba, *ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον*, ab interpretibus ad remotius *ὑποσκήνιον* fere relata, rectius cum nomine proxime prægresso, *θέατρον*, conjunxisse me arbitror. Priori enim rationi ipsa verborum collocatio in enunciationis fine adversatur. Quibus si auctor hyposcenii locum indicare voluisset, statim, opinor, voci *ὑποσκήνιον* ea subjecisset. Ut nunc illa posita sunt, vix alio pertinent, quam ad explicationem ambiguæ vocis *θέατρον*, quæ, e scriptoris consilio, propria sui significatione, de ædificii theatralis parte illa orbiculata, et 'logeo sive pulpito subjecta,' in qua populus spectabat, hoc loco intelligi debet. Quod quum non animadvertissent interpretes, e prava verborum horum constructione sponte ortum esse puta errorem æque vulgarem, quo Græci theatri hyposcenium fuisse statuitur, 'creditus quidam anterior logei sive pulpiti paries, in orchestram descendens,' quem hinc, Polluce auctore, columnis et statuis vestitum atque distinctum esse autumant.[1] Errorem dixi: vix enim aliud nomen meretur opinio, et nulla veteris scriptoris auctoritate fulta, et multis de causis, ex ipsa theatri antiqui structura petitis, repudianda.

Etenim Vitruvio docente (v. 8.), logeum in Græcis theatris ultra decem, ad summum duodecim, pedes super orchestram assurgere non debuit: quæ sane altitudo nimio magis erat modica, quam ut paries illius, quem volunt, anterior 'columnis' vestiretur, iisque pariete, ut sumere par est, haud altioribus, ne histriones, in pulpito partes suas agentes, undique spectandi facultas adimeretur populo.

[1] Vid. Stieglitzii Encyclop. d. b. B. Theatri l. c. p. 825. T. iv. p. 562. coll. Bulengerii Descr.

Tum autem, quam theatri partem columnæ fulsisse illæ putentur? Quæ si vel pulpiti anteriori admotæ fuissent parieti, necesse tamen erat, ut trabes procurrentes aut tectum quoddam sustinerent. Accedit, quod pulpitum cum proscenio e tabulis ligneis tignisque fere constructa esse superius docuimus, quæ asseres palive fulcirent, qui per orchestræ pavimenti foramina demissi, in substructionibus theatri fornicatis defigerentur. Mobile hinc fuisse sequitur, ac tum demum exstructum, quum fabulæ in theatro agerentur, quibus peractis verisimiliter rursus dissolveretur.[1] Quod si bene habet, per se intelligitur, quam improbabilis sit ratio ista, quæ hyposcenium pulpiti parietem nescio quem anteriorem fuisse vult, eundemque columnis et statuis magnifice exornat. Nec sane fugit Stieglitzium explicationis hujus ἀτοπία: quam ut removeat, proscenium non in 'cunctis' theatris e ligno constructum fuisse suspicatur (p. 563.); certe non Herculaneum, in cujus parte anteriore, quam cum aliis hyposcenium appellat, 'murus depressior' conspiciatur.[2] Sed Herculaneum theatrum ab Romanis conditum esse constat; nos autem Græcum quærimus, auctore Polluce. Esto tamen; Græcorum theatra nonnulla Herculaneo eatenus fuerint similia: num 'humili muro' congruum statuarum et columnarum dices ornatum? Nimirum is veterum in architectura pulchri et decori sensus sincerus erat et incorruptus, ut hujusmodi ineptias, non dicam, probarent, sed tolerarent.

1 Houelius Voy. pitt. de la Sicile T. ii. p. 37 (coll. Tab. æn. xcii. 9.): "La trace horizontale indique un de ces coridors souterrains dont nous venons de parler, et dans lequel on descend, ainsi que dans un autre semblable qui est dans la partie opposée de cet orchestre, et ils se communiquent l'un à l'autre en passant par le souterrain. Il y a des trous quarrés, disposés suivant la direction de ce coridor; ils répondent au mur latéral de ce coridor. 'Ils servaient à dresser perpendiculairement des pièces de bois de huit à dix pouces quarrés pour supporter des poutres horizontales, sur lesquelles on mettoit des planches afin d'agrandir le pulpitum.' . . . . Toutes les ouvertures par où l'on pouvoit descendre dans les coridors souterrains, étoient bouchées par des trappes, et le sol étoit uni dans toute son étendue, lorsqu'on ne faisoit pas usage du pulpitum. Dans cet état, l'orchestre pouvoit servir, soit aux assemblées publiques que dans beaucoup de villes Grecques on tenoit au théâtre, soit à des cérémonies réligieuses qu'on faisoit quelquefois dans ce même lieu, qui n'étoit pas prophane chez les anciens comme chez nous."

2 Similem murum Houelius notat in theatro Tauromenitano l. c. p. 38. At neque hunc Græcæ, sed Romanæ deberi architecturæ, ipsa auctoris descriptio, tum hoc loco et p. 39. tum aliis multis, satis superque docet.

Eadem fere origo,[1] nec major est auctoritas sententiæ aliorum virorum doctorum,[2] qui 'hyposcenium in orchestra' quærunt, et pro loco habent, in quo 'musici' artifices artem suam exercebant. Locum quod attinet, qui ita opinantur, in easdem pæne difficultates incurrunt, propter quas superiorem rationem rejiciendam censuimus. Neque enim columnis nec statuis ponendis idoneus fuisse videtur. An pulpitum sive suggestum quoddam intelligendum esse dixeris, fultum illud columnis in quarum intervallis statuæ ponerentur? Enimvero tale suggestum, columnis impositum, si justa ejus erat altitudo, 'logeum,' in quo histriones partes suas agebant, supereminere debuisset: quod æque parum verisimile ac silentium Pollucis, qui, quum de orchestra dicens, thymelen ejus partem diserte memoret, certe hyposcenii non oblitus fuisset, quod in eadem orchestra exstitisse volunt. Deinde, quæ ratio, quis usus esset hujus suggesti? Ut, inquiunt, 'musici' in eo stantes, dum fabula ageretur, artem suam factitarent. Sed his usibus 'thymelen' inservisse vidimus.[3] Similes autem hyposcenii, veterum scriptorum, quod sciam, nemo prodidit.

Unde tandem fluxerit sententia tam diserte tradita?—Nempe, nisi fallor, ex Athenæi loco (xiv. 7. p. 631 f. Cas.), in quo de labente musica arte disserens interloquutor, vulgi assensum et popularem approbationem pro certissimo olim mediocris artificis ingenii indicio habitum esse contendit: idque Asopodori civis Phliasii[4] salso quodam dicto confirmat. Qui, quum tibicinum aliquis magno populi plausu excipiebatur,[5] 'ipse adhuc in hyposcenio moratus.' "Quid hoc? ait, ingens haud dubie peccatum commiserit necesse est" (i. e. turpissime lapsus est tibicen); significans, alioquin a multitudine non tam fuisse probatum.[6]

1 Nempe ex vitiosa verborum *ὑπὸ τὸ λογεῖον κείμενον* apud Pollucem quum constructione, tum interpretatione.

2 Rambachii ad Potterum T. i. p. 95. Not. Schneideri et Reichenbachii in Lex. Gr. sub voce.

3 Cf. de Thymele in theatro Græco ad calcem Trachiniar. Soph. a. 1808.

4 Scriptoris, ut videtur, antiqui, nec ignobilis, cujus Deipnosophista, præter hunc, aliis etiam locis meminit, v. c. x. 13. p. 445 B. xiv. 9. p. 639 A. cf. Meurs. Bibl. Gr. in Thes. Gronov. T. x. p. 1269 B.

5 De tibicinum commissione, quæ *ἀγὼν αὐλητῶν* dicebatur, cogitandum esse apparet. Vid. Demosth. in Mid. c. 43. p. 80. Spald. coll. Fr. A. Wolfio in Prolegg. ad Demosth. Leptin. p. 93.

6 *Καὶ πάλαι μὲν τὸ παρὰ τοῖς ὄχλοις*

At totam argumentationis vim, quam in narratiuncula hac fortasse quærunt, facile intelligitur eo tantum redire, quod, quæ laudavimus verba, in hyposcenio, dum tibicen caneret, pronunciavisse dicitur Asopodorus. Num vero hinc, quæso, idoneis colligi argumentis potest, ipsos tibicines in hyposcenio stetisse? Asopodorum novimus quidem scriptorem, non item αὐλητὴν sive tibicinem. Suspicari igitur licet, auditoribus eum interfuisse. Qui vero factum sit, ut, quum non nisi audientium unus esset, in hyposcenio versaretur, tum demum intelligi aut recte explicari posse arbitror, si et theatri Græci partem hanc, ejusque locum et usum penitus perspectum haberemus, et facti ipsius, ab Athenæo nimis breviter expositi, adjuncta omnia accuratius teneremus. Ceterum, quod res ipsa docet, et antea jam monuimus, ab Athenæo non fabularum commissio quædam, sed ἀγὼν αὐλητῶν i. e. tibicinum concertatio significatur. Quod si concedas, quærere licet, utrum omnino hic de theatro cogitandum sit; an potius de 'odeo,' musicis concertationibus præcipue destinato. Odei autem quænam fuerit interior forma, partiumque distributio et nomina, magis etiam ignoratur. Quodsi prius sumpseris, in theatro certasse tibicines, suggestus, in quo steterint, non fuisse videtur nisi 'thymele,' nempe idem, quem, quum fabulæ agebantur, musicos artifices conscendisse, veterum scriptorum auctoritate, docuimus, tumque nec logeum, quid? ne proscenium quidem exstrui solitum esse probabile fit.[1] Postremo, ipsa verba apud Athenæum: διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ, 'dum ipse' adhuc 'in hyposcenio moraretur,' si cum dicterio Asopodori, τί τοῦτο; δῆλον ὅτι κ. τ. λ. 'Quid hoc? ingens haud dubie peccatum commissum est,' comparentur, verisimilem reddunt opinionem, Asopodorum, circumstantes in orbe tam facete compellantem, non in eodem, quo artifex, suggestu stetisse, sed potius, dum in aliquanto remotiore a tibicine loco adhuc versaretur, subito multitudinis plausu audito, admirabundum, cujus approbationis

εὐδοκιμεῖν, σημεῖον ἦν κακοτεχνίας. ὅθεν καὶ Ἀσωπόδωρος ὁ Φλιάσιος, κροταλιζομένου ποτέ τινος τῶν αὐλητῶν, διατρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ, τί τοῦτ'; εἶπεν· δῆλον, ὅτι μέγα κακὸν γέγονεν, ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἐν τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμήσαντος.

1 Cf. Not. 59.

causam ipse ignorare simularet, eam ex iis qui propius abessent, aut jam diutius artifici, artem suam exercenti, operam dedissent, salse quæsivisse. Nam si ipse tibicinem probe auscultasset, vana, ne dicam inepta, fuisset interrogatio. Quum igitur, Athenæo teste, in hyposcenio tum degeret, hyposcenium locum a tibicinis suggestu diversum fuisse oportet. Neque ratiocinationis hujus vis minuitur, si vel potior videatur fama de alio dicti hujus auctore, quam laudatis verbis statim subjungit Deipnosophista: *οἶδα δέ τινας τοῦθ' ἱστορήσαντας ὡς Ἀντιγενίδου εἰπόντος*, 'Novi vero, a nonnullis ad Antigenidem referri id dictum.' Ut enim dicti illius sal apprime conveniat viro vel duumviris,[1] a tibiarum arte factitanda celebratissimis, quos, ut alios taceam, e magni Epaminondæ concinno dicto apud Plutarchum,[2] et tralaticio illo apud Ciceronem,[3] "Mihi cane et Musis!" pulchre novimus: pensitatis tamen diligenter cunctis, quæ modo indicavimus, narratiunculæ momentis, vix credibile erit, Antigenidem ita loquutum fuisse, dum ipse inter tibicines, ad certamen delectos, versaretur.

Quum igitur hyposcenium nec pro muro vel pariete logei anteriore habendum, nec in orchestra quærendum esse, idoneis, ut opinor, rationibus et nobismet ipsis, et, speramus, aliis quoque persuaserimus; restat ut, quisnam ei locus verisimiliter assignandus videatur, dicamus. Jam is quidem a Polluce in theatri partis hujus descriptione supra allata, si eam interpretandi rationem, quam rectiorem judico, sequaris, haud definitur. Accedit alia, in speciem levior, res, ab interpretibus non animadversa, vel silentio transmissa. Nostro enim loco, Onomastici auctor de hyposcenio, numero singulari, loquitur: *τὸ δὲ ὑποσκήνιον κ. τ. λ.* Paullo autem superius (§. 123. p. 423.), quo loco plerasque theatri partes breviter recenset, 'parasceniis' statim subjicit 'hyposcenia,' numero multitudinis.[4] Cujus quum

1 Vid Jacobsius in Animadd. ad Anthol. Vol. i. Part. ii. p. 57.

2 Apophthegm. T. ii. p. 193 F.

3 In Bruto c. 50. coll. Erasmi Adag. p. 1538. ed. Wechel. Burette in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. xix. p. 470 sqq.

4 Quem locum fortasse respexit Schneiderus (Lex. Gr. T. ii. p. 756.) vocabuli notionem ita explicans: 'Ὑποσκήνιον, auf dem Raume (ὀρχήστρα) des Theaters zur Rechten und Linken der Thymele, vor der Scene im Halbzirkel, wo die Musik spielt. Cf. Idem sub voce Θυμέλη. Quo utroque loco, quamvis

discriminis insistens vestigiis, tum maxime hyposcenii ornatus, a Polluce perhibitos, cogitans, 'locum scenæ proprie sic dictæ' (i. e. extremo proscenii parieti), 'ab anteriore parte, proximum, partim a fronte, partim ab utroque latere,' (unde *ὑποσκήνια* numero multitudinis) 'hyposcenii nomine appellatum fuisse' conjiciebam. Is enim locus aptus et idoneus videbatur columnarum ornamentis, quibus porticus inædificarentur magnificæ, et in quarum spatiis intervallisque statuæ ponerentur et imagines. Quæ quidem spatia actores, e triplici scenæ janua exeuntes, quum transissent, ad proscenium et pulpitum, e ligno ad tempus constructa, pervenisse putandi sunt. Cui opinioni ut firmius quoddam præsidium comparem, liceat locos nonnullos e theatri Tauromenitani descriptione, quam Houelio sæpe nobis laudato debemus, hic apponere. Sic autem ille artibus ingenuis instructissimus scriptor in Itinerario graphico Siciliæ T. ii. p. 36. :

"J'ai une relation manuscrite, qui m'apprend qu'en 1748 et en 1749 on fouilla le terrain en différens endroits, et qu'on y trouva une quantité très-considérable de tables minces d'un très-beau marbre qui ne pouvoit provenir que de la décoration des façades de ce théâtre, construites en briques ou en pierres et revêtues de ces tables . . . . Ce qui achève de persuader que cette magnificence a existé, c'est la 'quantité de tronçons de colonnes de marbre' qu'on a trouvé en faisant cette fouille, et même de marbres étrangers . . . . On voit encore des 'tronçons de deux colonnes et de quelques autres dans l'extérieur du mur de l'avant-scène.' Tous ces morceaux étoient de différentes longueurs et de différens diamètres, tels qu'ils pouvoient convenir à 'l'avant-scène ou à la galerie,' ainsi que l'indiquent les coupes géométrales . . . ." (p. 37.) "On trouva aussi des bases de marbre blanc, sept chapiteaux d'ordre Corinthien de trois différentes mesures; des morceaux de colonnes cannelées, des frises, des architraves, des chapiteaux de marbre blanc, et 'des débris de statues.'"

Dicta hæc excipit auctoris de orchestra et pulpito mo-

diligenter, comparato, vereor tamen, ut, quam vocis *ὑποσκήνιον* significationem vel ipse auctor intellexerit, vel aliis probare voluerit, lector hæreat incertus.

bili sententia, quam supra descripsimus. Tum eadem charta ita pergit:

"Au-dessus de ce plancher factice (du pulpitum) s'élève le socle qui portoit 'les colonnes dont cette avant-scène étoit decorée,' comme je le suppose dans la coupe de ce théâtre, Planche xcvi." et p. 38.: "J'ai représenté dans cette estampe cette Avant-scène, ou ce Proscenium, telle que je l'ai trouvé: il étoit en partie détruit: 'on y voyoit encore des bases et des tronçons de colonnes de granite tous très-beaux . . . . La partie supérieure de cette avant-scène me paroît avoir été occupée par des galeries' ou par des chambres dont les distributions sont effacées, ainsi que les places des croisées."

Denique p. 41.: "Les places des colonnes que j'ai marquées sur ce plan, 'au-devant des niches de l'avant-scène,' sont telles que ce qui en reste a pu l'indiquer; mais celles qui sont en retour, sont purement conjecturales: je les ai arrangées selon l'ordre de la plus grande vraisemblance pour la décoration de ce lieu."

Jam vero descriptionem hanc illustrantes tabulæ æreæ, splendido operi adjectæ, xcii. xciv—xcvi. si inspiciuntur, ipse positus columnarum et a pulpito distantia ita congruunt cum sententia nostra, ut locum, quem Houelius, alius quippe nominis ignarus, 'scenam anteriorem' (l'Avant-scène, proscenium) constanter appellat, non esse nisi 'hyposcenium' Polluci commemoratum, vero minime absimile videatur. Adde quod, præter istum locum, alius nullus, neque sub pulpito, nec in orchestra, reperiri possit satis idoneus, cui nomen hoc commode tribuatur. Quo fit, ut vel Pollucis auctoritate facile nos tueremur, si quis rationem, quam adhibuimus, eo impugnare vellet, quod theatri Tauromenitani, ipso Houelio teste frequenti, primitus quidem a Græcis constructi, multis tamen modis posthac refecti, granditas et magnificentia, maximam partem, ab Romanis, Siciliæ domitoribus, repetenda videatur: ut jure hinc dubitari possit, utrum columnarum in theatro hoc ornamenta primi ejus conditores, an aliquanto serius Romani adjunxerint. Immo sic argumentemur licet: Quum dubitari nequeat, quin Græci theatri descriptio Pollucis libro

continecatur, ex ejusdem de hyposcenio verbis justa colligitur ratione, partem hanc quum cunctis Græcorum theatris communem fuisse, tum vero etiam in Tauromenitano, ante Romanorum in Sicilia dominationem, a Græcis incolis exstructam esse. Ceterum eadem pars, iisdem instructa ornamentis, nec Romanis defuit theatris, quod non magis Vitruvius docet,[1] quam Romanorum, quæ adhuc supersunt, theatrorum testantur reliquiæ.

Vilnæ.

G. E. GRODDECK.

1 Archit. v. 7. "Supra podium columnæ cum capitulis et spiris," cet. Cf. Stieglitzius l. c. p. 580 sqq.

GODOFREDI HERMANNI

DISSERTATIO

DE PRONOMINE *ΑΥΤΟΣ*.

GODOFREDI HERMANNI

DISSERTATIO

DE PRONOMINE *ΑΥΤΟΣ*.

I.

De propria significatione pronominis *αὐτός*.

In magno illarum rerum numero, quæ quod satis notæ videntur, negligi plerumque, neglectæ autem nonnumquam errorem parere solent, etiam usus pronominis *αὐτὸς* est. In cujus pronominis præcipuis significationibus explicandis si quid operæ posuero, id non ingratum fore spero his, qui sciunt, nec bonum interpretem, nec probabilem criticum talium quæstionum tenuitate supersedere posse. Atque illud quidem non potest obscurum esse, quum nomen *αὐτὸς* ex adverbio *αὖτε* ortum sit, propriam ejus significationem hanc esse, quasi quis 'iteratum' dicat. Hinc apertum est, hoc nomen natura sua pronomen esse, quippe quod per se intelligi nequeat, nisi referatur ad aliquid, quod sit cogitatione iterandum. Itaque sive Græce *αὐτός*, sive Latine 'ipse,' sive alia lingua aliter dicas, id proprie nihil aliud significat, quam 'hic, de quo loquor.' Qui autem tali pronomine notionem ejus rei, de qua loquitur, iterat, is facit hoc eo consilio, ut se quam maxime de ista re loqui ostendat. Hinc primarius istius pronominis usus in eo versatur, ut rem ab aliis rebus discernendam esse indicet. Itaque 'ipse' oppositum habet alium. Ista vero discretio tot modis fieri potest, ut aliqui eorum pæne sibi repugnent. Ut quod Polyphemus, quum ab Ulysse excæcatus esset, de patre suo Neptuno prædicat Odyss. ι, 520.

αὐτὸς δ', αἴκ' ἐθέλῃσ', ἰήσεται, οὐδέ τις ἄλλος:

quod idem est, ac si dixisset 'hic solus.' Illud Lucretii vero,

> Ipse Epicurus obit, decurso lumine vitæ,

sic est dictum, ut non solus Epicurus, sed hic pariter cum hominibus omnibus significetur. Atqui hoc quoque in versu Epicurus, ut istic Neptunus, ab aliis discernitur, sed alio modo. Hoc enim dicit Lucretius, "quid alios memorem, quum Epicurus obierit?" Persequar nunc, quæ in hoc genere, quod in plurimas partes diffusum est, præcipua reperiuntur, ita quidem, ut in solo Homero consistam, qui quod prima quasi stamina continet, unde omnis contexta est Græcorum oratio, in hujusmodi disputationibus omnibus primum debet locum obtinere.

II.

Αὐτὸς variis distinctionibus inservit.

Ac primo, quum quis 'ipse' dicitur, nunc anima intelligi potest, secluso corpore: cujus quidem generis nullum exstat in Homerica poesi exemplum, sed non prorsus tamen dissimile est illud Odyss. λ. 601.

> *τὸν δὲ μέτ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,*
> *εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν*
> *τέρπεται ἐν θαλίῃς.*

Obiter adjicio, quum in primo horum versuum anastrophen in præpositione admisi, id me scientem fecisse, qui mihi videar demonstrare posse, grammaticorum præceptionem, a qua illi Iliad. *σ*. 191. ipsi exceptionem statuunt, esse falsam: vide Schol. Ven. ad Iliad. *β*. 150. *σ*. 191. 400. Gazam p. 349. ed. Bas. 1541. Neophytum in commentariis ad Gazam p. 1064., qui nescio unde ex Dionysio periegeta exemplum afferat, quod Homeri est Iliad. *σ*. 400. Nunc corpus intelligitur, animæ oppositum, ut in illo:

> *πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν*
> *ἡρώων· αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.*

Sæpe opponitur is, qui 'ipse' dicitur, iis rebus, quas ipse habet: Il. *α*. 46.

ἔκλαγξαν δ' ἄῤ ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο,
αὐτοῦ κινηθέντος.

Od. *τ*. 329. et 332.

ὃς μὲν ἀπηνὴς αὐτὸς ἔῃ, καὶ ἀπηνέα εἰδῇ,
ὃς δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ, καὶ ἀμύμονα εἰδῇ.

π. 387.

εἰ δ' ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βόλεσθε
αὐτόν τε ζώειν, καὶ ἔχειν πατρώϊα πάντα.

Ita in vexato illo loco, Iliad. *λ*. 49. (vide etiam *μ*. 77.)

αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι, θωρηχθέντες,
ῥώοντ',

hic sensus est: 'equis suis aurigisque relictis, ipsi pedestrem pugnam ciebant.' Iliad. *κ*. 570.

νηῒ δ' ἐνὶ πρύμνῃ ἔναρα βροτόεντα Δόλωνος
θῆκ' Ὀδυσεύς, ὄφρ' ἱρὸν ἑτοιμασσαίατ' Ἀθήνῃ·
αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ.

ψ. 297.

ἵππους δὲ Τρωοὺς ὕπαγε ζυγόν, οὕς ποτ' ἀπηύρα
Αἰνείαν· ἀτὰρ αὐτὸν ὑπεξεσάωσεν Ἀπόλλων.

Sic etiam *ζ*. 40. 42., ubi observanda distinctio *αὐτὼ μέν*, *αὐτὸς δέ*, et v. 25. ubi notanda inversio, *χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε*, pro *αὐτὸς δὲ χρυσὸν ἔδυνε*. Similis inversio est Od. *ρ*. 924.

ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ
ἤθελον εὐνηθῆναι, ἀνάλκιδες αὐτοὶ ἐόντες.

Sæpe distinguuntur ii, quibuscum aliquis esse solet: Iliad. *ε*. 460.

ὣς εἰπών, αὐτὸς μὲν ἐφέζετο Περγάμῳ ἄκρῃ·
Τρῳὰς δὲ στίχας οὖλος Ἄρης ὤτρυνε μετελθών.

θ. 4.

αὐτὸς δέ σφ' ἀγόρευε, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἄκουον.

τ. 302.

αὐτὸν δ' ἀμφὶ γέροντες Ἀχαιῶν ἠγερέθοντο,

ubi Achilles a familiaribus suis distinguitur. Aut quæ circa sunt: Od. γ. 170.

> ἢ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης,
> νήσου ἔπι Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντες,

Chium. Est etiam, ubi totum parti opponitur: Iliad. η. 474.

> ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν.

Quin per idem pronomen eadem persona sibimet ipsi opponitur, ita quidem, ut aliquid alius rei adjumento, aliquid ipsa facere dicatur. Vide Iliad. θ. 75. ρ. 48. Interdum paullo obscurior, ut Od. ζ. 328.

> τοῦ δ' ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη·
> αὐτῷ δ' οὔπω φαίνετ' ἐναντίη.

'Preces ejus,' inquit, 'audivit: ipsi vero non est ausa in conspectum venire.' Iliad. ι. 449.

> ὅς μοι παλλακίδος πέρι χώσατο καλλικόμοιο,
> τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν:

'ipse eam amabat, neque ab aliis volebat amari.'

III.

Αὐτὸς significat Vel, Adeo, Statim. Indicat caritatem. Adverbium *αὐτοῦ*.

Alia ratio est, quum quid propterea, quia vel omnino, vel pro præsenti rerum statu præcipuum habetur, ab aliis rebus distinguitur. Iliad. ζ. 450.

> ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω,
> οὔτ' αὐτῆς Ἑκάβης, οὔτε Πριάμοιο ἄνακτος,
> οὔτε κασιγνήτων.

Vide Odyss. ξ. 98. π. 251. 303. τ. 376. φ. 109. χ. 425. Hinc frequentissime cum deorum nominibus *αὐτὸς* jungitur: ut Iliad. β. 309. 827. δ. 167. ε. 51. 338. 433. ι. 445. κ. 329. μ. 27. 234. 236. ν. 58. 319. ξ. 54. ο. 610. π. 690. ρ. 178. 322. σ. 371. φ. 215. ω. 140. 360. Odyss. α. 384. γ. 76. δ. 181.

ζ. 188. λ. 139. μ. 38. ν. 323. 387. ξ. 273. 310. 348. 357. π. 197. τ. 396. υ. 202. ψ. 185. ω. 401. Hymn. Ven. 152. Ab hac significatione non multum deflectit illa, qua id indicatur, quod ante alias res memorabile accidit, ita ut per 'vel' aut 'adeo' exprimi possit, ut Iliad. μ. 429., ubi poëta multos vulneratos esse dicit διαμπερὲς ἀσπίδος αὐτῆς. Et β. 597.

στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴπερ ἂν αὐταὶ
Μοῦσαι ἀείδοιεν.

Hinc usurpatur etiam, quum quid quasi de industria sic, neque aliter se habet: quod nos 'gleich' vel 'gerade' dicimus: Iliad. ν. 614.

ἤτοι ὁ μὲν κόρυθος φάλον ἤλασεν ἱπποδασείης
ἄκρον ὑπὸ λόφον αὐτόν

Non multum abludit illa ratio, quum hoc pronomen addita præpositione σὺν celeritatis significandæ causa usurpatur: Iliad. ι. 193.

ταφὼν δ' ἀνόρουσεν Ἀχιλλεὺς
αὐτῇ σὺν φόρμιγγι·

i. e. 'statim, ut erat, cum cithara:' vide Schol. ad σ. 392. Sic etiam ξ. 498. Od. ν. 118. Idem quomodo sine ista præpositione dicatur, ostendi in dissertatione de ellipsi et pleonasmo in Græca lingua p. 164. Exempla apud Homerum inveniuntur Iliad. θ. 24. 290. ι. 542. λ. 699. υ. 482. ψ. 8. Odyss. θ. 186. ξ. 77. υ. 219. φ. 54. Hymn. Merc. 69. 84. Euripides in Hippolyto v. 1202.

μάρπτει δὲ χερσὶν ἡνίας ἀπ' ἄντυγος,
αὐταῖσιν ἀρβύλαισιν ἁρμόσας πόδα.

'simulatque in curru constitit, prehendit habenas.' Huc pertinet usus adverbii αὐτοῦ, quod quum proprie 'hoc ipso' in loco significet, sæpius tamen de tempore dicitur, ut sit pæne idem quod αὐτίκα. Nos 'auf der Stelle.' Eamdem significationem infra in adverbiis αὔτως et ὧδε videbimus.

Alius apud Homerum usus nominis αὐτὸς ille est, quum

significandæ caritatis causa aliquis ipse aliquid fecisse dicitur: Iliad. ε. 734. et θ. 385.

πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει,
ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν.

ο. 198. οὓς τέκεν αὐτός. Odyss. ξ. 141. καί μ' ἔτρεφον αὐτοί. Et hujus quidem generis exempla exstant plurima.

IV.

Αὐτὸς sponte, solus, familiariter.

Congeri possent plures hujusmodi distinctiones, sed satis habeo duas adjicere, quæ in primis memorabiles sunt. Quum enim, quæ quis vi aut necessitate compulsus facit, non ipse facere videatur, interdum αὐτὸς idem significat quod αὐτόματος, 'sponte.' Iliad. ρ. 254.

ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω.

Sic etiam ψ. 591. Odyss. δ. 420. Deinde quoniam αὐτὸς sæpe sic dicitur, ut ad communitatem conjunctionemque cum aliis hominibus respiciatur, interdum non multum interest, utrum aliquem ipsum, an solum intelligas, ut Iliad. ν. 729.

ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.

υ. 310.

'Εννοσίγαι', αὐτὸς σὺ μετὰ φρεσὶ σῇσι νόησον
Αἰνείαν, ἤ κέν μιν ἐρύσσεαι, ἤ κεν ἐάσῃς.

Odyss. ζ. 218.

ἀμφίπολοι, στῆθ' οὕτω ἀπόπροθεν, ὄφρ' ἐγὼ αὐτὸς
ἅλμην ὤμοιϊν ἀπολούσομαι.

φ. 193.

ἔπος τί κε μυθησαίμην·
ἦ αὐτὸς κεύθω;

Ut rem significantius exprimeret, οἶος addidit Od. ξ. 449.

ὅν ῥα συβώτης
αὐτὸς κτήσατο οἶος, ἀποιχομένοιο ἄνακτος.

Inde nonnumquam αὐτὸς etiam apertius est 'solus,' ut Iliad. θ. 99.

Τυδεΐδης δ', αὐτός περ ἐών, προμάχοισιν ἐμίχθη.

φ. 466.

ἀλλὰ τάχιστα
παυσώμεσθα μάχης· οἱ δ' αὐτοὶ δηριαάσθων.

Odyss. ο. 311.

κατὰ δὲ πτόλιν αὐτὸς ἀνάγκῃ
πλάγξομαι.

Servarunt hanc significationem etiam Attici in formula αὐτοί ἐσμεν, qua utuntur, qui se ut inter amicos et familiares liberius loqui indicant. Vide Hemsterhus. ad Lucian. T. i. p. 230. Heusd. Spec. Crit. in Plat. p. 30. Heindorf. ad Plat. Parmen. p. 220. Hujus quoque usus prima vestigia apud Homerum reperiuntur. Odyss. η. 237. et τ. 104.

ξεῖνε, τὸ μέν σε πρῶτον ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.

τ. 509.

ξεῖνε, τὸ μέν σ' ἔτι τυτθὸν ἐγὼν εἰρήσομαι αὐτή.

Nos 'im Vertrauen.' Hinc videri possit Odyss. ψ. 75. recepta lectio,

ἔθελον δὲ σοὶ αὐτῇ
εἰπέμεν,

cedere debere alteri, αὐτή. At ne in dativo quidem est, quod reprehendi possit. Eodem modo hæc intelligenda sunt, γ. 19.

λίσσεσθαι δέ μιν αὐτόν, ὅπως νημερτέα εἴπῃ.

et 327.

λίσσεσθαι δέ μιν αὐτόν, ἵνα νημερτὲς ἐνίσπῃ.

et ξ. 331. τ. 288.

ὤμοσε δὲ πρὸς ἔμ' αὐτόν.

Simili ratione explicandus est locus difficillimus, Od. θ. 396., ubi quum Alcinous Phæacum principes hortatus esset, ut dona Ulyssi conferrent, de Euryalo, qui iniquum se Ulyssi præbuerat, sic dicit:

> Εὐρύαλος δέ ἑ αὐτὸν ἀρεσσάσθω ἐπέεσσιν
> καὶ δώρῳ.

Hæserunt hic viri docti, quum intelligerent, non de Ulysse ipso, sed de Euryalo ipso debere sermonem esse. Atque acute Stephanus Berglerus scribendum judicavit αὐτός. Verum obstat vulgatæ lectionis sinceritas, munita eo, quod Aristarchus et Herodianus, ut scholiastes apud Porsonum refert, accentum prioris pronominis inclinabant, probante etiam Apollonio in libro de Syntaxi p. 142. 2. Quod si hoc dici statuemus, 'illum familiariter sibi conciliet,' recte stabit antiqua lectio.

V.

Οὐδ' αὐτὸς post μή, καὶ αὐτὸς post οὔ. Explicationis causa additum. Explicatum per nomen.

Hæc quidem attuli, ut ostenderem, quam variis distinctionibus inserviret pronomen αὐτός. Nunc quosdam ejus usus pluribus persequar, postquam hæc duo adjecero, unum interdum in constructione hujus pronominis figuram inveniri, quam πρὸς τὸ νοούμενον vocant grammatici. Iliad. ω. 569.

> μή σε, γέρον, οὐδ' αὐτὸν ἐνὶ κλισίῃσιν ἐάσω,

ubi constructio postulabat μηδ' αὐτόν; et Od. η. 73.

> οὐ μὲν γάρ τι νόου γε καὶ αὐτὴ δεύεται ἐσθλοῦ,

ubi dicendum erat οὐδ' αὐτή. Alterum, ut interdum αὐτὸς explicandi causa post nomen ipsum adjicitur, veluti in Hymno Cereris v. 1.

> Δήμητρ' ἠΰκομον, σεμνὴν θεὸν, ἄρχομ' ἀείδειν,
> αὐτὴν, ἠδὲ θύγατρα τανύσφυρον,

(vide etiam v. 493.) ita nonnumquam prægredi αὐτός, et nomen explicationis causa subjici: Iliad. α. 143.

ἂν δ' αὐτὴν, Χρυσηΐδα καλλιπάρῃον,
βήσομεν.

Ita interpungi postulat usus epicorum hic et alibi, ut Odyss. τ. 429.

βὰν ῥ' ἴμεν ἐς θήρην, ἠμὲν κύνες, ἠδὲ καὶ αὐτοί,
υἱέες Αὐτολύκου.

Hesiodus in Scuto Herc. 192.

ἐν δὲ καὶ αὐτός, ἐναρφόρος οὔλιος Ἄρης.

Ubi tamen verbum medium est inter pronomen et nomen, aut nulla admittenda est interpunctio, aut ante verbum ponenda, ut Iliad. θ. 442.

αὐτὸς δέ, χρύσειον ἐπὶ θρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
ἕζετο.

Odyss. ε. 230. κ. 543.

αὐτὴ δ', ἀργυφέον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη.

Hic quidem ne quis ante νύμφη interpungat, etiam rhythmica observatio obstat, de qua vide Porsonum in Postscripto ad Odyss. β. 77.

VI.

Αὐτὸς, hic.

SED veniendum est ad illos usus pronominis αὐτός, de quibus explicatius me dicturum esse promisi. Ac primo observandum est, Græcos, maximeque Homerum, sæpe sic uti isto pronomine, ut Latino sermone per pronomina 'hic' vel 'ille' exprimi possit. Nos mira quadam proprietate, quum αὐτὸς simplicis pronominis loco positum per 'derselbe' reddamus, aucta tamen vi hujus vocabuli non hoc nomine, sed altero, 'er, sie,' uti cogimur, ideoque αὐτὸ cum vi quadam positum quomodo Germanice dicamus, non habemus, quum neque 'dasselbe' isto significatu dici possit, 'es' autem ubique encliticum sit. Sed ut ad Græcos redeam, aliquot istius usus exempla sunt apud Homerum, Iliad. γ. 282.

αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα·
ἡμεῖς δ' ἐν νήεσσι νεώμεθα ποντοπόροισιν.

η. 284.

Ἰδαῖ, Ἕκτορι ταῦτα κελεύετε μυθήσασθαι·
αὐτὸς γὰρ χάρμῃ προκαλέσσατο πάντας ἀρίστους.

θ. 242.

αὐτοὺς δήπερ ἔασον ὑπεκπροφυγεῖν κακότητα.

ι. 45.

ἀλλ' ἄλλοι μενέουσι καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
εἰσόκε περ Τροίην ἐκπέρσομεν· εἰ δὲ καὶ αὐτοί,
φευγόντων.

129. (vide etiam 271.)

ἃς, ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτός,
ἐξελόμην.

682.

αὐτὸς δ' ἠπείλησεν, ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφιν
νῆας ἐϋσσέλμους ἅλαδ' ἑλκέμεν ἀμφιελίσσας.

ξ. 474.

αὐτῷ γὰρ γενεὴν ἄγχιστα ἐῴκει.

φ. 490.

δεξιτερῇ δ' ἄρ' ἀπ' ὤμων αἴνυτο τόξα·
αὐτοῖσιν δ' ἄρ' ἔθεινε παρ' οὔατα μειδιόωσα
ἐντροπαλιζομένην.

600.

αὐτῷ γὰρ Ἑκάεργος, Ἀγήνορι πάντα ἐοικώς,
ἔστη πρόσθε ποδῶν.

Odyss. δ. 444.

ἀλλ' αὐτὴ ἐσάωσε.

ε. 198.

αὐτὴ δ' ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο.

Interdum sic etiam Attici. Æschylus Prom. 440.

ἀλλ' αὐτὰ σιγῶ.

Vide Heindorſium ad Plat. Lys. p. 4.

VII.

Αὐτὸς omisso pronomine personali cujuscumque personæ.

Liberius in hoc genere dominata est lingua Græcorum, quum etiam de prima ac secunda persona nomine *αὐτὸς* usa est, omisso personæ pronomine: Iliad. *ν*. 252.

> *οὐδέ τοι αὐτὸς*
> *ἧσθαι ἐνὶ κλισίῃσι λιλαίομαι.*

Sic etiam *ξ*. 276. *τ*. 89. Odyss. *ν*. 422. Et pro 'me.' Iliad. *ω*. 503.

> *ἀλλ' αἰδεῖο θεούς, Ἀχιλεῦ, αὐτόν τ' ἐλέησον.*

Sic etiam 430. 'Nos,' *η*. 331.

> *αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρούς.*

Sic *ο*. 296. *ρ*. 634. Od. *ν*. 365. *ξ*. 415. *χ*. 165. 'Tu,' Iliad. *ν*. 448.

> *δαιμόνι', ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐναντίος ἵστασ' ἐμεῖο.*

Sic *α*. 133. *χ*. 8. *ω*. 218. Odyss. *β*. 356. *θ*. 443. Hymn. Apoll. 190. 'Te,' Odyss. *ξ*. 389.

> *ἀλλὰ Δία ξένιον δείσας, αὐτόν τ' ἐλεαίρων.*

'Vos,' Iliad. *ρ*. 332.

> *ἀλλ' αὐτοὶ τρεῖτ' ἄσπετον.*

Sic Od. *ν*. 39. Hymn. Apoll. 337. Falleretur tamen, qui in hujusmodi locis nomen *αὐτὸς* simpliciter pro personæ pronomine positum putaret. Nam, ut ait Apollonius de Syntaxi p. 145., *συνηθέστερόν πως ὁ ποιητὴς ἐλλειπτικός ἐστι τῶν προκειμένων μορίων, ἀρκούμενος διὰ τῆς συντάξεως τοῦ λόγου τὸ λοιπὸν ἐμφανίσαι.* Itaque potius omissum esse pronomen putandum est, idque non pauci confirmant loci. Iliad. *ρ*. 162.

> *αἶψά κεν Ἀργεῖοι Σαρπηδόνος ἔντεα καλὰ*
> *λύσειαν, καί κ' αὐτὸν ἀγοίμεθα Ἴλιον εἴσω,*

pro *καί κέ μιν αὐτόν*. Sic quod Iliad. *ρ*. 634. est,

> *ἀλλ' ἄγετ', αὐτοί περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην,*

versu 712. ita dicitur:

ἡμεῖς δ' αὐτοί περ φραζώμεθα μῆτιν ἀρίστην.

Ita Od. β. 374.

πρίν γ' ὅτ' ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται,
ἢ αὐτὴν ποθέσαι·

quæ verba quum hic de tertia persona intelligantur, in quarto libro v. 748. sic traducta sunt ad secundam, ut legatur ἢ σ' αὐτήν: quod quidem, quum neque personarum ulla oppositio sit, et prior locus superfluum esse personæ pronomen monstret, inclinato accentu ἤ σ' αὐτὴν scribendum puto.

VIII.

Αὐτὸς reciprocum, et pro eo pronomen personale. Ambo juncta. *Μὶν* pro ἕ.

Sed dicendum est de hac re explicatius. Ac recte a grammaticis observatum est, ubi pronomen et verbum de eadem persona intelligantur, pronomen non esse encliticum; itaque quum et σὲ γὰρ ἅζομαι et σὲ γὰρ αὐτὴν παντὶ ἐΐσκεις dixerit Homerus, alterum inverti posse, ἅζομαί σε, alterum non posse inverti, nec dici recte ἐΐσκεις σε παντί... Vide Apollonium p. 143. Quamquam Homerus, liberior in hujusmodi rebus, Iliad. υ. 361. dixit,

οὔ μέ τί φημι μεθησέμεν.

Latini quidem et Germani etiam in hac constructione enclitico utuntur. Græci vero, quum, quæ hujus gentis subtilitas est, si actio, quæ verbo indicatur, ad eum ipsum rediret, de quo pronomen est, id, tamquam quod non de more fieret, recto accentu notare consuevissent: factum est, ut postea, etiam ubi nulla distinctione opus esset, alterum pronomen αὐτὸς adjicerent:

ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω·

vel πόλιν τὴν αὐτὸς αὑτοῦ: de qua formula v. Bastii Epist. Crit. p. 212. ed. Lips. Et recentiores quidem sic semper

loquuntur. Exstant autem hujus quoque usus prima vestigia apud Homerum, qui quidem quum compositis pronominibus, *ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ*, ut grammatici adnotarunt, nusquam utatur, nunc solum ponit personæ pronomen, ut Iliad. δ. 497. (et ο. 574.)

ἀμφὶ ἓ παπτήνας.

ε. 800.

ἦ ὀλίγον οἷ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς·

κ. 378.

ζωγρεῖτ'· αὐτὰρ ἐγὼν ἐμὲ λύσομαι·

ν. 269.

οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς·

Odyss. θ. 221.

τῶν δ' ἄλλων ἐμέ φημι πολὺ προφερέστερον εἶναι·

(quos locos attigit Apollonius p. 142. 3. 143. 27. 144. 3. 147. 12. 150. 13.) nunc solo utitur pronomine *αὐτός*: atque inde quum utrumque pronomen jungit, non uno id modo facere solet. Ac solo *αὐτὸς* utitur in his locis: Iliad. ι. 341.

ἐπεὶ, ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων,
τὴν αὐτοῦ φιλέει καὶ κήδεται,

'suam:' v. Apollon. p. 144. 32. Et Odyss. ξ. 51. *αὐτοῦ ἐνευναῖον.* Iliad. μ. 103.

οἱ γάρ οἱ εἴσαντο διακριδὸν εἶναι ἄριστοι
τῶν ἄλλων μετά γ' αὐτόν,

'post se.' Sic etiam γ. 90. Et Odyss. β. 125.

μέγα μὲν κλέος αὐτῇ
ποιεῖται,

'sibi:' de quo loco disseruit Apollonius p. 146. Deinde δ. 247.

ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ καταχρύπτων ἤϊσκεν,

'se.' κ. 27.

αὐτῶν γὰρ ἀπωλόμεθ' ἀφραδίῃσιν,

'nostris.' ω. 269.

αὐτὰρ ἔφασκεν
Λαέρτην Ἀρκεισιάδην πατέρ' ἔμμεναι αὐτῷ,

'sibi.' Ambo autem pronomina ubi junguntur, fere semper præcedit pronomen personale: ἐμέθεν αὐτῆς Odyss. τ. 93. σέο αὐτοῦ λ. 369. ἕο αὐτοῦ Iliad. τ. 384. Od. θ. 210. ἐμοὶ αὐτῷ ι. 421. ἑοῖ αὐτῷ Iliad. ν. 494. Odyss. δ. 38. οἷ αὐτῷ Iliad. κ. 307. π. 47. Odyss. ο. 285. φ. 304. Sic etiam χ. 214. collocandus accentus:

Μέντορ, μή σ' ἐπέεσσι παραιπεπίθῃσιν Ὀδυσσεὺς
μνηστήρεσσι μάχεσθαι, ἀμυνεμέναι δὲ οἷ αὐτῷ,

diserte monentibus Apollonio p. 147. 3. et Scholiasta Ven. ad Iliad. ο. 226. Etiam in hymno Apollinis v. 275. recte scripsisse mihi videor,

ὣς εἰποῦσ', Ἑκάτου πέπιθεν φρένας, ὄφρα οἷ αὐτῇ
Τιλφούσσῃ κλέος εἴη ἐπὶ χθονὶ, μηδ' Ἑκάτοιο.

Deinde ἐμὲ αὐτὸν Iliad. α. 271. ἑὲ αὐτὸν υ. 171. ἓ αὐτὸν Od. ϱ. 387.

πτωχὸν δ' οὐκ ἄν τις καλέοι, τρύξοντα ἓ αὐτόν·

Sic enim scribendus accentus, ut eodem illo loco monuit Apollonius. Porro ἓ αὐτὴν Iliad. ξ. 162. ρ. 551. σφῶν αὐτῶν μ. 155. τ. 302. σφίσιν αὐτοῖς Od. δ. 683. eodemque modo scribendum in his υ. 213.

τὰς δ' ἄλλοι με κέλονται ἀγινέμεναι σφίσιν αὐτοῖς
ἔδμεναι.

ἡμέας αὐτοὺς Iliad. θ. 529. σφέας αὐτοὺς μ. 43. 86. ν. 152. Od. μ. 225. Ad eamdem loquendi rationem pertinent ἑῷ αὐτοῦ Iliad. κ. 204. et alibi sæpe; νωΐτερον αὐτῶν ο. 39. αὐτῶν σφετέρῃσιν Od. α. 7. Mirifice in hoc genere decipi se passus est Buttmannus in quinta ed. Gr. Gramm. p. 572. σ' αὐτοῦ Od. ξ. 185. et σ'αὐτῆς Iliad. ζ. 400. per crasin prorsus inauditam pro σέο αὐτοῦ, σέο αὐτῆς dicta putans. Ordine autem inverso Od. ρ. 595.

αὐτὸν μέν σε πρῶτα σάω,

recte inclinato accentu, quia pronomen *σέ*, ita postpositum, explicationi tantum inservit. Similis ratio est hujus loci, qui solus est, in quo *μὶν* pro *ἓ* dictum inveniatur, δ. 244.

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας,

de quo loco vide Apollon. p. 144. 32. 145. 27.

IX.

Ἐγὼ αὐτός, αὐτὸς ἐγώ.

Hæc quidem de his locis, in quibus pronomen *αὐτὸς* reciprocam significationem habet, ejusdemque personæ est, cujus verbum. Media quædam ratio inter hanc et illam, quum pronomen alius personæ quam verbum est, in nominativo obtinet. In hoc genere si personæ distinguuntur, præcedit pronomen personale: Iliad. χ. 428.

μήτηρ θ', ἥ μιν ἔτικτε δυσάμμορος, ἠδ' ἐγὼ αὐτός.

Sic ψ. 415. 579. Odyss. β. 194. ζ. 126. θ. 391. *σύ γ' αὐτὴ* τ. 121. Sin oppositio non tam personarum est, quam quod ipse aliquis, non cum aliis, aut per alios, aut quocumque modo talia mente concipiantur, aliquid faciat, *αὐτὸς* priorem locum tenet. Iliad. ο. 234.

κεῖθεν δ' αὐτὸς ἐγὼ φράσομαι ἔργον τε ἔπος τε.

Sic π. 239. ψ. 244. Odyss. θ. 356. λ. 508. τ. 501. υ. 263. φ. 113. 207. ψ. 357. ω. 321. 445. *αὐτὸς ἔγωγε* Hymn. Merc. 406. *αὐτὴ ἐγὼ* Od. τ. 255. *αὐτὴ σὺ* δ. 395. *αὐτὸς οὗτος* H. Merc. 346.

Alia denique ratio est illorum locorum, in quibus pronomen de alia persona est, quam de qua verbum intelligitur. A qua disputatione segregandi sunt loci, in quibus singula pronomina ad alia verba referuntur, ut Iliad. κ. 242.

εἰ μὲν δὴ ἕταρόν γε κελεύετέ μ' αὐτὸν ἑλέσθαι,

quem locum attigit Apollonius p. 544. 25. Sed quum utrumque pronomen ad unum verbum refertur, pronomen personale, ubi personarum distinctione opus est, recto accentu præcedit: Iliad. ε. 63.

αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
οἷ τ' αὐτῷ·

de quo loco disputat Apollonius p. 142. 4. 148. seq. ο. 226.

ἀλλὰ τόδ' ἤμὲν ἐμοὶ πολὺ κέρδιον, ἠδὲ οἷ αὐτῷ·

v. Schol. et Apollon. p. 147. Sic ἐμεῦ αὐτῆς Od. τ. 93. σεῦ αὐτῆς Iliad. ξ. 327. σεῖο αὐτῆς σ. 358. τοῦδ' αὐτοῦ Odyss. ξ. 161. τ. 306. ἐμοὶ αὐτῇ Iliad. χ. 451. Od. ε. 188. σοὶ αὐτῷ Iliad. γ. 51. ν. 817. ο. 231. τ. 416. ψ. 80. Od. ο. 514. H. Merc. 458. τῷ αὐτῷ Od. δ. 107. ἐμὲ αὐτὸν Hymn. Ven. 104. σὲ αὐτὸν Iliad. ν. 273. Nec dubium videtur, quin etiam Od. κ. 284.

οὐδὲ σέ φημι
αὐτὸν νοστήσειν

scribendum sit. Quum vero aut nulla est personarum distinctio, aut ei distinctioni ipsum nomen αὐτὸς inservit, pronomen encliticum nunc post αὐτὸς collocatur, ut αὐτῷ μοι Iliad. ε. 459. αὐτῷ τοι ι. 18. Od. χ. 345. αὐτῷ, οἱ β. 190. αὐτόν με ϱ. 9. αὐτόν σε 81. 494. ω. 249. αὐτήν μιν Iliad. λ. 117. nunc etiam priorem locum tenet, ut τοι αὐτῷ Iliad. ι. 42. τοι αὐτῇ Od. ζ. 35. οἱ αὐτῷ δ. 65. οἱ αὐτῇ Iliad. ι. 324. μ' αὐτὸν ω. 198. Od. υ. 315. σε αὐτὸν Iliad. κ. 388. Od. ι. 406. Cæterum hic illic in hoc genere accentus in dubitationem venit. Sic Iliad. ρ. 687. scribendum videtur:

ἤδη μέν σε καὶ αὐτὸν ὀΐομαι εἰσοϱόωντα
γιγνώσκειν,

non ἤδη μὲν σέ. Neque recte legitur σοι αὐτῷ Iliad. ι. 521. ψ. 342. ω. 310. Odyss. δ. 601. ε. 178. ζ. 39. 60. κ. 300. ρ. 583., quod vel formæ σοὶ indicio, quæ aliter τοὶ esse deberet, σοὶ αὐτῷ scribendum, quemadmodum legitur Iliad. τ. 178. ψ. 80. et ἐμοὶ αὐτῷ ν. 73. Falleretur, qui inclinationem accentus Iliad. ω. 310. Od. ε. 187. κ. 300. eo tueri vellet, quod in repetitione horum versuum, Iliad. ω. 292. ὅς τε οἱ αὐτῷ, diserte testantibus grammaticis, et Od. ε. 179. κ. 344. μή τί μοι αὐτῷ legitur: nam hic oppositio non est in pronomine personali, sed in nomine αὐτός, ut sæpius, v. c. Iliad. ε. 458.

Κύπριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ·
αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτῷ μοι ἐπέσσυτο.

Contrario modo aliquando etiam pronomen personale solum oppositionem continet, ideoque rectum habet accentum, ut Od. *τ*. 196.

καὶ οἷ, τοῖς τ' ἄλλοις ἑτάροις, οἳ ἅμ' αὐτῷ ἕποντο,
δημόθεν ἄλφιτα δῶκα.

Illud non possum præterire, Schæferum, virum in rebus grammaticis accuratissimum, graviter tamen errasse, quum in Tryphiodoro p. 18. v. 405. ederet:

ὡς ὄφελέν τις
'Αργείων ἐπὶ σοῖσι γόοις ὀλέσαι μὲ καὶ αὐτήν,

quasi umquam *μὲ* recto accentu dici potuerit: v. eum ad v. 408. Nemo enim huc trahi volet illud temere vexatum *ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ*, et si quæ similia reperiuntur.

X.

Nec pronomen personale, neque *αὐτὸς* abundare.

SED hæc duorum pronominum consociatio monet me, ut errare ostendam eos, qui alterum horum pronominum nonnumquam abundare apud Homerum putant. Fuerunt quidem jam veteres grammatici in hac opinione, in iisque Apollonius Dyscolus, vir excellentis judicii, et nihil non diligenter ponderare solitus. Et hic quidem p. 145. sic censet, pronomen personale abundare. At neque in his locis, quos ipse affert, neque in cæteris, quos quis pro hac sententia afferre possit, *αὐτὸς* simplicis pronominis loco esse, sed aliam quamdam vim habere intelligetur, si quis accurate hos locos considerare volet. Notavi autem hosce: Iliad. *ι*. 470.

εἰνάνυχες δέ μοι ἀμφ' αὐτῷ πάρα νύκτας ἴαυον·

cui loco simillimus est hic, Od. *λ*. 371.

εἴ τινας ἀντιθέων ἑτάρων ἴδες, οἵ τοι ἅμ' αὐτῷ
Ἴλιον εἰς ἅμ' ἕποντο.

In utroque loco pronomen encliticum ostendit, præpositionem cum solo nomine *αὐτῷ* construendam esse, quasi dicas, 'vigiles mihi circa me ipsum aderant; qui tibi comites tecum ipso profecti erant.' Nam ut in altero loco hæc subest sententia, 'tu et ipse in illa expeditione fuisti, et socios tecum habuisti,' ita in priore loco hoc dicit: 'vigiles mihi accubabant, ita ut ipse in medio eorum essem.' Iliad. τ. 178.

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ φρεσὶν ἵλαος ἔστω·

i. e. 'tu etiam ultro te facilem præbe.' Eodem modo Od. ε. 190.

οὐδέ μοι αὐτῇ
θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων·

'ultro misericors sum.' Iliad τ. 192.

σοὶ δ' αὐτῷ τόδ' ἐγὼν ἐπιτέλλομαι.

Hic primo adspectu, quia præcessit, *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς μιμνέτω, μίμνετε δ' ἄλλοι πάντες*, dicendum fuisse videbitur *σοὶ δὲ* sine *αὐτῷ*. Verum quum Agamemnon et in principio alloquatur Ulyssem, et totam orationem ad hunc convertat, recte se habere *αὐτῷ* intelligitur, ut quod relationem ad superiora contineat, hoc modo: 'recte dixisti: itaque tu ipse dona Achilli apportes, cæteri hic maneant.' Iliad. φ. 243.

ἡ δ' ἐκ ῥιζῶν ἐριποῦσα
κρημνὸν ἅπαντα δίωσεν, ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα
ὄζοισιν πυκινοῖσι, γεφύρωσεν δέ μιν αὐτόν.

Ineptissima sunt, quæ ad hunc locum Eustathius profert p. 1235. 22. Hoc dicit poëta: 'arbor eruta et undas Scamandri ramis obtexit, et ipsum tamquam ponte pervium reddidit.' Eodem in libro v. 318.

κὰδ δέ μιν αὐτὸν
εἰλύσω ψαμάθοισιν, ἅλις χεράδος περιχεύας
μυρίον,

sic enim hæc legi atque interpungi suadet usus poëtæ, atque ita etiam Apollonio placuisse puto, qui p. 145. 32.

ut ostenderet *μὶν* abundare, nihil amplius attulit, quam *κὰδ δέ μιν αὐτὸν εἰλύσω ψαμάθοισιν.* Ne hic quidem quidquam abundat. Nam hoc dicit: 'et arma ejus obruam limo, et ipsum.' Iliad. *χ*. 82.

> *Ἕκτορ, τέκνον ἐμὸν, τάδε τ' αἴδεο καί μ' ἐλέησον*
> *αὐτήν,*

'et mammæ, quæ te nutriit, et mei ipsius miserere.' Et 346.

> *αἲ γάρ πως αὐτόν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη*
> *ὤμ' ἀποταμνόμενον κρέα ἔδμεναι.*

Oraverat Hector, ne canibus se prædam fieri sineret Achilles: itaque hic respondet, 'utinam ego ipse te canum more dilaniare possem.' Et 351.

> *οὐδ' εἴ κέν σ' αὐτὸν χρυσῷ ἐρύσασθαι ἀνώγοι*
> *Δαρδανίδης Πρίαμος.*

nec si multo majorem pro te mercedem offerrent, 'nec si tuum ipsius pondus auro æquari juberet Priamus.' *ψ*. 311.

> *οὐδὲ μὲν αὐτοὶ*
> *πλείονα ἴσασιν σέθεν αὐτοῦ μητίσασθαι.*

'Hi,' inquit, 'qui tecum certaturi sunt, equos regere non rectius te ipso callent.' *ω*. 472. *ἐν δέ μιν αὐτὸν εὗρε.* Volebat dicere, 'invenit eum, ipsum, et duos sodales: sed negligentius pergit:

> *ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο, τὼ δὲ δύ' οἴω,*
> *ἥρως Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος, ὄζος Ἄρηος,*
> *ποίπνυον παρεόντε·*

hæc, non *τῷ δὲ δύ' οἴω*, usui poëtæ convenientior lectio est. Similis ratio est horum, versu 729.

> *ἦ γὰρ ὄλωλας ἐπίσκοπος, ὅστε μιν αὐτὴν*
> *ῥύσκευ, ἔχες δ' ἀλόχους κεδνὰς καὶ νήπια τέκνα·*

hoc est, *αὐτήν, καὶ ἀλόχους, τέκνα τε,* et versu 732.

> *σὺ δ' αὖ, τέκος, ἢ ἐμοὶ αὐτῇ*
> *ἕψεαι,*

quia sequitur: ἤ τις 'Αχαιῶν ῥίψει ἀπὸ πύργου. 608.

φῆ δοιὼ τεκέειν, ἡ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς.

Hoc in loco interpretationi inservit αὐτή, quia ambiguum est ἡ δέ. 'Niobe Latonam duos peperisse aiebat, se ipsam autem multos.' Odyss. α. 276.

σοὶ δ' αὐτῷ πυκινῶς ὑποθήσομαι.

Monuerat Minerva Telemachum, quid procis, quid Penelopa fieri deberet: tum addit, 'nunc te ipsum quid facere oporteat, dicam.' Quamquam hoc etiam sic intelligi potest: 'tibi soli, ut amico, dicam:' cujus generis supra allata sunt exempla. Deinde 305.

σοὶ δ' αὐτῷ μελέτω, καὶ ἐμῶν ἐμπάζεο μύθων,

'tu vero et me audi, et ipse prospice.' β. 33.

ἐσθλός μοι δοκεῖ εἶναι ὀνήμενος· εἴθε οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ἀγαθὸν τελέσειεν, ὅ τι φρεσὶν ᾗσι μενοινᾷ.

'bonus est: ideoque et ipsi bene res succedat.' γ. 49.

ἀλλὰ νεώτερός ἐστιν, ὁμηλικίη δ' ἐμοὶ αὐτῷ,

'mihi ipsi, qui hæc dico.' δ. 117.

μερμήριξε δ' ἔπειτα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἠέ μιν αὐτὸν πατρὸς ἐάσειε μνησθῆναι,
ἦ πρῶτ' ἐξερέοιτο.

Fallitur Apollonius p. 145, 32. μὶν abundare putans. Sensus est: 'deliberabat, utrum exspectaret, dum ille ipse,' i. e. sponte, 'patris mentionem faceret, an prius eum interrogaret.' 177.

οἳ περιναιετάουσιν, ἀνάσσονται δ' ἐμοὶ αὐτῷ·

respicit ad ante dicta: 'urbem ei dedissem earum, quibus ego ipse impero.' 601.

ἵππους δ' εἰς 'Ιθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα·

'tibi ipsi, qui eos mihi dare volebas.' 653.

ἐν δ' ἀρχὸν ἐγὼ βαίνοντ' ἐνόησα,
Μέντορα, ἠὲ θεόν· τῷ δ' αὐτῷ πάντα ἐῴκει.

'illi ipsi, Mentori, non deo.' 667.

ἀλλά οἱ αὐτῷ
Ζεὺς ὀλέσειε βίην, πρὶν ἡμῖν πῆμα φυτεῦσαι,

sic, non *ἀλλὰ οἷ αὐτῷ*, scribebant veteres grammatici, et recte quidem: v. schol. Ven. ad Iliad. *ω*. 292. Apollon. p. 141. 32. Herodianum p. 270. in ed. Ald. a. 1512. Characem fol. 228. b. 'hic,' inquit, 'prius, quam nobis perniciem paret, ipse pereat.' Deinde pergit:

ἀλλ' ἄγε μοι δότε νῆα θοὴν καὶ εἴκοσ' ἑταίρους,
ὄφρα μιν αὐτὸν ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω·

'ut ei, qui nobis malum machinatur, ipsi insidias struam.' *ε*. 178.

εἰ μή μοι τλαίης γε, θεὰ, μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
μή τί μοι αὐτῷ πῆμα κακὸν βουλευσέμεν ἄλλο.

Eadem verba repetuntur 187. Et hic quidem negari non potest, et *αὐτῷ* et *ἄλλο* abundare. Verum quod sæpius in Homerica poesi factum videmus, hi versus ex alio loco, in quo omnia recte se habent, adsciti sunt, *κ*. 299. et 343. Ibi enim id agitur, ut ne Ulysses ipse quoque, ut socii ejus, humana forma exuatur, aliove aliquo afficiatur malo. *ζ*. 277.

ποῦ δέ μιν εὗρε; πόσις νύ οἱ ἔσσεται αὐτῇ;

Inest hic aliquid malignitatis, quasi Nausicaa sibimet ipsi potius, quam aliis, tam pulcrum hospitem invenerit. *λ*. 134. (et *ψ*. 281.)

θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ
ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται,

quia sequitur:

ἀμφὶ δὲ λαοὶ
ὄλβιοι ἔσσονται.

ν. 189.

πέρι γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν,

Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός, ὄφρα μιν αὐτὸν
ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιτο,
μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη, ἀστοί τε φίλοι τε,
πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτῖσαι.

Negligentius composita oratio hunc sensum habet: 'quo neque ipse Ulysses patriam agnosceret, neque, si a Minerva non esset admonitus, agnosceretur ab suis citius, quam par esset.' ο. 167.

φράζεο δή, Μενέλαε διοτρεφὲς, ὄρχαμε λαῶν,
ἢ νῶϊν τόδ' ἔφηνε θεὸς τέρας, ἠὲ σοὶ αὐτῷ.

'tibi ipsi, ante cujus ædes visa est aquila.' 371.

ἀλλά μοι αὐτῷ
ἔργον ἀέξουσιν μάκαρες θεοί,

quia statim additurus est,

ἐκ δ' ἄρα δεσποίνης οὐ μείλιχον ἔστιν ἀκοῦσαι
οὔτ' ἔπος, οὔτε τι ἔργον.

π. 170.

οὐδ' ἐγὼ αὐτὴ
δηρὸν ἄπο σφῶϊν ἔσομαι·

'ne ego quidem ipsa diu abero.' Denique de illo exemplo, quod ex hymno Merc. 239. proferri posset, exposui in præfatione ad istos hymnos p. 62. sed satis dictum est de prima significatione nominis αὐτός, ejusque variis usibus.

XI.

Αὐτὸς pronomen relativum. Ὅς et ἵ. Αὐτὸν encliticum.

PROXIMUM locum illa tenet significatio, qua hoc pronomen minore cum vi pronunciatum pro pronomine relativo usurpatur, ut sit, quod Latini per 'is,' Germani per 'derselbe,' vel per enclitica 'er, sie, es,' significant. Nam quum αὐτός, ut supra ostendimus, proprie indicet hunc, de quo sermo est, facile intelligitur, duobus modis hoc fieri posse, uno, ut hoc significemus, 'hic, neque alius,' de qua significatione explicatum est; altero, ut simpliciter, omissa

exclusione aliarum rerum, eum notemus, de quo reliqua oratio est. Atque hæc quidem significatio nihil habet, quod commemoratione dignum sit, præter hæc duo: primum, non inveniri eam in nominativo: quod non est mirum, quum Græci ita abstinuerint usu pronominis relativi in tertiæ personæ nominativo, ut etiam quæ propria sunt tertiæ personæ pronomina, nominativos ὅς et ἵ prorsus amiserint: quorum ἵ ab Apollonio in Excerptis p. 547. (422. B.) a scholiasta Ven. et Vict. ad Iliad. χ. 410. ab Etym. M. p. 588. 11. 615. 7. a Constantino Lasc. de pronominibus, quem jam Maittairius de dialect. p. 262. (196. B.) citavit, commemoratur, non alia tamen auctoritate munitum, quam uno Sophoclis loco ex Amphiarao, qui locus et apud Apollonium et in scholiis Vict. apud Heynium ad Hom. vol. viii. p. 332. tam vitiose scriptus legitur, ut, nisi ex melioribus libris, non videatur corrigi posse. Sylburgius in indice ad Etym. M. in v. ἵ etiam ἵς addit, idemque facit Heynius ad Hom. vol. vi. p. 629. nescio quo auctore: quamquam illud video, pro ea forma Latinum 'is' afferri posse.

Alterum hoc est. Accusativum αὐτὸν inclinare accentum contendunt grammatici, Apollonius de syntaxi p. 140. quem cum Herodiano hac de re auctorem adhibet scholiastes Ven. ad Iliad. μ. 204. tum Charax fol. 228. et Ælius Dionysius fol. 233. a. Graviter vero errat Neophytus, qui in commentariis ad quartum librum Theodori Gazæ p. 822. 12. Apollonium ita intellexit, ac si is de accusativo σφέας loqueretur. Quæ de accusativo αὐτὸν tradunt grammatici, etiam in accusativos generis neutrius αὐτὸ et αὐτὰ quadrant, ut hi quoque casus inclinasse accentum videantur. In Homero quidem Fr. Aug. Wolfius semel tantum istam inclinationem admisit, Iliad. μ. 204. quæ, si ego recte interpretor grammaticos, locum habet etiam Iliad. γ. 25. ο. 43. σ. 269. Od. ε. 110. ϑ. 347. ι. 205. ρ. 367. φ. 196. Hymn. Merc. 359. Nam quod illi de solo isto loco, qui in duodecimo Iliadis libro est, monuerunt, id propterea factum puto, quod hic solus locus alium sensum præbet, si inclinatur accentus, quam si non inclinatur. Quamquam dubitari potest, an apud Homerum saltem nusquam encliticum

sit *αὐτόν*, quum is hoc pronomen etiam in initio versus posuerit, qui locus inclinationi accentus contrarius est. Intelligent periti, cur, quum alii loci desint, etiam talibus hoc locis probari existimem, in quibus accentus etiam propter alias causas inclinationem repellit. Sic igitur Odyss. π. 369.

> ἵνα φθίσωμεν ἑλόντες
> αὐτόν.

Iliad. ξ. 456.

> καί μιν ὀΐω
> αὐτῷ σκηπτόμενον κατίμεν δόμον Ἄϊδος εἴσω.

et in Hymno Apoll. 345.

> οὔτε πότ' ἐς θῶκον πολυδαίδαλον, ὡς τὸ πάρος περ
> αὐτῷ ἐφεζομένη πυκινὰς φραζέσκετο βουλάς.

Minime omnium autem accentum inclinandum puto in illo ipso loco, ad quem de ea re præcipiunt grammatici, Iliad. μ. 204. Verba poetæ hæc sunt:

> ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε, περησέμεναι μεμαῶσιν,
> αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,
> φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
> ζωόν, ἔτ' ἀσπαίροντα· καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
> κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρήν,
> ἰδνωθεὶς ὀπίσω.

Ita accentum scribebant grammatici, eo fine, ut pronomen e participio pendere ac de dracone accipiendum esse intelligeretur: 'draco vulneravit aquilam, a qua ipse tenebatur:' vide Wolfii præfationem p. 50. At hoc poeta sic opinor dicturus fuisset, *κόψεν ἔχοντα ἓ αὐτόν*, quemadmodum loquitur Odyss. ρ. 387.

> πτωχὸν δ' οὐκ ἄν τις καλέοι, τρύξοντα ἓ αὐτόν.

Quod quum non fecerit, *αὐτὸν* recto accentu esse, ipsamque aquilam, quæ draconem tenebat, intelligi debere arbitror. Atque ut hic *αὐτὸν ἔχοντα* dicit, quod recentiores dicturi fuissent *αὐτὸν τὸν ἔχοντα*, eodem modo loquutus est Od. ι. 257.

> δεισάντων φθόγγον τε βαρύν, αὐτόν τε πέλωρον.

XII.

Αὐτὸς idem.

Venio nunc ad illam significationem nominis αὐτός, quæ est 'idem.' Atque etsi valde diversa sunt 'idem et ipse,' quum per nomen 'idem' æquiparetur aliquid alii rei, exclusis reliquis rebus; per nomen 'ipse' autem æquiparetur sibi, sejunctis aliis: tamen quoniam utriusque nominis opposita, ad quæ plerumque respicitur, 'diversus et alius,' simillima sunt, obtinuit apud Græcos, ut alius vocabuli penuria αὐτὸς etiam 'idem' significaret. Sed illud, quod indicavi discrimen, paullo clarius explicandum est. Quod Horatius dicit, "informes hiemes reducit Juppiter: idem submovet," hanc vim habet: qui hiemes reducit, Juppiter est: qui eas submovet, Juppiter est: ideoque qui submovet, non est diversus ab eo, qui reducit. Non potuisset dici, 'Juppiter idem submovet,' nisi altera præcessisset sententia, 'Juppiter reducit hiemes:' quia nomen 'idem' indicat, hunc, de quo sermo est, comparari cum quopiam alio. Hoc vero, 'Juppiter ipse submovet hiemes,' stare per se potest, quia sic Juppiter sibi ipsi comparatur, neque aliud his verbis continetur, quam hoc, 'Juppiter, hic, non alius, submovet hiemes.' Sæpe vero nihil refert, utrum 'ipse,' an 'idem,' eorumque opposita adhibeas. Ut, 'eadem via redii, non diversa: illa ipsa via redii, non alia.' Hinc ergo Græci αὐτὸς etiam pro 'idem' usurpare cœperunt, et quidem etiam sine pronomine ὅ, cujus omissionem nolim cum Schæfero ad Greg. Cor. p. 303. Ionicam vocare, quum ea potius ad antiquum epicorum sermonem pertineat. Exemplis, quæ attulit Schæferus ex Iliad. μ. 225. et Od. π. 138. adde Odyss. θ. 107.

> ἦρχε δὲ τῷ αὐτὴν ὁδόν, ἥνπερ οἱ ἄλλοι.

κ. 158.

> ὅς ῥά μοι ὑψίκερων ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν αὐτὴν
> ἧκεν.

263.

> τὸν δ' αἶψ' ἠνώγεα αὐτὴν ὁδὸν ἡγήσασθαι.

φ. 366.

αὐτὰρ ὃ θῆκε φέρων αὐτῷ ἐνὶ χώρῳ.

In Hymno Apoll. 179.

ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην καὶ Μῃονίην ἐρατεινήν,
καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν·
αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.

Hesiod. Scut. Herc. 35.

αὐτῇ μὲν γὰρ νυκτὶ τανυσφύρου Ἠλεκτρυώνης
εὐνῇ καὶ φιλότητι μίγη, τέλεσεν δ' ἄρ' ἐέλδωρ·
αὐτῇ δ' Ἀμφιτρύων λαοσσόος, ἀγλαὸς ἥρως,
ἐκτελέσας μέγα ἔργον, ἀφίκετο ὅνδε δόμονδε.

Sic intelligendum puto etiam hoc, Iliad. ο. 724.

ἀλλ' εἰ δή ῥα τότε βλάπτεν φρένας εὐρύοπα Ζεὺς
ἡμετέρας, νῦν αὐτὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει.

Grammatici veteres, ad v. 694. s. respicientes, hæc aliter interpretantur. Alia ex epicis exempla attulit Schæferus in Melet. Crit. p. 65. Sed jam Homerus etiam ὁ αὐτὸς usurpavit, Iliad. ζ. 391. Od. η. 55. 326. π. 334. plane ut nos dicimus 'derselbe.' Attici vero, quod equidem sciam, sic semper. Nam si qui forte loci repugnare videantur, hos emendatione indigere vix dubium est. Euripidis versum in Electra 521. emendarunt alii, quum Canterus insolentem formam ταυτῆς pro τῆς αὐτῆς reponendam judicasset, quam defendit Æmilius Portus e Sophoclis Philoct. 852. et ex Aristot. Polit. viii. 1. 172. K. Rhetor. iii. 16. 226. i. At in Aristotele ille aperte vitiosa scriptura se decipi passus est: Sophoclis autem locum jure suspectum habet Schæferus ad Greg. Cor. p. 303. quamquam conjecturam ejus, εἰ γ' αὐτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις, ut in scriptore Attico, probare non ausim. In hac quidem Sophoclis fabula, quæ præ reliquis corrupta ad nos pervenit, non mirer, si gravior corruptela lateat, quam quæ certa emendatione sanari possit. Verum tamen aliquid saltem ad hujus loci explicationem videor mihi conferre posse. Chorus, quum obdormivisset Philoctetes, monet Neoptolemum, ut cum arcu illius aufugiat. Respondet Neoptolemus, arcum nihil

prodesse, nisi ipsum Philoctetam secum abducant; hoc enim jussisse deum; ac turpem esse gloriam, rem imperfectam destituisse. Tum chorus, postquam deo relinquendam esse hanc curam dixit, his verbis Neoptolemum monet: *οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι, εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις, μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη*. Scholia Romana sic habent: *οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι· δι' ὃν λέγω. οἷον τὸν Φιλοκτήτην. διὰ μέσου τοῦτο εἴρηκε. εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν. εἰ τὴν αὐτὴν τῷ Ὀδυσσεῖ γνώμην ἔχεις, ὥστε αἴρειν τὸν Φιλοκτήτην ἐντεῦθεν. ἄπορα πυκινοῖσιν. ἄπορόν ἐστι καὶ τοῖς συνετοῖς ἰδεῖν τὸ πρακτέον. λείπει οὖν ὁ καί. γράφεται, πυκνοῖσιν, ἵν' ᾖ ἐν πράγμασι πυκνοῖς συνιδεῖν τὸ πρακτέον, ἄπορον.* Hinc Brunckius suam interpretationem hausit: ‘scis enim quem loquar; si cum illo sentis, prudentibus maxime datum perspicere, quo se pacto ex difficultatibus extricent.’ At hic sensus nullo modo in verbis istis inesse potest, tametsi illud recte monuisse videtur Brunckius, et *ὃν* et *τούτῳ* ad Ulyssem spectare. Quæ vero sequuntur, in his ne scholiastæ quidem interpretatio admitti potest, quia, si *ἄπορα πυκινοῖς* pro *ἄπορόν ἐστι πυκινοῖς* poëta dixisset, *πάθη* non potuisset sic nude addere, nedum ut id *τὸ πρακτέον* significaret. Quodsi dici non potuit *ἄπορά ἐστι πυκινοῖς, ἐνιδεῖν πάθη*, multo minus ita hæc intelligi potuerunt, ac si scriptum esset, *ἔξεστι πυκινοῖς ἐνιδεῖν ἄπορα πάθη*. Quæ quum ita sint, adducor, ut duorum vocabulorum sede mutata sic scribendum putem:

> *ἀλλ' ὅ τι δύναιο μάκιστον*
> *κεῖνό μοι νῦν, κεῖνο λάθρα*
> *ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις.*
> *οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι,*
> *εἰ τούτῳ ταυτὰ γνώμαν ἴσχεις*
> *μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς συνιδεῖν πάθη.*

Chorus Neoptolemum, cunctantem ubi festinato opus erat, ita monet: ‘vide quid agas, si tibi cum eo, quem nominare nolo, eadem sententia est de malis, quæ inextricabilia imminere prudentes intelligunt.’ Hoc est, si sic sentis, ut Ulysses, facile intelliges, nisi statim aut arcum, aut ipsum Philoctetam hinc auferas, mox, illo expergefacto, eam rem plurimum difficultatis habituram esse. Ad constructionem

quod attinet, ταυτὰ γνώμαν ἴσχεις ἄπορα συνιδεῖν πάθη dictum est pro ταυτὰ γιγνώσκεις περὶ ἀπόρων συνιδεῖν παθῶν: cujusmodi constructionum exempla, qui tragicorum lectione exercitati sunt, plurima inveniri sciunt. Cæterum συνιδεῖν e scholiis Romanis, cujus lectionis vestigium etiam in scriptura πυκινοῖσιν, invenitur, præferendum duxi. Strophicus autem versus, in quo hiatum jam olim, sed non satis recte explevi, sic est scribendus:

πολύ τι, πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

Metrum dochmiacum est.

XIII.

Αὐτῆμαρ et similia. *Ὑπ' αὐτό, ὑπὸ τὸ αὐτό. Ἐν αὐτῷ.*

Redeo ad nomen αὐτός. Alii loci, quos Schæferus eadem pagina et sequente attulit, ut αὐτὸς pro ὁ αὐτὸς ab Atticis eorumque imitatoribus dici ostenderet, alieni sunt ab hac ratione, quum in omnibus hoc nomen 'ipse' significet, ut in adverbiis αὐτῆμαρ, αὐτοετεί, aliisque, quorum nollem mentionem fecisset vir præstantissimus p. 57. quo quidem loco etiam alia quædam exempla affert, quæ quamvis speciosa sint, tantum tamen abest, ut illam sententiam confirment, ut magis contrarium verum esse demonstrent. Ordiar a formula ὑπ' αὐτό, quam 'sub idem tempus' significare putat Toupius ad Longinum p. 302. Schæfero non improbante. Plutarchus quidem, quo auctore utitur Toupius, dixit, uti debebat ὑπὸ τὸ αὐτό. Quid vero hoc ad Longinum? Hic x. 3. quum celebratissimum illud Sapphus carmen attulisset, ita pergit: οὐ θαυμάζεις, ὡς ὑπ' αὐτὸ τὴν ψυχήν, τὸ σῶμα, τὰς ἀκοάς, τὴν γλῶσσαν, τὰς ὄψεις, τὴν χρόαν, πάνθ' ὡς ἀλλότρια διοιχόμενα ἐπιζητεῖ; Mirum vero, doctissimos homines non vidisse, Longinum hic ne addito quidem articulo sic loqui potuisse. Nam sane ὑπὸ τὸ αὐτὸ est 'sub idem tempus:' at hoc Græcis Latinisque non de iis rebus, quæ uno eodemque temporis momento fiunt, sed de his usurpatur, quæ circiter in idem tempus incidunt, nec longo intervallo distant. Id vero de his, quæ quis paucis versibus complexus est, ineptissime diceretur. Nimirum Longini loco satius

est abstinere, qui, ut aliquot alii in hoc scriptore loci, meliorem codicem desideret. Aliquid tamen in his tenebris ut certum deprehendisse mihi videor. Nam quæ in edd. præcedunt Sapphus verba,

ἀλλὰ πᾶν τολματόν, ἐπεὶ πένητα,

quis credat aut a poetria sic scripta esse, quum facilius alia omnia in isto carmine, quam quidquam de paupertate dici potuerit, aut Longinum his verbis, quæ minime ad id, de quo agitur, pertinent, finiturum hos versus fuisse, et quidem abrupta media oratione? Ac librorum Mss. lectio, quæ hæc fere est, *ἀλλὰ πᾶν τολματὸν ἐπεὶ καὶ πένητα οὐ θαυμάζοις ὡς ὑπ' αὐτό*, satis mihi videtur prodere, hæc omnia Sapphus verba esse, in quibus quidem de vera lectione nihil nisi *ἐπεί κε* et participium *θαυμάζοισα* agnosci potest. Non magis in alio Longini loco, xii. 4. Mori et Weiskii patris interpretationem probo: *ὁ δὲ Κικέρων, ὡς ἀμφιλαφής τις ἐμπρησμός, οἶμαι, πάντῃ νέμεται καὶ ἀνειλεῖται, πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἀλλοίως ἐν αὐτῷ, καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον.* Hic illi *ἐν αὐτῷ* significare putant 'in eodem loco.' At hoc a mente scriptoris alienum est. Nec filius Weiskii rem expediit. Mihi quidem videtur difficultas interpunctione tolli posse: *πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον, καὶ διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἀλλοίως, ἐν αὐτῷ καὶ κατὰ διαδοχὰς ἀνατρεφόμενον*: 'multum habens et semper permanentem calorem, divisumque alibi aliter, simul etiam per vices augescentem.' *Ἐν αὐτῷ*, hoc est, 'in ipsa illa re,' *ἐν τῷ διακληρονομεῖσθαι ἄλλοτ' ἀλλοίως*.

XIV.

Κατ' αὐτό. κατὰ τὸ αὐτό.

Venio nunc ad *κατ' αὐτό*, quod quum Toupio ad Suidam T. ii. p. 73. 'eodem tempore' significare visum esset, Schæferus ad Lambertum B. p. 210. et 550. id ubique, ubi hanc vim haberet, in *κατὰ ταυτὸ* mutandum censebat. Vellem mansisset in hac sententia. Sed in adnotationibus ad Greg. Cor. p. 57. pæne in eo est, ut assentiatur Toupio.

Non attenderunt hi doctissimi viri ad discrimen, quod inter has formulas satis magnum est. Nam κατὰ ταυτὸ est eodem tempore: Hesychius: κατὰ τὸ αὐτό, ὁμοῦ. Exempla attulerunt Toupius ad Longinum p. 302. et Schæferus ad Lamb. B. p. 210. Κατ' αὐτὸ vero significat, quod nos 'gerade, eben,' Latini nunc 'admodum,' nunc 'forte,' vel etiam aliis modis dicunt. Sic intelligenda exempla, quæ Toupius ad Suidam attulit: Herodiani i. 12. 7. ἐπέσχε δὲ κατ' αὐτὸ καὶ λιμὸς τὴν πόλιν: 'ac forte fames esse cœpit in urbe;' 'und gerade trat auch Hungersnoth ein.' Polybii in Excerptis Vales. p. 1455. (T. iv. p. 560. ed. Schweigh.) ἐκπορευομένων γάρ ποτε κατ' αὐτὸ πάντων ἐκ τῆς οἰκίας τῆς τοῦ Φαβίου: quæ recte sane Toupius interpretatur, 'egressis simul omnibus ex Fabii domo,' modo memineris, hoc non esse 'eodem tempore,' quod dicendum fuisset κατὰ ταυτό, ut Schweighæuserus edidit, immerito ob id laudatus a Schæfero, sed 'plane omnibus:' Germanice: 'da einmal eben alle aus dem Hause gegangen waren.' Strabo T. v. p. 651. (978. D. Almel.) commemoratus a Schæfero ad Gregor. p. 57. ὥστε τὸ ἐπ' εὐθείας μῆκος τῆς Ἰωνίας εἴη ἂν κατ' αὐτὸ ἢ μικρῷ πλέον τῶν ὀκτακοσίων: sic recte cod. Mosc. pro vulgato κατὰ ταυτό, i. e. 'ut Ioniæ longitudo admodum IↃCCC stadia contineat, vel paullo plus.' Quid, obsecro, hic sibi vellet κατὰ ταυτό? Sed in loco lexici SGerm. qui in adnotationibus ad Gregor. p. 57. affertur, neque hoc κατ' αὐτό, cujus modo exempla vidimus, neque κατὰ ταυτό, quæ conjectura eruditissimo Bastio, festinantius locum adspicienti, excidit, quærendum est.

XV.

Αὐτὸ μόνον. Αὔτως. Αὕτως.

Similem significationem, sed diversam tamen habet αὐτὸ μόνον, de qua vide Valcken. ad fragm. Callim. p. 28. et Bastii Epist. Crit. p. 135. ed. Lips. Sed illud non video a quoquam animadversum esse, eamdem significationem, qua recentiores αὐτὸ μόνον dixerunt, apud Homerum in adverbio αὔτως inveniri. De quo adverbio hoc magis hic explican-

dum duxi, quod ineptissima de eo commenti sunt grammatici. Et hi quidem duo distinguunt adverbia, αὕτως, quod, mirum dictu, a feminino αὕτη, ut οὕτως a masculino, dictum putant: v. Favorin. in v. αὕτως et οὕτως; et αὕτως, quod Eustathius p. 235. 5. 407. 42. Æolice, p. 1755. 15. autem Ionice lenem spiritum habere dicit, quamquam postremo loco addit, ἢ καὶ ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτός; alii autem grammatici pro ἀέτως dictum opinabantur: v. Etym. M. p. 272. 42. Zonar. p. 349. Favorin. in v. αὕτως. At unum exstat et solum adverbium αὕτως, cujus quidem si alia adhuc forma, αὕτως, usurpata fuit, eam aut Atticorum propriam fuisse crediderim, quos aspero spiritu delectatos esse novimus, aut excogitatam esse a grammaticis, ex quorum subtilibus inventis multa in usum et consuetudinem venerunt, non secus ac nunc in Germanica lingua pusillorum hominum distinctionibus novas verborum formas, v. c. 'ahnen, Ahnung,' procudi, et ab imperitis, (sunt autem patriæ linguæ plerique omnes, qui ea utuntur, imperiti,) usurpari videmus. Homerus certe semper dixit αὕτως. Significat autem hoc adverbium numquam, ut Etymologus, Eustathius, quum alibi, tum maxime p. 545. 29. H. Stephanus, cum eoque alii lexicographi tradunt, idem quod οὕτως, 'sic,' sed 'hoc ipso modo,' ὡσαύτως, ut Hesychius interpretatur. Nos, 'eben so, gerade so.' Quamquam alios etiam habet significatus. De omnibus ordine dicam.

Ac prima significatio est, quam modo commemoravi, 'hoc ipso modo.' Od. π. 143. Eumæus, quum Laertem ante Telemachi discessum nec cibo nec potu abstinuisse narrasset, addit:

> αὐτὰρ νῦν ἐξ οὗ σύγε ᾤχεο νηῒ Πύλονδε,
> οὔπω μίν φασιν φαγέμεν καὶ πιέμεν αὕτως.

Sic Iliad. δ. 17. χ. 125. Apud Sophoclem in Œd. R. 931. nuncio, dicenti

> ἀλλ' ὀλβία τε καὶ ξὺν ὀλβίοις ἀεὶ
> γένοιτο,

respondet Jocasta,

> αὕτως δὲ καὶ σύ γ', ὦ ξέν'.

Inde est ὡσαύτως, quod Homero semper divisim dicitur, ὡς δ' αὔτως, Iliad. γ. 339. η. 430. ι. 195. κ. 25. Od. γ. 64. ζ. 166. ι. 31. υ. 238. φ. 203. 225. χ. 114. ω. 409. Sophocles Trach. 1047.

ἂν ὧδ' ἐπίδοιμι πεσοῦσαν
αὔτως, ὧδ' αὔτως, ὥς μ' ὤλεσεν.

Jam hoc adverbium aut ad eum statum refertur, qui antehac fuit, aut ad præsentem. Si ad illum, qui antehac, pæne idem significat, quod 'adhuc,' nobis 'immer noch.' Iliad. ψ. 267.

αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,
καλόν, τέσσαρα μέτρα κεχανδότα, λευκὸν ἔτ' αὔτως.

'Adhuc splendidum, nec dum fumo ac fuligine obductum.' Sic σ. 338. ω. 413. Od. ν. 336. υ. 130. Interdum hæc significatio proxime contingit aliam, 'frustra,' de qua infra dicetur: Iliad. ψ. 72.

τῆλέ με εἴργουσιν ψυχαί, εἴδωλα καμόντων,
οὐδέ μέ πω μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
ἀλλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ.

Sin ad præsentem statum refertur, significat, 'ut nunc sum,' quod nos dicimus 'gleich so.' Iliad. ε. 225.

ὀκνείω δ' ἵππων ἐπιβαινέμεν, ἀλλὰ καὶ αὔτως
ἀντίον εἶμ' αὐτῶν.

Cui loco non dissimile est illud Iliad. σ. 392.

Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε·

ubi scholiastes: οὕτως, ὡς ἔχεις σχήματος. τοῦτο γὰρ ἂν σπουδαῖον φαίνοιτο, ὡς Ἀχιλλεύς, αὐτῇ σὺν φόρμιγγι. In eodem libro ν. 198.

ἀλλ' αὔτως ἐπὶ τάφρον ἰών, Τρώεσσι φάνηθι,

'sic, ut es, sine armis.'

Deflectit hæc significatio in varias partes, pro cujusque rei statu et conditione. Sic Iliad. ι. 598.

τῷ δ' οὐκέτι δῶρ' ἐτέλεσσαν
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτως,

'sic quoque, nihilo minus, i. e. nullis præmiis excitatus. ψ. 620.

δίδωμι δέ τοι τόδ' ἄεθλον
αὔτως. οὐ γὰρ πύξ γε μαχήσεαι, οὐδὲ παλαίσεις.

quamvis non certaturo, i. e. 'gratis.' Nos 'auch so,' adverbio 'so' accentum non inclinante, sed rectum servante.

Ex eadem præsentis status significatione oritur illa, quæ est *αὐτὸ μόνον*, 'tantummodo, nihil amplius.' Nos 'bloss.' Odyss. υ. 379.

ἀλλ' αὔτως ἄχθος ἀρούρης,

i. e. *ἄχθος ἀρούρης, αὔτως*: 'inutile terræ pondus, hoc ipsum, nihil aliud.' ξ. 151.

ἀλλ' ἐγὼ οὐκ αὔτως μυθήσομαι, ἀλλὰ σὺν ὅρκῳ.

Vide Iliad. α. 133. β. 342. κ. 50. ν. 104. ξ. 18. ρ. 633. Od. ζ. 143. ν. 281. ο. 83. ϱ. 303. Inde conjungitur cum adverbiis, *μὰψ αὔτως*, 'nihil aliud quam temere,' Iliad. υ. 348. Odyss. π. 111. Hymn. Merc. 488. cum adjectivis, *παῖς νήπιος αὔτως*, 'nil nisi infans puer,' Iliad. ζ. 400. χ. 484. ω. 726. *ἄφρονα αὔτως*. γ. 220. *ἀκλεὲς αὔτως*. η. 100. *ἀνεμώλιον αὔτως*. φ. 474. cum verbis, ut Odyss. π. 313.

δηθὰ γὰρ αὔτως εἴσῃ ἑκάστου πειρητίζων,
ἔργα μετερχόμενος,

'Nam nihil aliud quam diu circumibis, singulos explorans.' Sic *εὔχεσθαι αὔτως*, λ. 388. ν. 447. ρ. 450.

Atqui qui tantummodo gloriatur, is gloriatur 'temere et sine causa.' Inde hæc quoque non rara est significatio: ut Iliad. ζ. 55.

τίη δὲ σὺ κήδεαι αὔτως
ἀνδρῶν.

Vide ϱ. 143. Odyss. δ. 665. μ. 284. Sic etiam unus et alter locorum supra allatorum intelligi potest, ut Iliad. β. 342.

αὔτως γάρ ῥ' ἐπέεσσ' ἐριδαίνομεν.

Quoniam vero, quæ fieri tantum, ac nihil amplius, dicuntur, etiam sic intelligi possunt, ut quæ sine effectu sint, αὔτως etiam 'frustra' significat. Iliad. ο. 128.

ἦ νύ τοι αὔτως
οὔατ' ἀκουέμεν ἐστί;

Sic 513. π. 117. σ. 584.

THEOPH. CAR. GUIL. SCHNEIDERI

VIMARIENSIS

DR. PH. PATRII GYMNASII HYPODIDASCALI

DE

DIALECTO SOPHOCLIS

CETERORUMQUE

TRAGICORUM GRÆCORUM

QUÆSTIONES NONNULLÆ CRITICÆ.

AGITUR IN HOC LIBELLO:

Page

I. De secunda passivi et medii persona in ῃ et ει . 276

II. De formis ἵεις, ἵης, ἱεῖς, similibus . . . 278

III. De plusquamperfecto ᾔδειν, ᾔδη, etc. . . 279

IV. De κλεῖθρον et κλῇθρον, aliisque ejusmodi . . 280

V. De formis βασιλέες, βασιλῆες, βασιλεῖς, βασιλῆς, βασιλῇς ib.

VI. De εἴκασα et ᾔκασα 281

VII. De augmento verborum a diphthongo ευ incipientium . . . . . ib.

VIII. De ἀνάλωσα et ἀνήλωσα . . . 282

IX. De augmento verbi ἀνέχεσθαι . . . ib.

X. De optativi aoristi 1 activi formis . . 283

XI. De futuro Attico . . . . . ib.

XII. De δύο, δύω, δυοῖν, δυεῖν . . . . ib.

XIII. De ἐς, εἰς, ἔσω, εἴσω 284

XIV. De ἐχθαίρειν et ἐχθραίνειν, similibus . . ib.

XV. De formis πλεύμων et πνεύμων . . . 285

XVI. De πράττω, πράσσω et quæ sunt hujus generis . ib.

XVII. De θαῤῥῶ, θαρσῶ, ἄῤῥην et ἄρσην . . . ib.

XVIII. De γνάπτειν et κνάπτειν . . . 286

XIX. De formis γίγνομαι, γίνομαι, γιγνώσκω et γινώσκω . ib.

XX. De μικρὸς et σμικρὸς . . . . ib.

XXI. De πλέος et πλέως 287

XXII. De adjectivorum terminatione στος et τος . ib.

XXIII. De formis ἀνύειν, ἀνύτειν et ἁνύτειν . . ib.

XXIV. De ἄγος et ἅγος, ἁγηλατέω, ἀγηλατέω, aliis . 288

XXV. De αὔτως et αὕτως . . . . ib.

XXVI. De rarioribus quibusdam senariorum formis 289

Page
XXVII. De epicis trimetrorum Iambicorum formis . 289
XXVIII. De αἰεὶ, αἰὲν, ἀεὶ 290
XXIX. De πολλὸς, μέσσος, ἔσσομαι . . . *ib.*
XXX. De ἀπαὶ, διαὶ, ὑπαὶ, ἐνὶ, εἰν et εἰνάλιος . . *ib.*
XXXI. De diæresi vocalium, imprimis de ἐλεεινὸς . 291
XXXII. De omisso augmento . . . *ib.*
XXXIII. De rarioribus quibusdam epicis senariorum formis . . . . . *ib.*
XXXIV. De Dorismo trimetrorum . . . 292
XXXV. De Æolismo eorumdem . . . *ib.*
XXXVI. De hiatus vitandi ratione in universum . 293
XXXVII. De prodelisione 294
XXXVIII. De postelisione 299
XXXIX. De crasi 302
XL. De synizesi 311
XLI. De synecphonesi . . . . *ib.*
XLII. De litera ν paragogica 314

SCHNEIDER

DE

DIALECTO TRAGICORUM GRÆCORUM.

Quamvis tragici Græcorum magnos viros nacti sint editores et criticos, inter quos nomina Brunckii, Porsonis, Hermanni, quem audisse glorior, Seidleri, Elmsleii, Matthiæ, aliorum splendent: tamen, quod pace illorum dixerim, quodque jam alii intellexerunt, futuro editori multa relicta sunt, quibus tractandis de Æschylo, Sophocle et Euripide mereri licet. Et interpretatio quidem nemini fere præter Musgravium placuit, quam maxime in poetarum scriptis magni æstimandam esse nemo negabit. Qua neglecta omnes tragicorum poetarum libris operam suam tribuentes in verbis modo eorum et dicendi ratione restituendis, inque metrorum cura, omnino in critica re, versati sunt; quo factum est, ut multa, de quibus antea nullum aut anceps judicium erat, nunc certa et transacta sint; multa contra, in quibus codicum auctoritatem sequendum erat, e nimio præceptorum ac placitorum quorumdam studio corrumperentur potius quam corrigerentur. Et recte quidem nuper ab Hermanno in Ajacis editione major quam vulgo codicibus fides haberi cœpta est, qui in præfationis pagina 18. verissimum de usu præpositionum εἰς et ἐς, σὺν et ξὺν judicium protulit, verbis usus, quæ etiam de multis aliis hujus generis valent, et infra communicabuntur. Recte πείθου contra Atticistarum πιθοῦ idem vir doctus defendit in nota ad Electr. 1003. recte intellexit, dialectum Doricam invitis libris inferendam non esse, qua de re

conferatur ad Ajac. 619. recte jam antea Brunckius ad Philoct. 1239. ἠβουλόμην Atticum quidem, sed tragicis non frequentatum esse monuerat, recte Porso ad Eurip. Phœn. 5. formas ἑλίσσω et εἱλίσσω probaverat, recte denique alia alii restituerunt. At multa supersunt, de quibus aliter quam nunc fit, judicandum esse arbitramur. Quod de majore eorum parte, quæ subjungam, valere mihi videtur, alia similia in iis tractaturo, quæ ad Sophoclis fabulas scribere in animo est.

Ordiamur a multum tractata, a plurimisque in ει mutata secunda in passivo et medio præsentis futurique indicativi persona in ῃ, quo modo in codicibus Sophoclis aliorumque tragicorum atque veteribus editionibus constanter terminatur, exceptis formis οἴει, βούλει et ὄψει, quæ e vetere Atticismo omnibus Atticis librorum auctoribus propriæ sunt. Quæ passim in libris leguntur secundæ personæ in ει exeuntis exempla, ex serioris ævi eadem pronuntiatione utriusque diphthongi orta plerumque in pessimæ notæ codicibus reperiuntur. Præeunte Valckenaerio Brunckius, qui formam in ει a grammaticis Atticam nuncupari commendarique, ab Aristophane, vere Attico, servari animadverterat, nonnullorum exemplorum apud tragicos quoque non satis idonea auctoritate nisus, in futuris quidem, repugnantibus codicibus Atticam illam terminationem introduxit. Quem Porso, Hermannus, Erfurdtus, alii sequuti sunt, secundam præsentis quoque in passivo et medio ita scribentes. Qua ratione nuperrime in editione Sophocleæ Electræ et Trachiniarum tacite relicta, futuris modo illam formam Hermannus tribuit, argumentis, quibus ductus sit, non expositis. Itaque videmus, quam dubii summi critici hæreant, qui a codicum fide recedentes suum sequantur arbitrium. Argumenta autem eorum qui hac de re scripserunt, Maittairii in Dialectt. p. 62 sq. Fischeri ad Welleri Grammat. 1. p. 119. 2. p. 399. Koenii ad Gregor. Corinth. p. 49. ex edit. Schæferi p. 118 sqq. §. 55. Valckenaerii ad Eur. Phœn. v. 576. p. 216 sq., Brunckii ad Sophocl. Œd. Reg. 336. Porsonis in præfatione ad Eur. Hecub. p. 4. Hermanni in suæ ad eandem fabulam præfationis p. 25 sqq., Matthiæ in Gramm. Græc. § 197. 1. Buttmanni in Ampl.

Græc. Gramm. §. 87. not. 9. p. 354 sq. hæc fere sunt: primum veteres grammatici Atticam scripturam esse formam secundæ personæ in ει affirmant, ut scholiastes ad Aristoph. Plut. 40. Gregorius Corinthius et alii. Quod negari non potest, cum Aristophanem habeamus exemplum aliosque Atticos. Tum analogia illam Atticam probari formam imprimis Porso in præfatione ad Hecub. p. 4. docere studet. Denique diphthongum ει pro cognata diphthongo poni licere monet Hermannus in præfatione ejusdem fabulæ p. 27. Recte, neque ob ipsum usum et exempla improbarem, etiamsi pro illa forma nihil argumentorum afferri liceret. At quamvis in Aristophane aliisque vere Atticis formam in ει exeuntem servandam minimeque repellendam esse judico, exceptis fortasse singulis locis, in quibus tragicorum ille sermonem imitatur: tamen ex Æschyli quidem, Sophoclis et Euripidis fabulis removendam eam, præter formas illas οἴει, βούλει, ὄψει, quas constanter in libris ita scriptas videmus, arbitror. Cujus sententiæ hæ mihi sunt rationes: primum omnium ferme et optimorum librorum consensus, pariter atque membranarum Aldique editionis haud exigua fides. Quis enim existimaverit, ut unum certe exemplum afferam, in Sophoclis Trachin. v. 450. ψεύδῃ, 452. ὀφθήσῃ, 470. μέμψῃ, et 471. κτήσῃ, quater communem formam in ῃ, quam ad unum omnes codices tuentur, in Atticam contra codices esse mutandam? id quod fecit Erfurdtus. Eadem res in Æsch. Prom. 1008 sqq. Atque hac probata mutatione, in quibusnam tandem fides habenda veteribus libris? Ita latus libidini nostræ aperitur campus. Tum quod aliis grave argumentum est, indicativi et conjunctivi formarum diversitas, apud me quidem non multum valet, cum aliis quoque multis, quæ differunt, eædem formæ sint, ut indicativo et conjunctivo in activi ac passivi præsenti tempore verborum in αω, quorum modorum usus tam certus est, ut statim intelligas, uter ponendus fuerit. Deinde in quo summi editores ac critici vehementer peccaverunt, est tragicorum dicendi genus, quod Atticum esse oportere judicantes tragicas fabulas commaculaverunt, licet accurata earum lectio contrarium clare demonstraret. Quot enim epicæ et Ionicæ formæ in senariis reperiuntur. Jam

tempus est intelligere, tragicos poetas, qui res oculis subjiciunt a communis vitæ consuetudine longius recedentes, graves et rariores, dicendi quoque genus sibi elegisse, quod a vulgari paullum recederet, et multa ex epicis poetis hausisse, qui gravia canentes ipsis præcesserant. Denique si quis existimaverit, recentiorum modo Atticorum esse formam secundæ passivi in ῃ, quamvis id ipsum de altera contendat Suidas v. ἅπτεσθαι: negari quidem non potest, forma illa eos usos esse, sed concedendum quoque, in communi dialecto regnasse eam, jamque apud Homerum passim reperiri, v. c. Iliad. i. 160. τῶν οὔτι μετατρέπῃ οὐδ' ἀλεγίζεις. Odyss. i. 254. ἦ δὴ πολλὸν ἀπ' οἰχομένου 'Οδυσσῆος δεύῃ· cf. Thierschii Græc. Gramm. §. 221. p. 309. Adde Iliad. ii, 365. γνώσῃ ἔπειτα. v. 757. et 872. Ζεῦ πάτερ, οὐ νεμεσίζῃ, alia. Unde apparet, formam in ῃ novam non esse, sed ex Homero transiisse in communem linguam, tragicis, quorum tempore altera forma in ore Atheniensium erat, illam retinentibus, Aristophane contra, qui res communis vitæ in scenam ducebat, Atticorum formam apte usurpante. Vide quæ Passovius, censor Elmsleiani Œdipi Regis, in Ephemeridibus Literariis Jenensibus 1818. num. 147. p. 260. disputavit.

Cum formarum, quæ literis ῃ et ει differunt, mentionem injecerimus, nonnulla alia his similia addere libet. Et primum quidem de scribenda secunda persona activorum verborum in μι exeuntium ambigitur, qualis est ἵεις, ἵης, ἱεῖς. In codicibus enim veteribusque editionibus plerumque ἵεις, συνίεις, et alia composita accentu in pænultima locato scripta leguntur, ita tamen, ut alii libri ἵης, συνίης, etc. præbeant. Quare anceps est judicium. Brunckius scribi jubet ἱεῖς, τιθεῖς, ab antiquis verbis ἱέω, τιθέω, quæ Atticis in usu non fuere. Conferatur ejus nota ad Philoct. v. 992., ad Œd. Reg. v. 628. et ad Aristoph. Lysistrat. v. 895. Cui adversatur Porso ad Eur. Orest. v. 141. formas τιθεῖς, ξυνιεῖς barbarismos vocans, Atticisque tribuens τίθημι, τίθης, τίθησι. ceterum exempla proferenda esse, in quibus cogente versu τιθῶ, τιθεῖ, τιθοῦμεν, τιθεῖτε Attici dixerint. Itaque exempla doctrinæ suæ repugnantia correxit, corrigique vult. Sed formas illas contractas, neque Atticismo neque barbarismo

tribuendas, apud Ionicos et Doricos scriptores reperiri recte probavit Matthias in Gramm. Græc. §. 205. 1. quamvis hi ipsi τιθοῦμεν, τιθεῖτε non admiserint. In hac quoque re Porso oblitus est, tragicos non semper esse Atticos. Quare ne removeamus illam formam satis Græcam, quamvis rariorem, cum apud Ionicos modo et Doricos auctores, ut jam diximus, legatur, communi et Attica dialecto in formis τίθημι, τίθης, τίθησι consentiente. Accentum autem quod attinet, cujus grammatici auctores sunt, in libris ʽΙΕΙΣ, ʽΙΕΙ, similia sine tenore pingi solebant, quæ illi propter formam pro imperfecto tempore habita, ἵεις, ἵει, plerumque scripserunt, aliis pejoribus libris e solemni vocalis η et diphthongi ει confusione, præsentisque temporis causa, quod requiri librariis illam formam ignorantibus videbatur, ἵης sæpissime exhibentibus. Nobis optimos libros sequendum, et, ubi præsens requiritur, ἱεῖς, τιθεῖς, ἱεῖ, τιθεῖ, ubi imperfectum, ἵεις, ἵει scribendum est, ut recte vidit Brunckius. Ita præsens restituendum in Electr. v. 596. ἣ πᾶσαν ἱεῖς γλῶσσαν. v. 1347. οὐχὶ ξυνιεῖς; Œd. Reg. v. 628. εἰ δὲ ξυνιεῖς μηδέν; Antig. v. 403. ἦ καὶ ξυνιεῖς καὶ λέγεις ὀρθῶς ἃ φῄς. In Phil. v. 992. θεοὺς προτείνων, τοὺς θεοὺς ψευδεῖς τιθεῖς pro præsenti τιθεῖς habere licet, ut Brunckio placuit, nisi τιθεὶς scribens participium præferas, quod propter omissam copulam non offendit. Etiam in his Aristophanes Atticam formam amat, ut in Plut. 45. ubi libri ξυνίης dant. Ceterum cf. Musgravius ad Eur. Hercul. Fur. 710. et Buttmanni Amplior. Græc. Gramm. pag. 524.

Sequitur aliud huic simile, plusquamperfectum ᾔδειν, ᾔδεις, ᾔδει sive ᾔδειν, et ᾔδη, ᾔδης, ᾔδη, quorum alterum ex inusitato perfecto εἶδα, communi plusquamperfecti terminatione ειν adjecta, alterum ex eodem perfecto, addita terminatione Ionica εα, quæ in η contrahitur, formatum est. Conf. quos laudat Matthias in Græc. Gramm. §. 193. 4. Tragicis communis forma ᾔδειν, quantum e codicibus colligi licet, usitatior erat, Atticis Ionicam formam retinentibus. Sic in Sophoclis Œd. Reg. 433. 1525. Electr. 1018. 1185. Antig. 18. 447. 448. 460. in Œd. Col. 948. Trach. 87. Phil. 1010. quæ fere omnia ex hoc poeta exempla sunt, optimi plurimique libri constanter communem formam tuentur, nisi in Œd.

Col. 944. ubi ἤδη δ' οὕ' οὕνεκα, et in Trach. 990. ubi ἆρ' ἐξῄδης vulgaris scriptura est. Quæ cum ita sint, noli neque hanc formam ex illa, neque ex hac illam corrigere, ut constantiam quamdam poetarum fabulis inferas. Quamvis enim communis forma crebrius reperitur apud tragicos, ut supra est dictum, passim tamen, sive sit e negligentia factum, patria dialecto invitis poetis se obtrudente, sive de industria, Attica juxta illam servari recte potest.

Transeamus ad substantivum κλεῖθρον, sive κλῇθρον, cujus altera forma, quæ frequentur reperitur, ab editoribus in alteram κλῇθρον, tragicis non alienam, plerumque mutata est. Cf. Brunckius ad Œd. Reg. v. 1262. Formæ κλῄς, κλῄω, κλῇθρον, unice Atticorum sunt, cf. Koenius ad Greg. Corinth. p. 42. κλεὶς contra, κλείω et κλεῖθρον ad communem dialectum referuntur, quam ut jam vidimus, tragici sæpe præferunt Atticæ. Quare equidem hancce formam, ubi in codicibus extat, non mutaverim. Salva igitur est in Œd. Reg. 1262. salva in Antig. 1186. ubi Atticam formam reponere oblitus est Brunckius, salva in Eur. Iphig. in Aul. 345. in Phœniss. 112. 268. ubi vide Valckenaerii notam, salva in aliis multis locis, dubia autem in Œd. Reg. 1287. 1294. Ἀποκλεῖσαι, non ἀποκλῇσαι, legitur ibid. v. 1388. κλείσας in Eur. Phœn. 879. Aldus, κλῄσας vel κλῃΐσας Mss. præbent.

Similis quæstio de nominativo pluralis tertiæ declinationis in nominibus, quæ in ευς finiuntur. Sunt enim primitivæ formæ hæ, βασιλέες et βασιλῆες, quarum altera, v. c. Θησέες in Platon. Theæt. p. 169 b., altera passim apud tragicos reperitur, ut in Ajac. 959. ξύν τε διπλοῖ βασιλῆες, ubi trisyllabum est, sicuti in Æsch. Pers. 581. τοκῆες bisyllabum. Ex illa communis forma βασιλεῖς per contractionem oritur, ex utraque Attica βασιλῆς, cf. Chœrobosci nota in Etymolog. Magn. p. 473. 37. et censor Elmsleiani Œdipi Regis in Jenensibus Ephemer. Litt. 1818. n. 147. p. 261. Sic hunc nominativum præeuntibus aliquot libris, Triclinio et Dawesio in Miscell. Critt. p. 122. scribi jussit Lobeckius ad Sophocl. Ajac. p. 247., et Schæferus ad Gregor. Corinth. p. 101. probante Buttmanno in Prolix. Græc. Gramm. p. 195. Nihilo minus tam sæpe reperitur βασιλῆς, ut pro cor-

rupta forma haberi nequeat, quæ e communi βασιλεῖς ab Atticis sic formata sit, ut κλῄς, κλῇθρον, κλῄω e κλεὶς, κλεῖθρον, κλείω, de quibus modo diximus. Cf. Eustathius ad Hom. Iliad. pag. 50. 18. ἔθος τοῖς Ἀττικοῖς πολλάκις τὴν διὰ τοῦ ε καὶ ι δίφθογγον διὰ τοῦ η καὶ ι προάγειν, καὶ οὐ μόνον ἐν τῷ, ἱερῆς καὶ βασιλῆς καὶ ἱππῆς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ῥημάτων. Itaque habet, quo commendetur, ut equidem Atticis utramque formam et βασιλῆς et βασιλῇς in usu fuisse censeam. Eadem est Thucydidis hac in re inconstantia, ut Poppo de Elocutione Thucydidis pag. 221 sq. et in Farrag. Discrep. Script. p. 471 sqq. demonstravit. Tragici autem etiam in his communem formam in εῖς præferunt, ut ex optimis libris intelligitur. Vide exempla a Brunckio ad Œdip. Reg. v. 18. collata, quibus addas Ajac. 189. βασιλεῖς, 863. τροφεῖς, Electr. 1107. 1442. Φωκεῖς.

Accedimus ad cognatum usum formarum εἴκασα et ᾔκασα. Hæc quidem licet apud Atticos et tragicos reperiatur, tamen etiam altera forma εἴκαζον, εἴκασα, etc. bona, neque mutanda est. Itaque in Sophocl. Electr. 662. vulgatam αὐτὸς εἴκασας καλῶς probes, neque Brunckius, Porso aliique in Eurip. Phœniss. 164. ἐξεικασμένα et 431. εἴκασε corrigere debebant, quæ Valckenaerius ad v. 165. p. 54 b. intacta jure reliquit. Neque in Æsch. Choeph. 631. neque aliis locis scripturæ librorum augmento carentes in Atticam mutandæ erant. Qui de his formis disputaverunt, præter laudatos hi sunt, Pierso ad Mœrin. p. 182. Fischerus ad Welleri Grammat. 2. p. 279. Ruhnkenius ad Timæum p. 95. voce εἰκάζων, Brunckius ad Aristoph. Nub. 350. Formæ εἴκαζον, εἴκασα, εἴκασμαι, etc. communi dialecto, ᾔκαζον, ᾔκασα, ᾔκασμαι, etc. Atticæ convenire videntur, licet in talibus limites minus arcti ponendi sint, quam vulgo fecerunt grammatici. Sic e Platon. Sympos. p. 259. εἴκασα laudatur, neque Thucydidem augmento usum esse probavit Poppo in Elocutione ejus p. 226.

Augmenti mentionem cum fecerimus, quæ huc spectant, jam tractemus. Et primum quidem de augmento verborum a diphthongo ευ incipientium, pauca dicantur. Quid grammatici judicent, Popponis Observationibus Criticis in Thucyd. p. 82 sq. ejusque Disputatione de Elocutione Thu-

cydidis p. 227. inspectis videbis. Quorum aliis augmentum probantibus, aliis improbantibus, utrumque licuisse, colligere nobis licet. Verbum εὔχεσθαι augmentum in Soph. Trachin. 610. ηὔγμην, 766. κατηύχετο, Antig. 1336. συγκατηυξάμην, in Eur. Hecub. 20. ηὐξόμην, etc. accipit, in Philoct. 1020. εὐξάμην, Trach. 16. ἐπευχόμην, aliisque locis rejicit. Verbi εὐτυχῶ in Eur. Hecub. 18. ηὐτύχει imperfectum est, v. 1198. autem et 1218. εὐτύχει. cf. Porso ad vers. 1198. et Matthiæ Græc. Grammat. §. 167. 6. ηὐλαβεῖσθ', ὃ τοῖς, etc. in Eur. Orest. 738. vulgo legitur, pro quo Aldina εὐλαβεῖσθ' ὃ τοῖς exhibet. In Œd. Reg. 982. μητρὶ ξυνευνάσθησαν. Verbum εὑρίσκειν neque in alio sermone, neque in tragico augmentum recipere solet. Nam quod in Antig. v. 406. sola Aldina ηὑρέθη habeat, et in Aristoph. Pac. 129. ἐξηυρέθη legatur, corruptelæ tribuendum esse videtur. cf. Matthiæ Græc. Gramm. l. l. Certe in hoc verbo augmentum rarissimum est. Exempla vide apud Elmsleium ad Eur. Heracl. 305. et in præf. ad Soph. Œd. Reg. p. 12. Cf. Seidlerus ad Eur. Electr. 380.

Formam ἀνάλωσα Valckenaerius ad Eur. Phœniss. pag. 222. v. 591., Maittairius p. 53., Brunckius ad Aristoph. Plut. 380. et ad Soph. Ajac. 1049. pro Attica habent. At recte Hermannus ad Ajacis locum probat vulgatam ἀνήλωσας, quam non tragicis modo, sed aliis quoque Atticis usitatam fuisse exemplis docuit Fischerus ad Welleri Grammat. 2. p. 285. et 302. 3. a p. 36. Passim etiam in Thucydide reperiri ἀνήλωσα docuit Poppo in elocutione hujus scriptoris, p. 226, idemque de Xenophonte, ad Cyrop. i. 4. 5.

De augmento verbi ἀνέχεσθαι disputaverunt Porso in præfat. ad Eur. Hecub. p. 19. ed. Lips. alt., Reisigius in Conjectann. i. p. 217. et interpretes ad Sophoclis Antig. 467. utramque formam ἠνεσχόμην et ἀνεσχόμην probantes, omnes alias autem improbantes. Quarum altera ἀνεσχόμην (Œd. Reg. 1387.) secundum regulam, altera ἠνεσχόμην non sine analogia formata est. Duplex enim augmentum etiam in aliis compositis verbis cernitur, de quibus cf. Matthiæ Græc. Gramm. §. 170. pag. 201 sq. et Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. pag. 345. At quod in Sophoclis Antig.

467. optimi libri suppeditant, ἠνσχόμην, recipiendum existimo. Sunt enim haud pauca Græcæ linguæ verba, in quibus compositis ante præpositionem ponitur augmentum. cf. Matth. Gr. Gramm. l. 1. p. 201. et Buttmann. p. 343 sq. Inter quæ ἀνέχεσθαι quoque referendum est. Formatur enim, ut ἀνσχεθέειν, ἄνσχεο, ἄνσχετος, omisso α, quod sæpe in similibus abjicitur. Sic ἠνσχόμην defenditur, neque præsertim apud Sophoclem offensionis quid habet.

Vulgarem optativi formam in αις, αι finitam tragicis et Atticis eximendam non esse, exemplis demonstraverunt Schæferus in Meletematibus Criticis, pag. 85. Elmsleius ad Eurip. Med. v. 319. atque Erfurdtus in Antigonæ min. edit. v. 410. addendisque ad hunc versum. Itaque equidem in Œdip. Reg. 843. κατακτείναιεν, quæ vulgata scriptura est, servandam duco. De altera forma vid. Valckenaerii Diatrib. p. 85. C.

Attici ut constat, in futuro, cujus finis est ἄσω, εσω, ἴσω, litera σ ejecta vocales contrahere solent, ita tamen ut syllaba contractioni antecedens neque per se, neque per positionem productam vocalem habeat. Non enim αἰνῶ, ἀρκῶ ac similia dicuntur pro αἰνέσω, ἀρκέσω. Quod etiam apud tragicos factum esse videmus. Vid. Brunck. ad Soph. Œd. Reg. 138. 232. Noli tamen, ubi vulgaris forma in libris legitur, Atticam inferre, quod sibi permisit Elmsleius in Œd. Reg. 538. γνωριοῖμι pro librorum scriptura γνωρίσοιμι scribens. Nam etiam hic valet illa norma, tragicos non semper esse Atticos. Neque prorsus improbare apud hos poetas communem formam videtur Hermannus, qui ad Ajac. 557. hæc dicit: Videndum tamen, ne tragici forte interdum etiam communi forma futuri usi sint. Sic in Phil. 1452. καλέσω, quamvis in anapæstico versu et fortasse conjunctivus sit.

Tragicos forma δύω, quæ Atticis usurpata fuisse a Dawesio in Miscellan. Criticis pag. 338. Valckenaerio ad Eurip. Phœniss. pag. 220. v. 585. Brunckio ad Aristoph. Ran. 1405. et a Porsone ad Eurip. Orest. 1550. negatur, rarius usos esse videmus, ut Antig. 55. Phil. 539. Eur. Electr. 1033. Cycl. 396. aliisque quibusdam locis. Synizesis conceditur in δύω, ut in Antig. 55. et in δυοῖν, ut in Œd. Reg. 640. cf.

Hermanni Elementa Doctr. Metr. pag. 53. Mirum quidem, quod nusquam apud tragicos, quod sciam, δύο ex metro in δύω mutandum sit. Sed cum casu factum esse possit, ut multa alia, etsi magis de δύω dubites, non tamen pro falso habeas necesse est. Ceterum ex antiqua scribendi ratione (similiter πόμα vulgo scribitur perperam pro πῶμα) constans hic mansisse videtur literæ Omicron in hac voce usus, ita tamen ut forma δύο certissima esset. Ubi pro δυοῖν, δυεῖν, quæ ipsa usitata et proba forma, (Œdip. Reg. 1280. et aliis locis) in pejoribus libris legitur, δυοῖν non abjecerim. Sic in Trachin. 943. ubi optimi libri δυοῖν exhibent. Plura de communi Thucydidisque usu attulit Poppo in Elocutione Thucydidis p. 223. sqq. de eo tragicorum disputaverunt Seidlerus ad Eurip. Electr. v. 95. Elmsleius ad Eurip. Med. v. 1256.

Ut initio diximus, ab Hermanno auctoritatem codicum in formis εἰς et ἐς, quantum per metrum licet, recte observari, ita in cognato εἴσω et ἔσω idem faciendum est. Plerumque enim εἴσω damnantes, ἔσω inferunt editores. Perperam. utraque enim forma apud tragicos reperitur, Aristophane ἔσω, ut videtur, repudiante. Vid. Reisigii Conjectt. i. p. 317. In Sophoclis Trachin. e codicibus restituendum εἴσω est vv. 202. 492. 695. 902. et breviore forma ἔσω certa, ut v. 336. sæpe, et productiore εἴσω, ut v. 869. Vid. etiam Elmsleius ad Eur. Med. v. 88. idemque de ἐς et εἰς in præfat. ad Soph. Œdip. Reg. pag. 12. ed. Lips. adque Eurip. Med. v. 55.

Præter formam ἐχθαίρειν, quæ frequens est et Attica perhibetur, apud tragicos altera extat, ἐχθραίνειν, a Porsone ad Eur. Orest. 292. et ad Medeæ v. 555. tamquam male sonans damnata. Neque equidem nego, vere Atticos fortasse rarius illa usos esse, sed apud tragicos aliquoties reperitur, ut pro corrupta habere eam non liceat. In Ajac. 679. vulgata ἐχθραντέος est, in Antig. 93. ἐχθρανῇ, in Eur. Med. 555. ἐχθραίνων, quæ forma gravior est et a vulgari Atticorum sermone alienior. Quare tragicis non displicuit. Altera tamen reperitur in Ajac. 458. Electr. 1034. Phil. 59. aliisque multis locis, qui ipse hujus formæ frequentissimus usus rariorem illam probare videtur. Neque in prosaici auctoris, multoque minus in poetæ volumina unica forma inferenda

est, ubi duplicem in usu fuisse, neque a singulis auctoribus alterutram improbatam esse grammatica et codices docent. Porso ad Orest. Eurip. 292. jam cum ἰσχναίνειν verbum ἐχθραίνειν comparavit, illud damnans, ἰσχαίνειν contra probans. At removeri formam ἰσχναίνειν non licet, tragicis non inusitatam. Cf. Æsch. Prom. 269. 380. Eumen. 267., etc. Vide Blomfieldum ad Æsch. Prom. 277. Recte etiam Erfurdtus ad Ajac. 1316. defendit ξυνηρετμεῖν contra Lobeckium, ξυνηρετεῖν scribi jubentem. Sic præter οἴχεσθαι invenitur etiam οἰχνεῖν in Soph. Ajac. 564. pluresque duplices formas a tragicis juxta se usurpatas in hac ipsa disputatione et vidimus et videbimus. De ἐχθραίνω et ἐχθαίρω vide etiam quæ Corayus ad Heliodor. 2. p. 292. et Blomfieldus ad Æsch. Prom. l. l. dixerunt.

Quod ipsum videtur esse in formis πλεύμων et πνεύμων, quarum alteram viri docti modo pro veteribus, modo pro recentioribus Atticis, modo pro plebi Atticæ usitata habuerunt, alteram hodie veteri Atticismo et exquisitiori plerique tribuunt. Cf. Porso ad Eur. Orest. 271. Brunckius ad Soph. Trach. 567. Nobis in tam incertis unica auctoritas optimi libri sunt. Quos cum sequamur, utrumque et πλεύμων et πνεύμων tragicos dixisse videmus. Optimi enim libri in Trach. 567. 780. et 1056. ut in Æsch. Choeph. 637. πλεύμων, in Æsch. Sept. cont. Theb. 61. Eurip. Orest. 271. Hercul. Fur. 1093., etc. πνεύμων tuentur. Utraque forma fuit tragicis in usu.

Idem de πράσσω et πράττω aliisque similibus dictum volo, quæ Valckenaerius ad Eur. Phœniss. v. 406. 1388. et alii recentioribus Atticis tribuunt. πράττω in Soph. Antig. v. 564. sed in proximo versu πράσσω, Ajac. 1396. Electr. 1026. Philoct. 1449. Trach. 1158. legitur, ἔλαττον Electr. 998. κρείττων ibidem v. 1465. ἥττων Eur. Hecub. 274., etc. Tamen duplex σ crebrius reperitur quam altera forma, quam Poppo in Elocut. Thucyd. p. 210. et in Farrag. p. 405. suo scriptori prorsus eximit.

Eadem res in formis θαῤῥῶ et θαρσῶ, ἄῤῥην et ἄρσην, licet critici repugnent, Valckenaerius ad Eurip. Phœn. p. 22. Porso ad Eur. Hecub. 8. et ad Phœniss. 54. cf. Œd. Reg. 1062. 1419. Œdip. in Col. 491. cum aliis locis pluribus.

Duplex ρ recentioribus Atticis vulgo tribuitur, ut antea duplex τ, neque illos potissimum ita dixisse negari potest. At sæpe etiam apud pedestres auctores meliorum temporum reperitur. Cf. quæ Poppo in Observatt. Crit. in Thucydidem pag. 147. et in Elocutione Thucydidis pag. 209. exempla contulit, ita ut antea quam putari solet, licet rarius, usurpatas illas formas esse censeam. Similiter in Ajac. v. 1105. ὅλων pro ἁπάντων legitur, qua vi antiquiores Attici usi non sunt. Legas ibi præclaram Hermanni notam.

In Sophoclis Ajac. v. 1031. optimi et plerique libri scripturam ἐγνάπτετ' αἰὲν suppeditant, aliis ἐκνάπτετ' αἰὲν præbentibus, de quibus formis multi viri docti disputaverunt, quos Hermannus in nota illius versus laudavit. Neque ego sententiæ eorum magnopere repugnaverim, qui formam κνάπτειν antiquioris Atticæ linguæ esse dicunt. Sed jam Homerum formis γνάμπτειν, γναμπτὸς aliisque compositis usum esse videmus, unde abjecta litera μ, γνάπτειν, γναπτὸς formantur, quorum diversa quidem significatio est, sed idem etymon. Itaque grammaticorum præceptum perquam dubium, ut sæpe, videtur, ita ut equidem formam γνάπτειν magis Ionicam, κνάπτειν magis Atticam fuisse censeam. Quæ cum ita sint, tragicos Ionica interdum forma usos esse incredibile non est. Neque Eustathii auctoritas haud optimis libris usi, in Sophocleo loco valet. cf. quæ monuit Erfurdtus ad Ajac. v. 129.

Secundum Atticistas γίγνομαι et γιγνώσκω Attici amant, γίνομαι contra et γινώσκω ceteri Græci. Cf. Valckenaerius ad Eur. Phœn. 1396. Brunckius ad Aristoph. Ran. 12. Unde in nostris tragicorum editionibus plenior forma sæpe contra codices illata legitur. At multis exemplis librisque repugnantibus etiam in his sæpe tragici poetæ communem formam prætulisse mihi quidem videntur, ut in Sophoclis Electr. 771. Trachin. 425. 455. 1175. et aliis permultis locis γίνομαι, in Electr. 988. 1330. Phil. 1388., etc. γινώσκω, quamvis literam γ crebrius addi quam omitti negandum non est. cf. Elmsleius ad Eurip. Med. v. 14. Idem in Thucydide fieri docuit Poppo de Elocutione Thucydidis p. 208. et in Farrag. p. 395. sqq.

In formis μικρὸς et σμικρὸς, nisi metrum intercedit, ut in Sophocl. Ajac. 161. et Eurip. Med. 172. ed. Pors., aucto-

ritas manuscriptorum librorum respicienda est. Neque cum Hermanno in Electr. v. 1113. φέροντες αὐτοῦ σμικρὰ λείψανα scripserim, optimis et plurimis libris μικρὰ dantibus.

De formis πλέος et πλέως hoc tenendum, illud communi, hoc Atticæ dialecto esse proprium, tragicosque passim etiam πλέος dixisse, ut Eur. Alcest. v. 730. et Soph. Œdip. in Colon. v. 1162. quamvis hic πλέων in parte librorum reperiatur.

Quod ad terminationem adjectivorum verbalium στος et τος attinet, vide quæ monuit Brunckius ad Antig. 847. Quantum equidem judico, in his primum metrum respiciendum est, tum quænam in singulis adjectivis Attica forma sit, denique quamnam optimi codices tueantur. Etiam in his mere Atticam formam alteri postposuisse tragici videntur, quamvis libri sibi repugnent. In Œd. Reg. 205. et 1315. contra codices versus causa reponenda est forma ἀδάματος, in Ajac. 450. autem ἀδάμαστος θεὰ servandum videtur, ut alias. Difficilior quæstio de formis ἄκλαυστος et ἄκλαυτος, πάγκλαυστος et πάγκλαυτος, metro non intercedente. Sed etiamsi formam in στος non prorsus damnaverim, quæ passim sine varietate scripturæ legitur, ut in Eur. Hecub. 30. et fortasse Soph. Antig. 831: tamen ἄκλαυτος et πάγκλαυτος tamquam rariores formæ tragicis detrahendæ non sunt. Sic in Trachin. 654. Antig. 847. et 876. Œd. in Col. 1708. vulgata est brevior forma. In Œd. Reg. 58. et 396. aliisque locis γνωτὸς reperitur, in ejusdem fabulæ v. 361. γνωστός. In v. 993. θεμιτὸν, quod vulgo legitur, metri causa in θεμιστὸν mutandum est, quippe quæ simplicissima correctio videatur. Ceterum antiqui libri sæpe utramque formam præbent, nec raro difficile fit judicium, ut in Electr. 123. Vid. etiam Reisigius in Commentationibus Criticis Œdipi Colonei v. 1564.

Codicum auctoritas respicienda quoque est in formis ἀνύειν et ἀνύτειν, quæ ipsa Attica perhibetur, de quibusque Porso ad Eur. Phœn. 463. atque ad Hecub. 1157. egit, male probans ἀνύτειν, quod apud tragicos non reperitur, maleque ab Elmsleio aliisque tragicis infertur. Cf. Hermannus ad Soph. Electr. v. 1443. Neque Thucydidi as-

perum spiritum hujus verbi usitatum fuisse docet Poppo in Elocutione hujus scriptoris, p. 214. Huc pertinet, quod Elmsleius ad Œd. Reg. 402. scribi jussit ibid. v. 1425.

Ἅγος pro ἄγος, repugnantibus libris et Antig. 775. ante quem Brunckius aliique, ut Schæferus ad Gregor. Corinth. p. 546. ἁγηλατήσειν in Œd. Reg. 402. invitis plurimis codicibus probant, Eustathii auctoritate nisi, qui ad Odyss. λ. p. 1704. dicit: τὸ ἁγηλατεῖν παρὰ Σοφοκλεῖ· ἐκεῖνο μέντοι καὶ δασύνεται παρὰ τὸ ἅγος. At primum Eustathius, qui teste Erfurdto ad Ajac. 129. haud optimis manuscriptis usus est, hic inspexit unum eorum qui ἁγηλατήσειν exhibebant, unde notam suam hausit. Deinde deducendum ab ἄγος, quam formam Sophocleam esse paullo ante diximus. Tum alia composita ἀγηλάζω, ἀγηλατίζω, ἀγήλατος non aliter nisi leni spiritu notantur. Neque postremum Sophocli spiritus asper in talibus placuisse videtur, ut in ἀνύειν vidimus. Idem Elmsleius in Œd. Reg. 144. ἁθροίζω et v. 690. ἁλύω scripsit, quæ quisque statim rejiciet. Recte autem ἕρδειν et scribitur et scribendum est, ut Britannus probavit ad Eurip. Med. v. 1269. Plura ad Soph. Œdip. Col. v. 1074. ed. Brunck. afferentur.

De spiritu dubitatur etiam in αὔτως et αὕτως, quorum illud Hermannus ad Viger. p. 736. Homericum esse ait, hoc, nisi forte grammaticorum inventum sit, Atticum. Idem in Ajac. v. 1179. edidit αὕτως, quo modo scripsisse tragicos censet, ut ex nota ejus ad Vigerum apparet. At Homerici libri αὔτως exhibent ut tragicorum, neque est quod hoc abjudicemus Homero, qui pronomine οὗτος, αὕτη, τοῦτο utatur, e cujus masculino οὕτως, e feminino contra normam αὔτως formatum esse significatus et grammaticorum testimonia docent. cf. Schol. ad Ajac. 1168. ed. Erfurdt. Altera forma fuisse videtur αὔτως, ab αὐτὸς formata, non multum diversa significatione, ut nos a pronomine ‘dieser’ dictionem ‘auf diese Art,’ a pronomine ‘selbst’ dictionem ‘auf selbige Art,’ utrumque eadem fere potestate deducimus. Sed tragicos quod attinet, scriptura αὔτως, ut jam diximus, in codicibus reperitur, neque cur in αὕτως mutemus ulla est ratio. id quod nobis sufficiat. Alii de altera forma αὔτως amplius quærant. Vid. etiam Elmsleium ad Eur. Med. v. 313.

Rariores formæ in senariis tragicorum haud raro reperiuntur. Huc singula multa referri possunt, ut *ἡσυχώτερος* comparativus in Sophoclis Antig. v. 1089. quam formam Atticis abjudicant Atticistæ. cf. Schaeferus ad h. l. Attamen mutanda non est, quam et analogia defendat et Plato in Charm. p. 160. a. adhibeat. Insolenter Sophocles etiam superlativo *φίλιστος* in Ajac. 842. insolenter aoristo secundo *κρυφεὶς*, de qua forma cf. Hermannus ad Ajac. 1124. quique ibi laudatur Elmsleius, insolenter aliis multis usus est. Neque ceteris tragicis talia aliena sunt.

Epicis poetis cum semet adjungerent tragici, ex illorum et Ionicorum sermone desumsere multa, quæ partim probata a criticis sunt, partim tamquam falsa rejecta. Quorum ad illa referenda maxime sunt, quæ Porso in præfatione ad Eur. Hecub. p. 12. collegit, *ξεῖνος*, (de quo cf. Valckenaerius ad Eurip. Phœniss. v. 285.) *μοῦνος*, *γούνατα*, *κοῦρος*, *δουρὶ*, satis usitata, ut exempla afferre supersedere liceat, non repudiatis tamen communibus formis *ξένος*, *μόνος*, *γόνατα*, *κόρος*, *δορί*. Adde *οὔνομα* Phil. v. 251. cf. Marklandus ad Eurip. Iph. in Taur. v. 36. Huc porro referenda sunt *αἰετὸς* pro *ἀετὸς*, *καίω* pro *κάω*, *κλαίω* pro *κλάω*, *ἐλαία* pro *ἐλάα*, quorum Porso in præfat. ad Hecub. p. 4. Atticam scripturam præfert, Hermanno in præf. ad Ajac. p. 18. optimo jure adversante. cujus verba integra communicabimus, cum veluti ex animo nostro scripta sint: Omninoque valde improbo exilem illorum diligentiam, qui non reputantes, et hodie et omni tempore multa et esse et fuisse in formis verborum, quæ ex scriptoris sensu atque arbitrio penderent, nescio quid magnum egisse sibi videntur, si totos scriptores ad hujusmodi præcepta immutaverint: quæ unde tandem accepta sunt, nisi a grammaticis, iisque sæpe et recentissimis et minime accuratis, et quod summum est, si quid dialecto cuipiam attribuunt, non id semper contendentibus et ubique et quavis conditione usurpari, sed sæpe nihil nisi aut rara quædam, aut vulgari usu trita commemorantibus. Ita falli puto, qui quod *κάειν*, *κλάειν*, *ἀετός* Attica esse accepimus, continuo tragicis hæc obtrudenda esse existimant. Est hæc, si verum fateri volumus, temeritas quædam, propria adolescentiæ: quam deponi jam tempus

est, ex quo virilem ætatem ingressa est litterarum Græcarum scientia. Quam allaborandum est, ne relabi ad obscuram illam doctrinam patiamur, quæ regularum, quarum causas non perspicias, cæca dominatione continetur. Talia præclare Hermannus, cujus sententiæ utinam omnes tragicorum futuri editores accedant. Ceterum κλαίω tragicis (Æsch. Sept. 641. 1037. 1046.) κλάω comicis et Atheniensium sermoni usitatius fuit.

Cognatæ sunt his formæ αἰεὶ, αἰὲν, ἀεὶ, quæ editoribus ac criticis magnas turbas cierunt. Grammaticis formam ἀεὶ pro Attica vendentibus Porso in præf. ad Eur. Hecub. p. 4. se ipsum semper sine diphthongo scripsisse dicit. Quod recte improbavit Hermannus in præfat. ejusdem fabulæ p. 21 sq., etiam ἀεὶ poetis Atticis tribuens. Ex nostra quidem observatione formæ αἰεὶ et αἰὲν melicis potissimum atque choricis carminibus conveniunt, ἀεὶ senariis, licet, ut omnino multi Ionisimi et Dorisimi in dialogo reperiuntur, αἰεὶ et αἰὲν passim, neque tamen frequentissime, in trimetris, (Soph. Trachin. 16. 325. etc.) atque ἀεὶ in melicis (ibid. v. 104. et 498.) lectorum oculis se proponant. Prosodiam formæ ἀεὶ quod attinet, Porso in præfatione ad Hecub. p. 16 sq. defendit se contra Hermannum, qui in sua hujus fabulæ præfat. p. 22 sq. utramque syllabam adverbii ἀεὶ produci licere negaverat. Et recte quidem interdum productam esse pænultimam statuendum est, quod ipse postea concessit doctissimus Germanus in præfat. ad Eur. Hercul. Furent. p. 3 sq. Exempla haud rara quæsitu, quamvis multa cum varietate scripturæ. De forma αἰεὶ apud Sophoclem consulendus est Elmsleius in præfat. ad Œdip. Reg. p. 11. ed. Lips.

De formis πολλὸς, μέσσος adeas Erfurdtum ad Soph. Antig. 86. ed. min. Huc referendum ἔσσομαι in Electr. 818. quod ipse Aristophanes in Pacis v. 187. sibi indulsit, ubi Mercurius loquitur. Eadem forma fortasse restituenda in Œd. Col. 1118. pro vulgata scriptura καὶ σοί τε τοὔργον τοὐμὸν ἔσται βραχὺ, quæ metrum non explet.

Porro in senariis poeticæ formæ ἀπαὶ, διαὶ, ὑπαὶ, etc. conceduntur. Ita Æsch. Agam. 894. 946. Sophocl. Electr. 711. Antig. 1035. Reperitur ἐνὶ in Trachin. 7. et passim.

ut εἰν pro ἐν in Antig. v. 1241. Vid. Osannus in Analect. Critt. p. 103. Lobeckius ad Ajac. v. 614. Sic εἰνάλιος quoque servandum duco in Eur. Hecub 39. ut per synizesin trisyllabum sit, Dawesio in Miscellan. Critt. p. 196. et Porsone ad Euripidis locum ἐνάλιος scribentibus. Eadem res in Eurip. Phœniss. 6. ubi legas Valckenaerii notam, pluribusque aliis locis. In Sophocl. Ajac. 565. vulgata ἐνάλιος est.

De diæresi in iambicis trimetris disputavit Lobeckius ad Ajac. p. 287. fin. Talis est in vocabulo ἐλεεινὸς, sæpe apud tragicos lecto in optimis codicibus, ut non in melicis tantum carminibus, sed etiam in dialogo probanda sit. Et quamvis Porso in præfatione ad Eurip. Hecub. p. 7. ἐλεεινὸς Atticum esse negat, utrum jure an injuria alii videant, tamen certe Platonicum et tragicum est, a tragicisque poetis ex epica et Ionica dialecto translatum. Exceptis a Porsone ibidem collatis exemplis reperitur in Sophocl. Œd. Reg. v. 672. Trach. 528. Phil. 870. neque inepte Schaeferus in nota ad Porsonis verba formas πετεεινὸς et πετεινὸς comparavit. Ne tamen quis in metro hæreat, consideret velim, trisyllabam hanc vocem pronuntiandam, et perquam amatam in talibus synizesin esse tragicis, quæ omnino frequentior est, quam vulgo putant metrici. Qua de re infra plura proferamus.

Epicorum more etiam augmentum omiserunt tragici in describendis gravioribus rebus, præcipue in nuntiorum orationibus, quæ fabularum partes ἀγγελικαὶ ῥήσεις vocantur. Id quod Seidlerus præclare observavit, et Reisigius in Conjectaneis in Aristophan. p. 78 sqq., ad Œd. 1499. Cf. Hermannus in præfat. ad Hecub. p. 27 sqq., atque in Elementis Doctr. Metr. p. 52. et 121.

Quæ apud epicos poetas frequentissima est dativi pluralis in prima secundaque declinatione terminatio σι et σιν, a tragicis tam sæpe recepta est, ut hujus usus exempla omittere liceret. Quod ipsum de articulo valet, relativi vicem tenente. Cf. tamen Matthiæ Græc. Gramm. §. 291. Sæpe etiam νὶν pro αὐτὸν, etc. inveniri notum est. Omnino Sophocles multas Ionicas formas semel modo, bis, terve

senariis recepit, ut falsæ corruptæque scripturæ suspicio oriri posset. Cui tamen obstat et auctoritas codicum, et qua aliud alio defenditur, copia ejusmodi formarum, quales sunt in Ajac. 730. κουλεῶν, in Electr. 691. πεντάεθλα, Trach. 495. κεινὸν pro κενὸν, Phil. 286. βαιῇ pro βαιᾷ, Æsch. Sept. 62. νηὸς pro νεὼς, Æsch. Pers. 424. τοὶ δὲ pro οἱ δὲ, Soph. Trach. 388. μὶν, in Electr. 21. ἐμὲν, in Ajac. 679. et Trach. 24. ἤμην, Œd. Reg. 1182. ἐξίκοι, in Trachin. 904. ἀντοίῃ, Eur. Electr. 593. ἤλυθον pro ἦλθον, cum Seidleri nota ad hunc locum et Elmsleii ad Eur. Med. 1077. in Soph. Electr. 757. κήαντες, in Æsch. Choeph. 678. κίεις, Soph. Phil. 494. ἵκμενος pro ἱκόμενος per syncopen, Electr. 1141. ξένῃσι, cujus formæ exempla vide apud Elmsleium ad Med. v. 466. et Valckenaerium ad Hippol. v. 1432. et multa alia.

Neque Doricæ formæ a tragicorum senariis prorsus exclusæ sunt, quarum alias editores probaverunt, alias improbaverunt. Sed in his quoque veterum librorum magna mihi fides est, qui maxime idonei testes esse, quorumque auctoritas, in aliis magni æstimanda, in formis quoque constituendis magnum pondus habere videntur. Concessæ sunt dialogo formæ Ἀθάνα, δαρὸς, ἕκατι, ἑκαβόλος, κυναγὸς, (in Ajac. v. 5. tamen κυνηγετοῦντα, ibid. 37. κυνηγίαις, ut in Eur. Bacch. v. 339.) ποδαγὸς, λοχαγὸς, ξυναγὸς, ὀπαδός. Cf. Porso ad Eurip. Orest. 26. Valckenaerius ad Phœniss. 11. 1113. 1149. et ad Hippol. 1092. Marklandus ad Eurip. Suppl. v. 420. atque Buttmannus in Prolix. Græc. Gramm. p. 101. De ἄραρε vide Valckenaerium ad Hippol. v. 1090. Porsonem ad Eur. Orest. 1323. Elmsleium ad Eurip. Med. v. 316. Præ ceteris Æschylus Doricas formas, quas dum in Sicilia degeret, didicerat, (Athenæo teste ix. p. 402 c. Αἰσχύλος διατρίψας ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς) etiam in iambicis trimetris amat, ut in Choeph. 95. 162. γαπότους χοὰς, Suppl. 614. τῶνδε γαμόρων, Choeph. 569. βαλὸν, ubi tamen alii libri βηλὸν præbent, 770. γαθούσῃ φρενὶ, 1015. νίκας τῆσδε aliaque plura. Nec fortasse forma μάτηρ e senariis prorsus removenda est, de qua cf. Antig. 467. Eurip. Hecub. 376. alia.

Passim ipsi Æolismi dialogo immixti leguntur, qualis

est πεδάρσιος pro μετάρσιος in Æsch. Prom. 711. Choeph. 843. aliisque locis. Vid. Valckenaerius ad Phœniss. v. 1034. Musgravius ad Eur. Electr. 625.

Jam quid de 'hiatus' vitandi ratione apud tragicos statuam, difficillima re, exponere conabor. Atque ut consonantes literæ juxta se collocatæ reperiantur, ita etiam vocales concurrere in confinio vocabulorum, idque in Ionica dialecto quodammodo quæri, in Attica contra et elisione, et crasi, et litera ν paragogica sedulo evitari omnibus notum est: quamvis huic ipsi literæ alius ab initio usus fuisse videtur, de qua re disputatum est a Buttmanno in Ampl. Græc. Gramm. p. 93 sq. Neque est, quod de 'contractione' vocalium in mediis verbis conjunctarum, sive 'synæresi,' re certiore, dicatur. Primum autem videamus de 'elisione,' quæ Græcis θλίψις vocatur. Quippe potest hiatus vitari elisa altera vocali vel diphthongo ita, ut altera intacta et integra maneat: quod ubi fit in initio vocis post alteram vocalem vel diphthongum, 'prodelisionem' sive πρόθλιψιν, ubi in fine ante alteram, 'postelisionem' sive ἐπίθλιψιν, perspicuitatis ac brevitatis causa velim nomines. Utroque modo duplex verbum in unum conjungitur, quo non 'vere' sed 'quasi unum' fiat, ut recte docuit Wolfius in Analectorum Literar. i. 2. p. 440. Idem pagina proxima verissime monet, ex illa conjunctione intelligi, cur verba παλαί' ἔπη, ἅρπυι' ἀνήρπασεν Atticis poetis non magis fecerint hiatum, quam ipsæ mediæ syllabæ in δίκαιος, ἅρπυια, omninoque cur Græcis non tam displicuerint δάκρυ' ἀναπρήσας, δμῶ' ἐμὸν, quam δάκρυ ἀναπρήσας et δμῶ ἐμόν. Utraque nimirum vox pro una est. Itaque particulæ frequenter repetitæ et faciles agnitu, imprimis præpositiones conjunctim cum nominibus et verbis scribuntur (v. c. ἐπέρχομαι non ἐπ' ἔρχομαι). Sic etiam alia, quæ unam notionem efficiunt vocabula in uno consociantur, ut δεχημέριος. in aliis modo coagmentantur voces, modo in duas partes separantur, cum parti Græcorum duplex, parti una inesse visa esset notio. Talia sunt διὸ et δι' ὃ, καθόλου et καθ' ὅλου, alia. Huc referenda, quæ Wolfius in Analectorum p. 433. collegit. Vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 43. not. Hoc genus non immerito 'hemicrasis' vocandum esse videtur. Signum eli-

sionis apostrophus est, qui locum elisæ vocalis tenet et in conjunctim scripta duplici voce recte ideo negligitur, quod jam non duo sint vocabula, sed unum, facileque partes cognoscantur.

'Prodelisionem,' ab aliis 'aphæresin' male dictam, quippe quæ apocopæ (ἆρ, πὰρ, ἂν, etc.) respondens, ut in ἦν ἦ, vel φῆν φῆ, aliis, (cf. Gregorius Corinthius p. 456. et excerpta e cod. Parisino p. 675 sq. edit. Schaeferi) apostropho careat nec necessario vocalem literam sequatur, improbarunt quidam, ut nuper Buttmannus in Grammat. p. 128. Et recte quidem negatur ita, ut brevem vocalem literam excipiat elisio: tunc enim postelisio adhiberi solet, ut scimus usu. Sed præcedente longa vocali vel diphthongo, quæ brevem vocalem superant, hæc optimo jure elidenda est et eliditur, neve talia ad crasin potius trahas invitis veteribus monumentis. Neque vir ille doctus legem suam in sua Philoctetæ editione observavit, qui v. 467. πλοῦν μὴ 'ξ ἀπόπτου μᾶλλον ἢ 'γγύθεν σκοπεῖν, v. 479. ἐὰν μόλω 'γὼ, 591. λέγω· 'πὶ τοῦτον, etc. ediderit. Legem vero hanc statuas: prodelisionem brevis vocalis, plerumque literæ ε, rarius literarum α et ο, post præcedentem longam, vel diphthongum gravem, tunc esse justam, ubi crasis, quæ in quibusdam modo voculis conceditur, stare nequeat. Itaque probanda sunt μὴ 'ξεγερεῖς Trach. 978. μὴ 'πιμεῖναι ibid. 1176. cf. Ajac. 586. 742. 1067. 1400. alia. Porro ἢ 'ν Ajac. 1315. ἢ 'μαυτῷ 1367. ἢ 'φάνην 739. δὴ 'ντεῦθεν vel δὴ 'νταῦθα Aristoph. Nub. 62. σωφροσύνη 'νενόμιστο ibid. 961. χρῆ 'σται Œd. Col. 503. i. e. χρέεα (χρέᾱ, χρῆ, ut Ἡρακλέεα, κλέᾱ κλῆ) ἔσται. Vid. ibid. scholiastes, qui tamen parum recte ἀντὶ τοῦ χρεία ἔσται dictum esse vult. Tunc οἴου 'τράφης Ajac. 557. ἐξ οὗ 'κράτησα 1337. πάππου 'τιθέμην, Arist. Nub. 65. σαυτοῦ 'γὼ 385. αὑτοῦ 'ποίησα 1394. Sic ζητῶ 'ξαπατᾷν ibid. 542. καλῶ 'γὼ 668. 'Απόλλω 'γὼ 729. ἐξελῶ 'κ 799. κελεύσω 'γὼ 1234. cf. Œd. Reg. 232. 794. Ajac. 288. 535., etc. εἰ μή τῳ 'πεποίθειν Nub. 1351. ἔξω 'ξενεγκεῖν 1392. Ceterum alia multa. vid. etiam Lobeckius ad Ajac. v. 1089. Seidlerus de Verss. Dochmiacis p. 406. cll. p. 12. et 403. Elisæ literæ α exempla hæc habeas: ἢ 'πὸ Trach. 239. μὴ 'ποδώσεις Nub. 1280. μου 'φέλῃς Phil. 933. μακροῦ 'ποπαύσω Eur. Suppl. 688. τύχῃ

'γαθῇ, aliaque. vocalis ο post articulum elisæ paullo infra fiat mentio.

A breve in initio vocum post μὴ modo per prodelisionem abjicitur, modo majoris perspicuitatis causa per synecphonesin plene scribitur, ita ut utraque ratio in usu antiquis fuisse videatur. Sic modo μὴ 'λλὰ modo μὴ ἀλλὰ picta offendes, ut in Æsch. Choeph. 910. Aristoph. Acharn. 465. Cf. Elmsleius ad Eur. Heraclid. 460. Œd. Reg. 1388. Eur. Bacch. v. 1070. in suo Review of Hermann's Supplices, p. 249. edit. Lips., ad Med. 35. Brunckius ad Philoct. 782. Ceterum cum, ut infra exponemus, propria synecphonesis longis tantum vocalibus et diphthongis sit; si constantiam quamdam scribendi observare velis, per prodelisionem illa scribenda sunt.

Parum communis est regula, articulum numquàm elidi, sed ubique cum proxima aut vocali aut diphthongo facere crasin. Quæ opinio fuit causa multorum erratorum. Non enim omnia ad unam normam reduci possunt, cum præsertim plurima ejusmodi tempore et vulgi inconstantia profecta formataque sint, non e disciplina philosophorum ac grammaticorum.

Atque ubi articuli vocalis litera gravitate vincit proxime sequentem, si excipias vocales ου et ω ante α, quæ non nisi crasi consociantur, meo quidem judicio et prodelisio et crasis adhiberi poterat atque vere adhibita est. Itaque etsi plerumque scripta reperiuntur ἡ 'μὴ Nub. 987. ἡ 'πίκτησις Phil. 1344. ἡ 'ξειργασμένη Brunck ad Antig. 384. ἡ 'μπειρία Phœn. 532. ἡ 'υλάβεια Œd. Col. 116. cf. Valcken. ad Phœniss. 407. Porso ad Eur. Orest. 774.: tamen etiam per crasin ea notari possunt ἡ' μὴ, ἡ' πίκτησις, etc., atque ἧ ξοδος, cujus loco etiam ἥ' ξοδος crasin ponere liceret, non nisi perspicuitatis causa ita notatur. Porro legitur τοῦ 'μοῦ, τοῦ 'πιόντος Œd. Reg. 393. Col. 752. τῷ 'μῷ, τῷ 'πιόντι Œd. Col. 1532., τῇ 'μῇ, τῇ 'μαυτοῦ Œd. Reg. 995. Quæ ut in crasin coagmententur et dativi quidem articulus iota subscripto privetur, pugnat Elmsleius in præfat. ad Œd. Reg. p. 10. non ubique repugnantibus veteribus libris. De scriptura τοῦ 'λυμπίου, τοῦ 'ῤῥοπυγίου, τοῦ 'βολοῦ, τὼ 'φθαλμὼ (Nub. 362. 411.), τὼ 'νόματε (ibid. 394.) vid. Reisigii Syntagm. Crit. p.

28 sq. Sic judicanda sunt οἱ 'μοὶ et οὑμοὶ Eur. Hecub. 338. Phœn. 641. Aristoph. Nub. 214. etc., quorum hoc probat Elmsleius in præfatione illa, p. 11. Neque aliter οἱ 'ν et οὑν in Eur. Med. 815. ubi adeas Elmsleium, οἱ 'πιχώριοι et οὑπιχώριοι in Œd. Reg. 939. 1046. αἱ 'μαὶ in Aristoph. Ran. 1076. αἱ 'πιχώριοι Eur. Ion. 1111. Vide eumdem virum doctum in præfat. illa p. 11. Neque damnandum duco ἡ 'ρετὴ in Ajac. 1357. Eur. Suppl. 606. ἡ 'λήθει' ἀεὶ Antig. 1195. Eur. Phœn 929. ἡ 'νοια ex Sophocl. Terei fragm. apud Stobæ. Floril. tit. lxviii. p. 283. v. 5. apud Æschylum in Sept. 387. χἠ 'γχουσα i. e. καὶ ἡ ἄγχουσα Aristoph. Lysistr. 48. aliaque, quæ in codicibus aliis et veteribus editionibus per synecphonesin scribuntur. cf. Brunck. ad Phil. 782. Crasis ἁ'ρετὴ vel ἡ'ρετὴ perquam incerta est, nec tamen fortasse prorsus fuit extra usum. Idem de τῇ 'γαθῇ, τῇ 'γορᾷ et talibus statuendum est, quæ varie scribuntur. Vid. Reisigii Syntag. Crit. p. 27 sq. Eadem res in οἱ 'γαθοὶ Philoct. 873. Eur. Hecub. 1216. etc. aliisque similibus, crasi ἁ'γαθοὶ tragicis insolita. Etiam Wolfius in Analectt. Literar. p. 458. hanc crasin his verbis improbat: hodie factum nollem, ac si nunc fabulas edendas haberem, imitarer potius scribentes οἱ 'γαθοί. In omnibus jam commemoratis elisio solemnior fuisse videtur crasi, neutra prorsus improbanda. vid. Porso ad Eur. Hecub. 338. Dubitaverunt enim veteres, utrum merus esset articulus, an ex articulo aliaque vocali mixta vocalis vel diphthongus.

Huc etiam pertinent ὦ 'ναξ, ὦ 'νερ, ὦ 'νθρωπε, ὦ 'γαθὲ, ὦ 'βολοττάται Aristoph. Nub. 1158. quorum illa plerumque duplici accentu notantur: ὦ 'ναξ, ὦ 'νερ, ὦ 'νθρωπε, non male, ut infra docere studebimus, quamvis aliter visum sit Wolfio in Analectt. Literar. i. 2. p. 444. Crasis ὦναξ, ὦνθρωπε ac ceterorum in manuscriptis quidem libris non reperitur. Huc referendum etiam illud ὦ 'τὰν, ὦ 'ἴα, de quo Reisigius egit in Syntagm. Crit. p. 18 sq., aliaque. De ᾧ 'ζυρὲ in Aristoph. Nub. 651. et ᾧ 'ζυρὰ in Lysistr. 948. quæ veræ craseos causa ᾦ' ζυρὲ, ᾦ' ζυρὰ, vel ᾦζυρὲ, ᾦζυρὰ scribenda sint, vid. Reisigius ibidem p. 28 sq. Duplex accentus grammaticorum studio ac diligentiæ debetur, ut partes compo-

siti magis discernantur curantium. Neque fortasse prorsus rejiciendus est.

Transeamus ad postpositivum articulum, qui plerumque crasin patitur, ut præpositivus. Vid. Elmsleius in præfat. Œdipi Reg. p. 11. ubi ἁ'τεχνησάμην ex Trach. 534. ἁ' ξήκουσεν ex Philoct. 378. aliaque multa addi liceret. De ἅ' παθον, ἁ' γὼ consulas Brunckium ad Œdip. in Col. 1196. de ἁ'μαὶ eumdem ad Antig. 734. Hic quæramus de crasi vocularum ἃ ἂν, quæ minus accurate ἅ'ν i. e. ἃ ἐν, et in continua oratione ἅ'ν scriberentur. Pingas ἃ ̓ν, quæ scriptura non est contra bonam logicam, cum producto alpha attributum tribuatur tenor. Sic scribitur Œd. in Col. 13. Philoct. 1276. Œd. Reg. 580. Ajac. 1085. Aristoph. Nub. 88. alias. Vide Brunckium ad Soph. Electr. 943. Neque tamen excluditur suo loco elisio, ut v. c. Œdip. Reg. v. 1504. ὣ 'φυτεύσαμεν. Ibidem, v. 1231. extat scriptura αἳ ̓ν pro αἳ ἂν, et recte quidem, cum αἳ 'ν constaret ex αἳ ἐν. Crasis foret ᾅ'ν, quæ tamen insolita.

His accedant pronomina ἐμοὶ, σοὶ cum encliticis, quæ ipsa et crasin et elisionem faciunt. Et de crasi quidem vid. Elmsleius ad Eurip. Med. 56. 801. et in præfat. ad Œdip. Reg. p. 10. Koenius ad Gregor. Corinth. p. 148 sq. ed. Schaeferi. Cf. etiam Æsch. Choeph. 119. μοὔστί. Elisionis exempla hæc observes, Ajac. 1225. Philoct. 815. Eur. Iphig. in Aul. 829. ubi μοι 'στὶ et ἐμοί 'στι legitur.

Quæritur an cum Porsone in addendis ad Eurip. Med. 722. p. 507. edit. Lips. alt. πειράσομαι 'γὼ, αἰρήσομαι 'γὼ probanda sint. Vid. Wolfii Analectt. p. 455 sq. Equidem certe vereor, ut non dubitatum hujus elisionis apud tragicos reperiatur exemplum, qui pro brevi habitam vixque auditam diphthongum αι in verborum quidem terminationibus, cujus ipsius rei indicium accentuum doctrina facit, epicorum more (vid. Thierschii Græc. Gramm. §. 164. 2. et quos ibi laudat viros doctos) elidere soleant, qua re nihil ambiguitatis existit. Adeas Wolfii Analectt. p. 454. et Reisigii Syntagma Crit. p. 31 sq., collato Brunckio ad Aristoph. Thesmoph. 217. 916. Nub. 988. Lobeckio de Usu Apostrophi §. 3. et ad Ajac. v. 191., quidvis contradicat Erfurdtus ad eumdem Ajacis locum, cujus exemplis minore

ex parte corrigendis, ex Œdip. in Colon. 844. adjungas ἀφέλκομ' ὦ δύστηνος, ubi unus idemque malæ notæ codex T. ἀφέλκομαι δύστηνος exhibet. Præterea scito, perfecti passivi elisi ob ipsam hujus temporis raritatem certum exemplum notum non esse, neque ante alias breves vocales, quam α et ε elisam esse αι in quibusdam verborum terminationibus. Fortasse comici in hac elisione majores quasdam licentias sibi indulserunt. Sed hæc ad postelisionem pertinebant.

Voculas procliticas ἐς, ἐν, ἐκ tunc demum elidi posse affirmat Reisigius in Syntagm. Crit. p. 24 sqq., cum antecedens vocabulum monosyllabum sit, aut cum extremam pluribus syllabis constantis vocis accentus intendat: non enim barytonon quamvis producta ultima tantum valere, ut quasi refugientem voculam attrahat. Cujus rei argumentum non perspicio, quamvis verum sit, illas conditiones plerumque cum hac elisione esse conjunctas. In Æschyli tamen Prometh. v. 741. legitur μηδέ πω 'ν vel μηδέπω 'ν, quod utrumque barytoni instar est, cum πω quasi partem præcedentis vocis efficiat, et in Soph. Œdip. Reg. 970. omnes libri in scriptura εἴη 'ξ ἐμοῦ congruant.

Considerandus quoque accentus est elisæ vocalis. Atque cum epicorum more in narrationibus tragicorum augmentum ex verissima Seidleri observatione sæpe omittatur, etiam hic factum velim, plerumque non adversantibus antiquis libris. Ergo typis excudendum ἐγὼ κτάνον Œd. Reg. 844. δώρημα κείνῳ δῶκεν Ajac. 1303. ἐρήμη, κλαῖε Trach. v. 905. etc. Vide hac de re supra dicta. Cetera omnia non satis recte aut per synecphonesin scribenda, quæ longis vocalibus et diphthongis propria sit, ut Œdip. Reg. 893. βέλη ἔρξεται: aut cum Reisigio in Syntagm. Crit. p. 29. ἐγὼ 'φρασα, ἐγὼ 'λεγον, μὴ 'ξω, ἐγὼ 'ζων, δὴ 'γνων, μὴ 'ρπῃς, μὴ 'χοιμι, in quibus tamen quomodo gravis regere proximam vocem possit, quaque ratione ultima pro encliticis habenda sint, non intelligo: aut ἐγώ' φρασα, μή 'ξω etc., quæ ratio naturæ elisionis repugnat, ex qua nihil in superstite vocali mutetur: aut denique ἐγὤφρασα, μὔξω, etc., ex parte quidem contra craseos leges, certis finibus circumscriptæ. Itaque nihil restat, quam ex grammaticorum sententia (vid. Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. p. 117. fin.) et veteribus libris pin-

gere ἐγὼ ''φρασα, ἐγὼ ''λεγον, μὴ ''ξω, ἐγὼ ''ζων, δὴ ''γνων, μὴ ''ρπῃς (Phil. 985.), μὴ ''χοιμι et talia, (cf. Valckenaerius ad Phœniss. v. 408.) Idem in ὦ ''ναξ, ὦ ''νθρωπε aliisque fieri supra est monitum. Hæc enim ratio juvat perspicuitatem, qua partes compositi clarius animadvertantur, neque tollit leges elisionis, cum quod mutatur, non elisione fiat, te non scribente ἐγώ 'φρασα etc., sed pronuntiationis necessitate conjunctorum vocabulorum. Neque violatur logica, cum acutus non elisæ vocali conveniat, sed ad immutatam retrahi pronuntiandi lege jubeatur. Aliud refugium vix puto invenietur. Neque alia fuisse Hermanni sententia videtur, ad Trachin. 900. certe excusationem habere talia concedentis.

Superest ut moneam, ne interpunctione quidem interposita deleri prodelisionem, qua de re disputavit Reisigius in Syntagm. Crit. p. 30. Eodem modo manet, quod statim adjiciam, etiam postelisio. vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 44. not. 3.

Insolita elisio reperitur in Œdip. Reg. 1052. ubi in plurimis optimisque libris est καὶ 'μάτευες, quæ tamen cum Brunckio aliisque fortasse in κἀμάτευες corrigenda est. Sic in Eurip. Suppl. 766. καὶ 'κάλυψε vulgo scribitur.

Elisionis utriusque expertes esse solent interjectiones, unde οἲ 'γώ, quod Hermannus in præfat. ad Eur. Hecub. p. 55. commendat, in optimis veteribus libris legitur scriptum οἲ ἐγώ, neque injuria defenditur a Brunckio ad Soph. Electr. 674. In ejusmodi enim epiphonematibus celeris pronuntiationis ergo hiatus conceditur. Vide quæ optime disputavit Marklandus ad Eur. Suppl. v. 109. Huc referas ex Soph. Œd. in Col. 1670. φεῦ, ἔστιν. De his aliisque adeas Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. p. 113. et Hermanni Elemm. Doctrin. Metricæ p. 49 sqq. Neque crasi vel elisione opus est in melicis. quocirca καὶ ὅπως anapæstus est in Trachin. 499. temere a Brunckio in χὤπως mutatus. Vid. Bothius ad Sophocl. Philoct. 1165.

De 'postelisione' hæc valet lex, brevem vocalem in fine vocis elidi ante alteram brevem in initio, cum ille minus cadat in aures quam hoc, quo vox surgere soleat. Tum demum, ubi ponderosa monophthongus vel diphthongus in

fine brevem initii superat, prodelisionis locum esse vidimus. Cum igitur termini postelisionis certiores sint, jam de ambiguis quibusdam agamus.

Et primum quidem iota dativi singularis apud tragicos elidi posse negatum est a Lobeckio ad Ajac. p. 340 sqq., Elmsleio ad Heraclid. v. 693. : affirmatum a Porsone in præfat. ad Hecub. p. 24. ad Orest. 584. Schaefero ad Œd. in Col. 1436. Hermanno ad Hecub. v. 892. Reisigio in Commentationibus Criticis Œdipi Colonei v. 1431. Vide etiam Dindorfii indicem Heraclidarum Elmsleii sub litera ι. Mihi quidem persuasum est, etsi plura exempla non dativum, sed accusativum contineant, tamen cetera omnia corrigere maxime esse temerarium, neque intelligi, cur tragici prorsus ab illa elisione abstinuerint, cum epicos haberent magistros (vid. Thierschii Græc. Gramm. §. 164. 6.). Neque tamen rarius hac elisione usos esse negandum est, nec sine addito altero dativo, quo ille intelligatur, et ambiguitas evitetur.

Transeamus ad elisionem diphthongi, cujus certi fines sunt Et de elisione diphthongi αι, quatenus tragicis in usu fuerit, jam supra in prodelisione verba fecimus. Restat ut de elidendo οι pauca adjiciamus. Dubitaverunt enim viri quidam docti, an μοὶ et σοὶ ante brevem vocalem elidi possent: neque est quod hæreas, dummodo rem ita restringas, ut fecit Buttmannus in Ampl. Græc. Gramm. p. 128. not. 6. Parum tamen aptum illud exemplum videtur, quo Osannus noster in libello de Sophoclis Ajace p. 102 sq. istam elisionem probare studuit : in illo enim, ex Ajac. v. 112. desumto, χαίρειν 'Αθάνα τἆλλ' ἐγὼ σ' ἐφίεμαι, pronomen σ' accusativus est, non dativus, quamvis verbum ἐφίεσθαι cum tertio casu construatur, atque referenda hæc verba sunt ad phrases χαίρειν τινὰ—κελεύειν, εἰπεῖν, λέγειν, ἐᾷν, in quibus accusativus dativo usitatior. cf. Matthiæ Græc. Gramm. §. 410. not. 2. p. 559. Hermannus ad Viger. p. 766. Rarior tamen illa elisio ambiguitatis causa est, nec nisi Sophocl. Ajac. 191. et Eurip. Androm. 427. certiora tragicorum adhuc nota exempla sunt. Quamvis non vitatur, ubi dativus facilis est agnitu. Itaque satis frequenter eliditur οἴμοι ante longam vocalem, præsertim ω, v. c. Ajac. 354. 578. Aristoph. Nub. 770. 1240. etc. cf. Koen. ad Gregor. Co-

rinth. p. 171. edit. Schaeferi. In Aristophanis Avibus, v. 86. legitur μοἴχεται pro μοὶ οἴχεται (vid. Reisigii Syntagm. Crit. p. 32.) ex arctiore illa elisione et quasi hemicrasi conjunctum, quam apostrophi expertem esse supra monuimus, cum ex vera crasi scribendum fuisset μοὔχεται, quod ambiguum foret et minus perspicuum.

Præter hæc diphthongus οι apud tragicos quidem elisione non absumitur. Tamen καὶ particula sæpe ita deletur ante diphthongos et longas vocales, ut eadem arctior illa elisio et quasi hemicrasis oriatur. Atque reperiuntur κεὶ, κεἰς, (Valckenaer. ad Phœniss. v. 577.) κοὐ, κοὐκ, κοὐχὶ, κεὐδαίμων, κεὐθὺς, κεὔχομαι, κεὐφρόνας Eur. Bacch. v. 237. κεὐσταλὴς Philoct. 780. cf. Porso ad Eur. Phœniss. 1422. Lobeckius ad Ajac. p. 244. καἰσχύνην vel κ' αἰσχύνην, de quo paullo infra, χοἶον vel χ' οἷον Aristoph. Nub. 1209. χοἰ vel χ' οἱ ibidem, v. 1211. χοἵδε vel χ' οἵδε Antig. 509. χαἰ vel χ' αἱ Philoct. 431. χἠ vel χ' ἡ, χἠμεῖς vel χ' ἡμεῖς, χαὐτοῦ vel χ' αὐτοῦ, χοὖτος vel χ' οὗτος, κἦλθον vel κ' ἦλθον Æsch. Sept. c. Theb. v. 795. κἦν vel κ' ἦν Soph. Antig. 710. In Eurip. Hecub. 81. de suo induxerat Hermannus χἤξει. In aliis vera crasis est, ut in κᾀὐτὸς, (sic enim præter καὐτὸς, non raro præbent vetera exemplaria, ut triphthongus sit, similis nostro ‘ Hæuser’, etc.) in κῷνος, κῳκία, (Aristoph. Thesmophor. v. 355. autem κοἰκίαν vel κ' οἰκίαν) κᾆτα aliis, atque ex regula ubi brevis litera vocalis sequitur χῳ', χῶσα, χὤπως, κῷψον Aristoph. Vesp. 317. κᾀγὼ, κᾀγαθὸς, κᾀν, κᾆν, κᾀς i. e. καὶ ἐς, non καὶ εἰς, (Valckenaerius ad Phœniss. v. 577.) χὐπερ Eur. Iphig. in Aul. v. 1389. κἰσοκράτην Quintilian. iii. 1. 4. χἰκετεύετε Eurip. Helen. v. 1030. (Reisigii Syntagm. Crit. p. 30.) Sic in Soph. Philoct. 644. χᾀρπάσαι scribendum est pro vulgato χ' ἁρπάσαι, et χᾀτέρους Aristoph. Vesp. 258. etc. pro χ' ἀτέρους. In quibus omnibus pendent omnia a sequentis vocalis literæ quantitate, non spiritu.

Syllabæ τὸ αἰ et τὰ αἰ ex crasi τᾀ' fiunt, unde τᾀσχρὰ scribendum esse ait Seidlerus in excursu ad Eurip. Troad. p. 147. Tamen ex elisione etiam ταἰσχρὰ probari posse et reperiri ταἴτιον in Aristoph. Ran. v. 1385. et Thesmophor. v. 549. nec non θαἶμα in ejusdem Lysistrata, v. 205. docuit Reisigius in Syntagm. Crit. p. 31. affertque Wolfius in

Analectorum p. 456. ex Tryphone in πάθεσι λέξεων §. 24. ταἰδισπίᾳ. Sic etiam scribitur in Eurip. Suppl. v. 767. καἰσχύνην vel κ' αἰσχύνην. Articulus enim ante diphthongos quidem et longas vocales passim, ut particula καὶ, eliditur, non tamen ante breves. Itaque τοὐρανοῦ pro τοῦ οὐρανοῦ ex Aristophan. Pac. v. 199. laudat Reisigius in Syntagm. Crit. p. 33. ad quam eamdem normam formatum est θἠμέρᾳ in Sophocl. Ajac. vv. 756. 778. 1362. Œdip. Reg. 1283. θἠμέτερον, θἠρῷον Aristoph. Vesp. v. 851. θἠμετέρου, ταὐτοῦ, ταὐτῷ, τἆθλα in Eurip. Phœniss. v. 1277. aliaque.

De accentu et abjecto et retracto vid. Buttmanni Prolix. Græc. Gramm. p. 125. not. 1. et de elisa vocali litera υ ibidem, p. 126. not. 2.

Jam transgredimur ad 'crasin.' Ut enim unius vocabuli plures vocales literæ certis e regulis in unam eamdemque longam vocalem vel diphthongum coagmentantur: sic etiam duplex vox commixtis vocalibus sæpe in unum totum conglutinatur. Quorum illud genus 'contractio,' hoc 'crasis' vocatur. Contractionis leges generales sequitur quidem crasis, sed ut jam illic plura reperiuntur aliena et illegitima, sic hic quoque multa sunt, quæ a vulgari usu recedant, cum leges illæ, ut supra jam monitum est, e minus constante populi sermone, non ex unius cujusdam grammatici ejusdemque philosophi disciplina prodierint. Quare nobis analogia, veteribus monumentis præceptisque grammaticorum utendum est, quæ sæpissime sibi contraria invenies.

Orta est crasis e studio commodæ pronuntiationis, quam plebs potissimum quærere solet, cujusmodi exempla vide apud Wolfium in Analectorum p. 445. Itaque ea, quæ communem vitam fontem habet, a poetis recepta est, ita tamen, ut normam quamdam justam sequuti esse multaque trita ac plebeia vitasse viderentur. Rarius prosaici scriptores crasibus usi sunt nec nisi paucis quibusdam, qualis est καλὸς κἀγαθὸς, sæpius tragici, sæpissime omnium comici. Ceterum craseos usus non liber sed definitus est, quippe quæ solemnis tantum sit in articulo et præpositivo et postpositivo, in particula καὶ aliisque quibusdam frequentioribus voculis. Neque contractio, neque arctior illa elisio, qua duplex vox tamquam una scribitur, sed crasis tantum

signo suo notatur, quod apostropho lenique spiritui simile, coronidem vocatum, mixtæ vocali imponunt, ubi ista signa collocari non solent; quamvis haud raro cum spiritu leni eadem sede conveniat. Idem negligitur sæpe, ubi per se jam crasis intelligitur, in conjunctionibus firmis ac stabilibus, v. c. ἐμαυτοῦ, σαυτοῦ, ἑαυτοῦ, ταυτὸ, οὕνεκα, etc. Sic omittunt quidam, ut Wolfius in Analectorum p. 446. coronidem cum spiritu aspero conjunctam, οὑμὸς scribentes pro ὁὑμὸς, aliaque ejusmodi, in quibus eam non abjecerim, cum etiam alia signa, quibus peritus lector facile caret, præter necessitatem ponerentur. Tamen in junctura spiritus lenis et coronidis hanc neglectam non improbo, altero signo simul alterius vicem tenente et utroque importuno. Neque spiritum asperum in θοὐρμαῖον, θοὐκατεῖον, θὦ'πλα, χᾦ', χᾦ'πως, χἠ' notari velim, ut voluit Seidlerus in Excursu illo, p. 149. recte monente Brunckio ad Aristoph. Lysistrat. v. 277.: quum aspiratio transierit in litteram θ, necesse non est, ut spiritus asper adpingatur: scribo itaque θὤπλα, (rectius θὦπλα) quod in aliis similibus observatum. Eadem est Wolfii sententia in Analectorum p. 439 sqq.

Neque constantia accentus est, cum acutus sæpe scribatur, ubi in aliis similibus circumflexus appareat, qui ob craseos cum contractione similitudinem illum superare videtur. Tamen utrumvis præferas, certe constes tibi necesse est: unde sequitur, ut aut τἄνδον, τἄλλα, τοὔργον, τοὔπος, τἄργα, θὤπλα, κἄλλα, κἄτι, χὤτι, χὤστις aliaque, aut τἆνδον, τἆλλα, τοὖργον, τοὖπος, τἆργα, θὦπλα, κᾆλλα, κᾆτι, χᾦτι, χᾦστις scribenda sint. Wolfius quidem in Analectorum Tom. i. part. 2. p. 431 sqq. scipturam τἄλλα, non τἆλλα probare laborat, tamquam non vera crasis sit: sed talem esse ostendit analogia similium, v. c. τᾱπὸ pro τὰ ἀπὸ, τᾱγαθὰ, τᾱληθῆ, etc., cum elisio ista articuli rarissima ante αἰ et longas vocales huc quidem trahi nequeat. Ceterum ne ad hemicrasin confugiamus, monet nos idem sonus in τ' ἄλλα i. e. τε ἄλλα, et τἄλλα i. e. τὰ ἄλλα, eliso alpha articuli, nec producta per crasin mixta vocali. Jam igitur perspicuitas postulat, ut τἆλλα scriptum æque ac μᾶλλον et similia pronuntiemus. Itaque ego neque de crasi dubito, neque de accentu; modo constare nobis velimus. Audias Elmsleium ad Eurip.

Med. 888.: Qui τοὔργον et τοὔπος scribunt, eodem jure τἄργα et τἄλλα scribere possunt. Utriusque enim numeri scriptura iisdem argumentis nititur. Qui vero τοὖργον scribunt, quod faciunt plerique, τἆργα scribere debent, modo sibi constare velint. Non assentior igitur Wolfio dicenti p. 434 (Analectorum) "contra τοὖργον pluralem habet τἄργα, non τἆργα, ut Soph. El. 623." Cf. etiam Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. p. 116. Duplicem accentum genuit dubitatio quorumdam grammaticorum, qui aut elisionem videbant, aut si crasin, circumflexum tantum ex acuto cum gravi, non ex gravi cum acuto oriri posse censebant. Sed vide Buttmannum ibid. p. 112. 7. Ceterum in his crasis circumflexum postulat, cum, ut paullo ante dictum est, contractionis leges sequatur. In reliquis, ubi accentus in mixta vocali non coeunt, vel ubi duplex est gravis, prioris vocis tenor perit.

Accedit dubitatio de iota subscripto. Atque in duplici iota diphthongorum duarum alterum abjiciendum esse omnes consentiunt recte. Vid. Seidleri Excurs. ad Eurip. Troad. p. 147.: nam alterum modo auditur, neque utrumque concedit analogia scribendique ratio; itaque pro καὶ εἶτα, καὶ οἰκίαν scribendum κᾆτα, κᾠκίαν. Eodem fere modo pro spiritu leni et coronide unum signum ponendum esse supra diximus. Sed ideo in medio contrahendarum vocalium positum iota prorsus abjicere mihi quidem non probatur, cum præsertim idem in fine positum subscribatur, ut in ἐγᾦδα, ἐγᾦμαι, τᾠκίδιον Aristoph. Nub. 92. Quamvis pars grammaticorum (vid. Seidleri illum Excursum, p. 148.) et veterum monumentorum, ut inscriptio Sigea, quæ *ΚΑΓΩ ΚΑΠΙΣΤΑΤΟΝ* diserte præbet, omitti jubeant, et quin ita ab aliis scriptum sit, ego minime dubitem. Hi enim non auditum iota neque signo exprimendum esse arbitrati etiam pronuntiationem literis imitati sunt, alii contra iidemque, ut mihi videntur, accuratiores servarunt, cum etsi vix audiretur, tamen justa causa, ex qua esset abjiciendum, non appareret. In vetustioribus codicibus modo adscriptum iota erat, ex vetere illa ratione non subscriptum, modo omissum, (vid. etiam Porso ad Eurip. Hecub. p. 4. et 17. edit. Lipsiens. alt. et ad Med. p. 502.) ita ut duplicem scri-

bendi rationem jam ab antiquis observatam esse maxime sit probabile, neque in crasi solum, sed etiam in infinitivis in ᾷν et ᾶν exeuntibus, aliisque. cf. Elmsleius ad Eurip. Med. vv. 222. 358. 466. 520. 674. 801. 946. 989. et Hermannus in Emendanda Ratione Graecae Grammaticae i. p. 37. Itaque κᾆν, κᾀγὼ, κᾆπειτα, τῷμῷ, τῇμῇ, χῴ (cum iota subscripto, quamvis χῴ pictum diserte habet Etymolog. Magn. p. 816. 33.) et quæ sunt similia, scripta malo. Neu provoces ad τἀνδρὶ aliaque, in quibus ῳ prorsus absorbetur, ita ut simul iota deleatur necesse sit. Vocales αιε in ᾳ similiter quodammodo transeunt, ac si vernacula lingua 'Laien,' i. e. profanos, pronunties monosyllabum 'Lain.' Et manifestum est, καί ἐστι contractum καἴστι (scribe κᾆστι) potius auribus percipi, quam κἄστι. Integra igitur vel certe agnitu facili monophthongo, cum quo iota conjunctum diphthongum efficit, in crasi medium iota subscribendum: evanescente contra illo monophthongo, una iota evanescat necesse est. Hinc neque τᾆν, τᾆρα, sed τἆν, τἆρα scribendum, prorsus pereunte diphthongo. Quæ utrum etiam elisionem patiantur interdum, dubitari licet, hoc ipsum negante Porsone ad Eurip. Med. v. 862. cui adversatur Lobeckius ad Ajac. v. 534. Certe analogia passim elisorum pronominum μοὶ et σοὶ, de quibus supra egimus, tunc scribendi ratio οὔτ' ἄρα, τ' οὐ, et quæ sunt similia, denique exemplum Homeri (vid. Thierschii Græc. Gramm. §. 164. 2. Not. 2.) ipseque Ajacis ille locus πρέπον γέ τ' ἦν ἄν nonnumquam quidem elisionem sibi Græcos in particula τοι indulsisse, probare videntur, quamvis res nondum sit ad liquidum perducta. Vide Buttmanni Ampl. Græc. Grammat. p. 123 sq.

Nunc ad singula quædam convertamur. Et primum quidem Reisigius in Syntagm. Critici, præstantissimi et jam sæpe commemorati libelli p. 21 sq. "nunc quæramus," inquit, "cur οὐ non possit crasin efficere. Non potest autem propterea, ut arbitror, quia particula quum sit ex earum numero, quas Hermannus procliticas nominavit, tum natura ejus vocis hujusmodi est, ut nullo modo transire in aliam vocem queat. Nam proclitica particula, utpote quæ ipsa suum tenorem inclinat in proxime insequens vocabu-

lum, non potuit ita efferri pronuntiando, ut ipsius insequentis vocabuli vox ab initio tota per illum obrueretur ac penitus delitesceret, illa contra plena atque integra servaretur. Id caussæ est, cur etiam εἰ negem posse in crasin adhiberi." Pergit idem vir doctus p. 23. "Illis igitur constitutis efficitur, non magis quam οὐ 'γώ vel εἰ 'γώ potuisse Græco ore proferri ἡ 'γαθή, οἱ 'γαθοί, αἱ 'γαθαί, οἱ 'μοί, cetera similia, neque aliter has voces per crasin nisi in tertiam naturam, consociari posse, ἁ'γαθή, ἁ'γαθοί, ἁ'γαθαί, οὑμοί, quia ἡ, αἱ, οἱ sint procliticæ, neque suapte vi possunt insequentis vocabuli initium, in quo nituntur, funditus absumere." Huic summe venerandi ac dilectissimi præceptoris mei studiorumque moderatoris sententiæ opponere hæc liceat: primum οὐ ante vocalem in οὐκ vel οὐχ transire usitatum esse, ut illa elisio οὐ 'γὼ usui contraria putanda sit. idem fere de particula εἰ valet, cui ante vocalem positæ, γὲ addi solet, qua de re vid. Marklandus ad Eurip. Suppl. v. 109. Deinde cum atonon insequenti voci quasi inhæreat, ut unum totum efficere videatur, elisio vocalis literæ, quæ syncope tunc vocatur, etiam in una voce conceditur. Vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 26. Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. §. 27. Denique quamvis crasis articuli habeat, quo nitatur, nec repugnet disciplinæ, tamen respiciendus in his usus est, qui sæpe contrarius est præceptorum constantiæ. Jam supra de eliso alpha post articulum diximus, ut non satis circumspecte Porso ad Eurip. Phœniss. 903. articulum cum α brevi in α longum semper coalescere contenderit: nunc videamus, an singularis masculinum articuli cum sequente alpha brevi in unum quoddam commisceri queat.

Vulgo, quod omnibus notum, ubi de incerto viro agitur, ἀνήρ, ubi de certo ac definito, ita ut articulus requiratur, ὁ ἀνὴρ in soluta oratione, in tragicorum quidem fabulis nunc ἁ'νὴρ scribitur, (olim ὡ'νὴρ per Ionicam crasin, vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 55. quæ, etsi tolerabilis, ut Wolfius in Analectorum i. 2. p. 457. exemplis χειρώναξ et αἰδῶ ex χεῖρο ἄναξ et αἰδόα probat, tamen in tragicorum libris manuscriptis rarissime quærenti occurrit, ut in Aristoph. Nub. v. 1249. ὡ'παιτῶν i. e. ὁ ἀπαιτῶν, Vesp. 207. Eur. Med. v. 769. etc.

ὢνὴρ, vid. Brunckius ad Sophocl. Œd. in Colon. v. 1486. pariter atque ὡὐτὸς, cujus aliquot exempla infra afferam, licet Gregorius Corinthius in Attic. 93. Atticam crasin nuncupet,) quæ scriptura a Dawesio in Miscellan. Critt. p. 123. ex inscriptione Sigea, ubi *ΗΑΙΣΟΠΟΣ ΚΑΙ ΗΑΔΕΛΦΟΙ* legitur, commendata est, ita ut nunc in recentioribus editionibus præter ἅ'νὴρ etiam ἅ'γὼν, ἅ'νθρωπος, ἅ'δελφὸς, ἁὐτὸς, similia, ederentur pro ὁ ἀνὴρ, ὁ ἀγὼν etc. Cui testimonio accedit alterum Apollonii de Conjunctionibus p. 495. in Beckeri Anecdotis, ἄμεινον οὖν παραδέξασθαι Δωρικὴν μετάθεσιν τοῦ ε εἰς τὸ α, καὶ ὡς ὁ ἀνὴρ ἁνήρ, ὁ ἄνθρωπος ἅνθρωπος, οὕτως τὸ ἕτερον θάτερόν ἐστι. Quam crasin ipsis pedestribus scriptoribus inferri vult Reisigius in Conjectaneorum i. p. 182. propterea, quod Atticis dicere non liceat οὗτος ἀνὴρ, sed οὗτος ὁ ἀνήρ. Equidem hancce crasin probari posse non negaverim, et poetas fortasse quosdam antiquissimos, quorum opera interierint, ita esse loquutos: attamen tragicorum dicendi rationem esse persuadere mihi non possum. Cujus judicii argumenta hæc sunt: primum enim addidisse veteres spiritum certe asperum constat, qua de re vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 19. not., et Buttmanni Prolix. Græc. Gramm. §. 6. p. 25. quod ipsum Sigea inscriptione probatur. Quod cum ita sit, cur quæro numquam in tragicorum fabulis ἅ'νὴρ, ἅ'γὼν, et alia sic scripta reperiuntur? grammaticis, ut ex Apollonii verbis intelligitur, crasin illam cognitam habentibus. quo modo antiqua illa spiritus asperi signa *H* et ⊢ in contrarium lenem spiritum, neque in asperum transierunt? præsertim cum tragicorum Græcorum fabulæ per longum tempus et agerentur et audirentur, cumque in aliis, ut in αὐτοῦ et αὑτοῦ spiritus observaretur. Quæ jam sufficerent ad infringendam novam scripturam ἅ'νὴρ sive ἁνὴρ, ut nonnullis scribere placuit. Accedit alterum argumentum, quod ad omissum articulum spectat: articulus enim, qui in talibus ab editoribus desiderabatur, necessarius non est, quippe qui in aliis quoque simillimis a tragicorum exemplaribus sæpissime absit. Sic in Ajac. 807. ἔγνωκα γὰρ δὴ φωτὸς ἠπατημένη, Antig. 1282. γυνὴ τέθνηκε, τοῦδε παμμήτωρ νεκροῦ. Sæpe πατὴρ caret articulo, ut in Ajac. 541. ὦ παῖ, πατήρ καλεῖ σε. cf. vv. 548 550. et Porso

in præfat. ad Eur. Hecub. p. 37. atque μήτηρ Electr. v. 406. ἄναξ Antig. 1257. Trachin. 155. 274. cf. Schaeferus ad Œdip. in Colon. v. 1348. πόλις, vid. idem vir doctus ad Œd. Reg. v. 630. στρατὸς Electr. 749. ἀπαντῶντες Aristoph. Nub. v. 451. ἀρχαὶ ibidem v. 1198. ἄνθρακες Acharn. v. 348. Sic παῖς, τέκνον, ἄνθρωπος et masculino et feminino genere, vid. notata ad Aristoph. Lysistr. v. 936. δόμος, θεὸς, δαίμονες Philoct. 447. 462. βασιλεὺς, aliaque sexcenta sine articulo se obtrudunt in tragicis ceterisque auctoribus, qui omnes e lectitando Homero absentiam articuli tolerare didicerant. cf. Schaeferi Meletemata Critt. p. 4. Neque desunt ipsius vocis ἀνὴρ etiam in obliquis casibus exempla, v. c. Trachin. v. 55. 108. 150. Ajac. 59. 221. 1156. etc., quam sæpe licet pronomine 'ille,' nostrisque 'jener,' 'er' vertendo reddere. Ipsi prosaici passim sine articulo ἀνὴρ dicunt, ut Herodot. 3. 35. Πρηξάσπεα ὁρέοντα ἄνδρα οὐ φρενήρεα. cf. Wyttenbachius ad Platon. Phædon. p. 257. Heindorfius ad ejusdem dialogi §. 108. Reisigius in commentationibus criticis Œdipi Colonei v. 32. et Wolfius in Analectorum i. 2. p. 458. qui ipse proxima pagina quærit, num mutent Dawesii sectatores etiam ἕστηκ' ἀνὴρ in ἕστηχ' ἀνήρ, quin etiam consulere, pergit, peritos licebit de vocabulis, quæ jam asperum spiritum gerunt, ἅρπαξ, ἁβρὸς, ἑπτὰ, si cui forte in Thebana fabula hoc dicere placuit: in quibus profecto spiritus spiritui insidens facetum negotium fuisset. Cum Wolfio etiam Buttmannus hac de crasi recte dubitat in Ampl. Græc. Gramm. p. 119 sq. et ad Philoct. v. 40. Nominativo ἀνὴρ, eandem vim cum ὁ ἀνὴρ habente, pro iambo uti evitarunt tragici, ne vox jam articulo privata etiam vocalis longæ gravitatem amitteret. quod ipsum de aliis ejusmodi vocabulis dictum volo. At initium senarii nominativus sæpe facit, (v. c. in Œdip. Colon. v. 1663. ἀνὴρ γὰρ οὐ στενακτὸς—ἐξεπέμπετο, cf. Trachin. v. 346. 1238. Ajac. v. 337. 343. etc.) qua in sede ictus tangit ultimam, nomenque ipsum pro spondeo pronuntiari potest, ut fieri debet, ubi in arsi prior syllaba ponitur, qua vis ejus augeatur. Ceterum per se jam penultima anceps est, neque raro producitur, quod jam Lobeckius ad Ajac. v. 1181. in carminibus et anapæstis melicis recte concessit. Quæ licentia tamen latius extendenda. Tragici

nempe epicorum quantitatem in voce ἀνὴρ passim retinuerunt, ut jam Valckenaerio visum est ad Eurip. Phœniss. v. 1650. et Brunckio ad Aristoph. Vesp. v. 269. Neque desunt similium vocum productarum exempla, v. c. ἀεὶ, ἄρης, ἀΐω, ἀΐσσω, etc., de quibus alio loco agemus. Sic servatur in innumerabilibus ferme versibus vulgata, quam ab ipsis tragicis poetis profectam esse omnia indicant. In Soph. Ajac. v. 1355. ὅδ' ἐχθρὸς ἁ'νὴρ, quod nunc legitur, longe superatur vulgato ὅδ' ἐχθρὸς ἀνήρ. Eodem modo in Eurip. Orest. 851. restituenda vulgata scriptura est ἀτὰρ τίς ἀγὼν etc., cujus loco Porso ἀτὰρ τίς ἁ'γὼν dedit. Sic Soph. Electr. v. 1492. νῦν ἐστὶν ἀγὼν, Œd. in Col. v. 1148. χὤπως μὲν ἀγὼν, Eurip. Phœniss. v. 597. μῆτερ, οὐ λόγων ἔτ' ἀγὼν, ubi vulgo contra metrum ἔστ' ἀγὼν legitur, Heraclid. v. 722. ὡς ἐγγὺς ἀγὼν, Suppl. v. 754. ὧν δ' οὕνεκ' ἀγὼν, Hercul. Fur. v. 1189. Ἥρας ὅδ' ἀγὼν, Aristoph. Vesp. v. 534. σοὶ μέγας ἔστ' ἀγών. In Trachin. v. 434. ἄνθρωπος, ὦ δέσποιν', ἀποστήτω non corrigendum, neque ἄνδρες scribendum pro οἱ ἄνδρες in Ajac. v. 99. Electr. 1398. etc. Quibus argumentis adducor, ut tragicos omni atono articulo literæ α per crasin mixto abstinuisse censeam, atque aut elisione usos esse, ubi fieri licebat, qua de re supra dictum est, aut abesse prorsus articulum epico et poetico more maluisse, quem præfixa litera τ, qua facilius cognosceretur, commisceri passi sint. Quocirca neque ἰατρὸς, ἰαχὴ, ἰὸς usquam reperiuntur, quamvis θοἰμάτιον, θαἰμάτια, neque υἱὸς, ὕπνος, ὕλη, quamvis θοὔδωρ, θοὔδατος passim legas. vid. Lobeckius ad Ajac. p. 221. Elmsleius ad Eur. Med. v. 56. Seidlerus ad Iphig. in Taur. v. 335. Itaque cum negari crasis in ἁ'νὴρ ac similibus nequeat, certe plebeiam et communi vitæ propriam judicamus, ideo quoque tragicis aliisque poetis repudiatam, quod simul ὁ, ὃ, ἃ-ἀνὴρ inesse ei possent, tolerantibus hæc minus politis vulgi auribus. Unde plebeiam dicendi rationem et in inscriptione Sigea et in Apollonii verbis contineri tibi persuadeas.

Ut ἁ'νὴρ, similia, ita etiam αὑτὸς pro ὁ αὐτὸς improbo, cum hoc frustra in libris quærens, semper aut αὐτὸς aut ὡὐτὸς scriptum invenias, quamvis hoc ipsum rarissime, ut in Philoct. v. 521. Eurip. Alcest. v. 140. Troad. 1274. ed. Seid-

leri. Itaque ubicunque nunc αὑτὸς illatum est, restituendum censeo vulgatum αὐτὸς, tragicos in hac re epicis se accinxisse ratus, quibus αὐτὸς 'is ipse' vel 'idem' valet. cf. Schaeferus in Melett. Critt. p. 65. Matthias in Gramm. Græc. §. 472. 10. Sic nos quoque pronomina 'er' et 'derselbe' sæpe confundimus. Exempla Sophoclis hæc fere sunt: Electr. 917. Philoct. 119. 521. 1330. Œdip. Reg. 459. 556. 1205. Antig. 929.

ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων αὑταὶ (pro αἱ αὐταὶ)
ψυχῆς ῥιπαὶ τήνδε γ' ἔχουσι.

Itaque in Aristophanis Nub. v. 1185. αὑτὴ intactum relinquo, ab Hermanno in ἡυτὴ, a Reisigio in ἁὐτὴ mutatum. Insigne est exemplum, quod Soph. Philoct. v. 500. legitur: εἰς σὲ γὰρ πομπόν τε καὐτὸν ἄγγελον ἥκω, quod non nisi audacia quadam ad normam grammaticorum redigi potest. Durius quoque, tenuem ubi præcedit literam in aspiratam commutare. Qua in re gaudeo Buttmannum habere socium, cujus verissima meo judicio nota ad Philoct. v. 119. lectu est dignissima, quique etiam hoc observat, scholiasten ad Eur. Phœniss. v. 927. ἀνὴρ ὅδ' οὐκέτ' αὐτὸς hæc annotantem: ἐνταῦθα δὲ λείπει τὸ ἄρθρον ποιητικῶς, præpostere spernendum non esse. Vide ad illum locum Valckenaerium.

Mire et contra analogiam articulum cum pronomine ἕτερος, quo utuntur, aut cum forma Dorica ἅτερος, correpto alpha, ut Ἄρταμις Dorice pro Ἄρτεμις dicitur, per crasin in ἅτερος misceri maluerunt scenici poetæ, cujus rei causa, nobis non satis cognita, frequentius in plebe auditum οὕτερος, aut aliud quid fuisse videtur. Postea invita grammaticæ doctrina formata quædam sunt, qualia fuere ὁ θάτερος et τὸν θάτερον, a tragicorum fabulis aliena, quibus tantum in usu est ἅτερος pro ὁ ἕτερος, ut in Eurip. Phœniss. v. 1393. etc., ἅτεροι Iphig. in Taur. v. 325. θατέρου ibidem v. 249. θατέρῳ Hippol. v. 349. ubi vid. Valckenaerius. Ceterum cff. Thom. Magister v. ἅτερος, interpretes ad Gregor. Corinth. p. 302. 304 sq. edit. Schaeferi, Brunck. ad Aristoph. Vesp. v. 841. præterea Matthiæ Græc. Gramm. p. 55. et Buttmanni Ampl. Græc. Gramm. p. 121. ubi plura reperies. In Trach. 271. optimi libri θητέρᾳ dant.

Persequamur reliqua. Atque de nota illa crasi præpositionis πρὸ cum vocalibus literis ε et α vid. Matthiæ Græc. Gramm. §. 43. not., et Buttmanni p. 123.

Tenuis litera ante aspiratam vocalem ut in elisione, ita in crasi aspiratur, quod probat scriptura θὤπλα, θοὔρμαιον Antig. v. 397. θἀτέρου, χῴ, χἄτερος Eurip. Suppl. v. 573. Vid. Seidlerus ad Eurip. Iphig. in Taur. v. 335. cum quibus comparari quodammodo possunt φροῦδος et φροίμιον.

Ambiguitatem quarumdam crasium quod attinet, v. c. τἀπὸ (τὸ, τοῦ, τῷ, τὰ-ἀπὸ), τοὐπὶ (τὸ, τοῦ-ἐπὶ), οὑμοὶ (ὁ, ὃ, οἱ-ἐμοὶ), οὑν (ὁ, ὃ, οἱ-ἐν), etc., de qua re consulatur Wolfius in Analectorum p. 454. quamvis minoris diligentiæ specimen præ se ferant, tamen jam ex ipsa proximorum verborum sententia satis intelliguntur, ut recte observavit Reisigius in Syntagm. Crit. p. 23. Ceterum in quibusdam accentu distinctio fit, ut in κᾆν i. e. καὶ ἂν et κἀν i. e. καὶ ἐν, v. c. in Œdip. Reg. v. 662. κἀν πόλει.

Neque propriorum nominum crasibus tragici abstinuerunt, qualis est οὑδυσσεὺς in Soph. Philoct. 572. aliæque, in quibus ne quem parva vocalis offendat, hanc antiquam esse scripturam reputet.

Superest ut breviter moneamus, et crases sæpe in libris elisionum instar scriptas inveniri imperitia grammaticorum scribarumque, et quamvis hoc rarius, quæ crases non sint, harum præ se ferre speciem. Ita flagitante metro in Eurip. Orest. v. 852. pro τἀκεῖθεν, τὰ κεῖθεν, et in Soph. Ajac. v. 6. pro τἀκείνου, τὰ κείνου scribendum est, recteque nunc scribitur. Vid. Valckenaerius ad Eurip. Phœniss. v. 462.

Vertamur ad synizesin sive synecphonesin, quæ cum contractione, crasi atque elisione ad synalœphen, commune omnis vocalium conjunctionis nomen, refertur. Nam cum in crasi et audiretur aure et oculis conspiceretur commiscendo orta nova vocalis litera, hic auditur illa quidem, neque tamen cernitur. Hoc ita institutum est propterea, quod vocabulorum natura, abjectis non auditis vocalibus, vix cognosceretur. Quod cum fieret et in una et in duplici voce, discriminis causa, quoniam ejusdem rei duo in promptu sunt nomina, illud genus synizesin, hoc synecphonesin vocare mihi placuit. quarum altera contractioni et syncopæ,

altera crasi et elisioni cognata est, ita tamen, ut tunc demum adhibita sit, ubi illa non poterant.

Frequens est synizesis jam in epicis Homeri aliorumque carminibus. vid. Thierschii Græc. Gramm. §. 149. Buttmanni Prolix. Græc. Gramm. p. 110 sq., Matthiæ Græc. Gramm. p. 911. Wolfii Analecta i. 2. p. 447 sq., Spitznerus de Versu Græcorum Heroico p. 179 sqq.; frequens etiam in scenicorum fabulis, qua de re consulatur Hermannus in Elemm. Doctr. Metr. p. 52 sqq. cujus exemplis hæc Sophoclea quædam addere liceat, quæ pro corruptis habenda non erant iis, quibus synizeseos usus restringendus esse videbatur. Ajacis v. 358. legebatur in libris

ἁλίαν ὃς ἐπέβας ἑλίσσων πλάταν,

et in stropha, v. 350.

μόνοι τ' ἐμμένοντες ὀρθῷ νόμῳ.

Ibi si *ἁλίαν* disyllabum pronuntiatur, mutatione *ἅλιον* opus non est. Ibidem, vv. 608. 621. pro vulgata

τὸν ἀπότροπον ἀΐδηλον Ἅιδαν—
ἔπεσ' ἔπεσεν μελέοις Ἀτρείδαις,

nunc est scriptum *ἔπεσ' ἔπεσε μελέοις.* At librorum scriptura sana est, cum *μελέοις* bisyllabum sit. Versus sunt iambici. V. 704. 717. vulgo

ὁ Δάλιος εὔγνωστος—
Αἴας μετεγνώσθη,

ubi nunc e Suida et nonnullis codicibus *μετανεγνώσθη* receptum est. At *Δάλιος* bisyllabum pronuntiandum. In Œdip. Reg. v. 866. *δι' αἰθέρα* dactylo par est et respondet antistrophico *ἀπότο* in *ἀπότομον,* v. 876. Quæ synizesis defenditur exemplis ab Hermanno in Elementis Doctr. Metr. p. 54. allatis, Æsch. Pers. 1043. *δίαινε* et Suppl. 800. *δι' ὑδρηλά.* Ibidem v. 1108. *Νυμφᾶν Ἑλικωνιάδων* in *νυμφᾶν Ἑλικωνίδων* mutandum non erat, cum *Ἑλικωνιάδων* hic vox quinque syllabarum pronuntianda

esset. Inde defenditur in Philoct. v. 1333. Ἀσκληπιάδων, quæ vulgata scriptura videtur, et in Œdip. Colon. v. 1313. Ἀμφιάρεως, quod ibi trisyllabum est. V. 1360. dochmius est νῦν δ' ἄθλιος μέν εἰμ', voce ἄθλιος disyllaba, ut corrigendum ἄθεος non sit. In Antig. v. 527. optimi libri præbent φιλάδελφα κάτω δάκρυα λειβομένη, in quo versu anapæstico synizesis probatur exemplis Hermanni in libri laudati p. 53. collectis, cf. Reisigius in Commentationibus Criticis Œdipi Colonei v. 1355. In Trachin. v. 640. quod vulgo in libris extat, Πυλάτιδες καλέονται, optime respondet antistrophico versui 648. λάφυρ' ἔχων ἐπ' οἴκους. In strophico enim versu καλέονται trisyllabum est. Huc pertinet ἐλεεινὸς et ἐλεεινῶς, quod utrumque apud tragicos quadrisyllabum quidem scribitur, sed trisyllabum pronuntiandum est. Vide supra. Neque ἰὼ ubi monosyllabum reperitur, in ὢ mutes necesse est. cf. Ajac. v. 610. ἰώ μοί, μοι, Electr. v. 121. ἰὼ παῖ, παῖ, Ajac. 901. ἰώ μοι, ut in Œdip. Colon. v. 519. Sic ἰὼ Παλλὰς in Trachin. v. 1032. et aliis locis.

Non minus usitata apud Atticos potissimum 'synecphonesis' est. vid. Hermannus in Elemm. Doctr. Metr. p. 55. quamvis ne ab epicis quidem prorsus repudiatur. Adeas Thierschii Græc. Gramm. §. 149. 5. Buttmanni Græc. Gramm. Ampl. p. 118. Spitznerum ac Wolfii Analectt. locis laudatis, ubi tamen exempla, in quibus longam monophthongum vel diphthongum brevis excipit, elisioni adnumeranda sunt. Per synecphonesin coalescunt fere hæc: ἐγὼ οὐ, vid. Brunckius ad Œdip. Reg. v. 332. et in addendis ad Aristoph. Ran. v. 515. ἐγώ εἰμι et similia, idem ad Œdip. Reg. v. 332. et ad Philoct. v. 585. μὴ οὐ idem in indice ad Aristophanem, et ad Œdip. Reg. vv. 221. 993. Valckenaerius ad Hippol. v. 48. p. 169. μὴ εἰδέναι, Brunckius ad Œdip. in Colon. v. 1155. Seidlerus ad Eurip. Electr. v. 956. ἐπεὶ οὐ, Philoct. v. 446. Brunckius ad Aristoph. Lysistr. v. 273. Fortasse etiam καὶ εὐσταλὴς Philoct. v. 780. μὴ ἡμεῖς Aristoph. Thesmoph. v. 536. cf. Reisigii Syntagm. Crit. p. 33. τοῦ οὐκ apud Archilochum, xvi. in Brunckii Analectt. vol. i. p. 43. cf. Reisigius ibidem, ἔα αὐτὸ Aristoph. Lysistr. v. 945. Vid. Brunckius ad Aristoph. Ran. v. 1243. et ad Soph. Œd. in Col. v. 1192. Wolfius in Analectorum i. 2. p. 456.

extr., τῇ οἰκίᾳ pro τῳκίᾳ, Aristoph. Vesp. v. 827. cf. Reisigii Syntagm. p. 33. Excipiuntur diphthongi αι et οι, quippe quæ ad elisionem pertineant et crasin, præterea ἐγὼ in ἐγᾦδα, ἐγᾦμαι et ἐγῳχόμην Aristoph. Ecclesiaz. v. 550. (574.) cf. Reisigii Conjectann. i. p. 309. et Syntagm. Crit. p. 33. quod tamen fortasse rectius per synecphonesin ἐγὼ ᾠχόμην scriberetur.

Non deletur interpunctione synecphonesis, cujus rei exemplum Wolfius in Analectorum i. 2. p. 449. affert Aristoph. Thesmoph. v. 288. εἰ δὲ μή, ἀλλὰ νῦν λέγειν, nisi hoc potius ad prodelisionem referas. Ceterum in pluribus dubia est pronuntiandi ratio, deficiente nos hujus rei doctrina.

Finem faciat disputatio 'literæ ν paragogicæ,' de qua etiam nunc inter viros doctos dubitatur. Tamen Porsonem ad Eurip. Orest. v. 64. et Hermannum in libro, quem de Emendanda Ratione Græcæ Grammaticæ scripsit, p. 13 sqq. sequuti sunt plurimi, quorum uterque ν paragogicum sequente muta cum liquida, ipseque Hermannus in fine versus atque orationis, ut aptam justamque pausam constitueret, ponendum esse judicavit. Neque male hi duumviri disputaverunt, neque ego magnopere dubitarem, quin cum iis facerem, nisi quærenti mihi hac de re aliter statuendum esse visum esset. Non enim magis Porso, quam Hermannus codicibus in litera ν paragogica et scribenda et omittenda parum fidei concedunt, qua in re aliter sentio. Nam licet in singulis sæpe deserendi sint, tamen ubi constant sibi, criticorumque ratiocinatio ad alium nos ducit finem, quam libri, magna suspicio nascatur non satis veri judicii necesse est. Atque ita est. Et producendi quidem vim illius literæ quod attinet, non nego quidem, ubi brevis syllaba nullo modo vim longæ accipere possit et tamen longa requiratur, in terminationibus, quibus ν paragogicum convenit, contra ipsos codices addendum esse, ut in Eurip. Orest. v. 12. ᾧ στέμματα ξήνασ' ἐπέκλωσεν θεά, ubi vulgata scriptura ἐπέκλωσε θεὰ metro repugnat, pariter atque in Soph. Electr. v. 1219. quo senarius perperam exit in οὐκ ἔστι τάφος. At in arsi hexametri invitis veteribus testibus minime erat adjiciendum, quod Hermanno, aliis, placuit.

Tum enim omnes breves accentusque expertes syllabæ in arsi mutandæ essent, quod fieri non licet. vid. Thierschii Græc. Gramm. §. 147. p. 177 sqq. Neque nego ante mutam cum liquida, quæ non necessario præcedentem syllabam producat, addi illud ν licere. At cum in tota Græcorum lingua conspicuum sit consonantium literarum copiam ac duritiem molliendi studium, ideoque minuantur potius quam augeantur, cumque formæ ἄμβροτος, φαεσίμβροτος, etc. non tam metri quam gravitatis causa in gravi oratione adhibeantur, repugnare illi studio ν paragogicum præter necessitatem positum, et cum indole linguæ quodammodo dimicare arbitror. Unde explicatur, quod plerumque in veteribus manuscriptis libris et editionibus tunc omittatur, ubi e novissimorum grammaticorum doctrina opus est. Quod ipsum haud leve argumentum. Tunc verum quidem, brevem vocalem ante mutam cum liquida sæpius corripi quam produci, sed Porso, qui loco laudato, "ubi verbum," inquit, "in brevem vocalem desinit, eamque duæ consonantes excipiunt, quæ brevem manere patiantur, vix credo exempla indubiæ fidei inveniri posse, in quibus syllaba ista producatur," Porso, inquam, rem nimis auxit, idemque fecit Erfurdtus, qui in nota ad Soph. Ajac. v. 1109. et in Koenigsberg. Archiv. iii. p. 442. (vid. etiam Seidlerus de versibus dochmiacis, p. 21. 409.) contra Lobeckium et pro Porsone multorum quæ collegit exemplorum majorem partem corrigere non dubitavit, quo ipso regula admodum incerta redditur. Ceterum cum anapæsticis versibus et dactylicis licentiam productarum brevium vocalium ante mutam cum liquida ipse concedat Erfurdtus, quidni etiam in senariis nonnumquam sibi hoc indulsisse tragicos credamus? præsertim cum alia quoque lyricis carminibus propria in hoc versuum genus introduxisse eos videamus. Porro cum in similibus syllabis a metricis probetur et productio et correptio, ut in μν, δμ, γλ, βλ, ab Erfurdto quidem ad Ajac. v. 1066. Hermanno in Elemm. Doctr. Metr. p. 46. §. 7. : quidni etiam in aliis ejusmodi concedatur? Denique ut in compositis vocibus brevis vocalis ante mutam cum liquida modo producitur, modo corripitur, (vide quos Hermannus libri laudati p. 45. nominat viros doctos) ita etiam in fine vocis

idem factum esse perquam est probabile. Sic ante φϱ in Ajac. v. 1120. σμικρὰ φϱονεῖν, Æsch. Pers. 779. νέα φϱονεῖ, (cf. Lobeckius ad Ajac. v. 1109.) Aristoph. Nub. v. 189. ἔτι φϱοντίζετε, extraque iambos in Soph. Electr. v. 147. ἀλλ' ἐμέ γ' ἁ στονόεσσ' ἄραρε φρένας et in Trachin. v. 984. βάρος ἄπλετον ἐμμέμονε φϱήν. De κλ vid. Seidlerus, quem legi jubeo, ad Eurip. Electr. v. 1053. Præter ea, quæ in Erfurdti disputatione frustra mutata sunt, quæque facile cognoscuntur, magna extat exemplorum copia, in quorum plurimis ν paragogicum libri respuunt. Sic in Antig. v. 897. ἐλπίσι τρέφω, ibid. v. 1107. ἄλλοισι τρέπε, Philoct. v. 304. τοῖσι σώφροσι βροτῶν. Cf. Lobeckius ad Ajac. v. 1114. Neque in melicis ν paragogicum ante mutam cum liquida ponendum erat, cum in his major esset, quam in iambis licentia. Itaque in Sophoclis Electra hæc sunt perperam additi ν paragogici exempla, v. 147. ἄραϱε φρένας, v. 669. ἀπέστειλε βροτῶν, 860. πᾶσι θνατοῖς ἔφυ μόϱος. Quod si recte judico, tum demum, ubi insolentius metrum est, litera illa paragogica ad producendam syllabam addi solebat, ubi notum et solitum, ut iambicum, trochaicum, anapæsticum, dactylicum, dochmiacum et alia, tamquam inutilis a poetis plerumque omittebatur. Ex exemplis enim et Græcæ linguæ ingenio colligere mihi videor, neque temere illa litera Græcos usos esse, et libentius omisisse quam addidisse. Cum enim brevis vocalis ante mutam cum liquida producta concederetur, quid est quod addatur ν paragogicum? neque umquam puto ante στ in libris legitur, quæ literæ sufficiant ad producendam præcedentem brevem syllabam, et faciant ut σὺν in compositione ν finale abjiciat, ut in συστέλλω, aliis. Quare in Soph. Electr. v. 458. vulgatam χερσὶ στέφωμεν, ab Erfurdto in χεϱσὶν στέφωμεν mutatam, recte Hermannus in sua editione restituit. Sic in Antig. v. 509. perperam Erfurdtus in editionibus suis (cf. addenda ad minorem editionem) contraque libros scripsit ὑπίλλουσιν στόμα. Tamen ubi ante mutam cum liquida in optimis codicibus illa paragogica litera legitur, equidem non deleo, quamvis non intrudam contra libros.

Etiam in fine versus et sententiæ ν illud e superioribus rationibus vulgo in libris omittitur, quibus invitis addendum non duco. Perperam igitur in Electr. v. 75. ὅσπερ ἀν-

δράσιν Μέγιστος, v. 279. κατέκτανεν, Ταύτῃ, 441. ἐπέστεφεν· Σκέψαι, 613. ὕβρισεν, Καὶ, 967. βουλεύμασιν, Πρῶτον, 1187. ἄλγεσιν. Electra: καὶ μὴν, etc., 1425. ἐθέσπισεν. Electra: τέθνηκεν, Philoct. v. 161. ἄπεστιν; Neopt.: δῆλον, ab editoribus contra codices additum nunc legitur. Elegantiæ tamen atque euphoniæ causa in fine sententiæ, nova sententia a vocali incipiente, in libris adjectum reperimus, ut v. 409. ἤρεσεν. Chrysothemis: ἐκ δείματος, v. 989. πεφυκόσιν. Chorus: ἐν τοῖς τοιούτοις, 1465. τοῖς κρείσσοσιν. Ægisthus: ὦ Ζεῦ. Rarissime in fine versus, sequente consonante litera ν paragogicum libri præbent, quod tum, accedente optimorum librorum auctoritate, servandum judico. Ita in Trachin. v. 465. Aldina et Brubachiana editio διώλεσεν, καὶ γῆν exhibet, ceteri libri διώλεσε, καὶ γῆν. Sic in Œdip. Colon. v. 1052. βέβακεν Προσπόλων gravitatis et antistrophici versus causa ex Aldina editione addendum pariter atque e vetustis libris. Non minus Philoct. v. 1468. ἐπέκρανεν. Chor.: χωρῶμεν. Cum in fine versus brevis syllaba permissa sit, neque ut videmus, de industria evitetur: neque in ν paragogico adhibendo liberales fuerunt poetæ, neque omnino in fine versus constituenda pausa est, nisi finita sententia, recteque ipse Hermannus in Elementis Doctrin. Metric. p. 119. hæc dicit: in quibus exemplis omnibus pessime sensui consuleret, qui in fine versus magis, quam ubi interpunctiones jubent, voce consistendum putaret. Ideo quoque displicuisse ν paragogicum poetis videtur, quod accentu in antepenultima posito, illaque litera ante simplicem vel duplicem consonantem addita, ultima syllaba tamquam longa pronuntianda esset, quod ipsum doctrinæ accentuum quodammodo repugnat. neque apud pedestris orationis auctores sequente consonante ν paragogicum usurpatur, certe rarissime et tunc interposita interpunctione. Neque cum Hermanno fecerim, qui in libro de Emendanda Ratione Græcæ Grammaticæ p. 23. finem Thucydidis libri secundi, tertii et quarti, ubi vulgo ξυνέγραψε, in fine quarti autem in quibusdam codicibus ξυνέγραψεν reperitur, illa litera locupletari jubet. Omnino quod nunc, ut supra est monitum, in σὺν et ξὺν, in ἐς et εἰς aliisque recte intellexerunt critici, hoc idem in ν paragogico iis faciendum esse videtur, ne ra-

tiocinatio et ficta regula plus valeant, quam veterum librorum testimonia. Neque obliviscare in talibus multum pendere a singulorum auctorum arbitrio, quod plerumque e codicibus tantum manuscriptis intelligatur, neque sibi illos satis constitisse.

Vix est, quod addam, illas quæstiones dialecti non tam ad melica carmina, quam ad dialogum spectare, cum illic multo major formarum varietas, hic minor Atticismi neglectus concederetur.

Quamvis hæc multis fortasse mira ac singularia, ne paradoxa dicam, videantur, quæ ex parte quidem vehementer abhorreant a clarissimorum hujus temporis grammaticorum et criticorum præceptis: tamen quæ est eorum humanitas, ea tamquam fructum nostri tragicorum studii, quod illa ipsa humanitas tolerari certe jubet, fore ut benevolo animo accipiant, certissime confisus sum. Ceterum ne quis brevitatem hujus commentationis miretur, sic habeto, antea præfationis loco eam Sophoclis fabulæ cuidam præmittere mihi propositum fuisse, nunc certas quasdam ob causas consilio illo mutato specimen nostrarum Sophoclis curarum edere placuisse, cum per se illa totum quoddam efficere videretur.

Quam maxime ab initio inveneris interpunctionis aliorumque quorumdam inconstantiam, typothetarum potius pertinaciæ, quam meæ ipsius levitati tribuas. Alia ipse velim corrigas.

FINIS.

BOOKS

Recently Published by W. P. GRANT, *Cambridge; and Sold by* R. PRIESTLEY; W. BAYNES and SON, and BLACK, YOUNG, and YOUNG, *London.*

1. THE ANNALS of ST. PAUL, translated from Bishop PEARSON, with a great body of NOTES taken from LARDNER, WHITBY, STACKHOUSE, PALEY, and other Commentators. 12mo. bds. 4*s*. 6*d*.

2. A New Work entitled "THEATRE OF THE GREEKS;" containing in a compendious form a great body of information relative to the Rise, Progress, and Exhibition of the GREEK DRAMA, with an Account of Dramatic Writers from Thespis to Menander; to which is added a Chronology, and an Appendix containing critical remarks of PORSON, ELMSLEY, and others. 8vo. 10*s*. 6*d*. boards.

3. THE TWENTY-FIRST BOOK of TITUS LIVIUS, from the Text of DRAKENBORCH, with NOTES Critical and Explanatory, and a literal TRANSLATION; to which is added a Map, and an Appendix, showing the route *actually* taken by Hannibal. 8vo.

4. AIKIN's TRANSLATION of TACITUS on GERMANY, and the LIFE of AGRICOLA, with copious Notes. 12mo. boards.

5. PERCY's KEY to the NEW TESTAMENT. 12mo. boards.

*** Percy's Key has gone through many editions, and is very properly purchased by most candidates for holy orders.—BISHOP MARSH.

6. SPELMAN's TRANSLATION of XENOPHON's ANABASIS, with copious Notes. 12mo.

7. The OXFORD SAUSAGE, being Select Poetical Pieces by the most celebrated Wits in that University. 18mo. boards. 3*s*.

IN THE PRESS.

MISCELLANEA VIRGILIANA: Containing the whole of HOLDSWORTH's valuable Notes on the four Georgics and first six Æneids: SPENCE's Political Character of the Æneid, from Polymetis: WARBURTON on the sixth Æneid: and JORTIN's Critical Remarks on Virgil. 8vo. boards. 12*s*.

LGr.H
B922m

12774
[Buckham, Philip Wentworth (ed.)]
Miscellanea Graeca dramatica; collected
by A Graduate of Cambridge. [pseud.].

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED